BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 G
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12-3-G.31

52.4.9.

51 D

52.
d.
9.

[illegible] Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA

Digitized by Google

JOH. JONSTONI

THAUMATOGRAPHIA NATURALIS,

In decem Claſſes diſtincta,

in quibus

ADMIRANDA

I. *Cæli.*
II. *Elementorum.*
III. *Meteororum.*
IV. *Foſſilium.*
V. *Plantarum.*
VI. *Avium.*
VII. *Quadrupedum.*
VIII. *Exanguium.*
IX. *Piſcium.*
X. *Hominis.*



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM
à WAESBERGE,
Et ELIZEUM WEYERSTRAET.
M DC LXV.

EGo *ſapientiæ ambitum, tanquam animi noſtri ærarium quoddam ſemper judicavi, in quod communia commentationum noſtrarum vectigalia inferenda cenſeo, ſed proba; unde ſibi ſuum quiſque in uſum ſumat ſine invidia atque ſimultate. Vnum enim corpus ſumus, unusque ſpiritus hujus corporis, qui à Deo profectus, pro communi excubet utilitate.* Scalig. lib. 1. de Plantis.

ILLU-

ILLUSTRISSIMIS
Principibus ac Dominis;

D. JANUSZIO RADZIWILIO,
Illuſtriſſimi Principis Chriſtophori
[illegible] *unico*,

D. BOGUSLAO RADZIWILIO,
Illuſtriſſimi Principis Januſzii, *Illuſtr. memoriæ, filio*,

DUCIBUS
Birzarum & Dubinkorum, &c.
S. R. I. PRINCIPIBUS.

D. BOGUSLAO, Comiti in Leſzno,
Palatinidæ Belzenſi &c.

D. ULADISLAO MONWID, L. B.
in Doroſtaje, Mareſcallidæ Magni
Ducatus Lituaniæ:

Dominis ſuis gratioſiſſimis.

VT cunctæ res quodam velut premuntur orbe, *Illuſtriſſimi Principes*, & *Domini*; ſic & Hiſtoriæ naturali idem incumbit jugum. In honore olim hanc divam fuiſſe, *Ariſtotelis*, *Plinii*, *Dioſcoridis*, & alio-

aliorum ſcripta teſtantur; in tanto hodie contemptu, ut, *nil ſacri eſſe* videatur, res ipſa loquitur. Fateor Botanica à multis excoli, fieri & Mineralium mentionem: an tamen tota in aliqua vel Academia, vel Schola, (*Bononienſem* ſub *Aldrovando* excipio) ſubſellia obtineat, dubito. Illi ipſi, qui naturæ diſcurſibus diexodicis ſcrutantur abdita, *ſpinis argutiarum, & laqueis quæſtionum male dediti, non aliud quam ſubtili quodam diſceptationum filo texunt eas, & retexunt.* Unde & literaria juventus tum ſe Philoſophiæ rude dignam exiſtimat, cum quædam ex mente *Stagiritæ* ad præcepta generalia confuſe & ἀλόγως proferre novit; quam inconveniens, & noxium id ſit, *Gratioſiſſimi Domini*, unicuique conſiderandum relinquo. Quantum ad me, quod de *Plinio* magni *Eraſmi* præceptor *Goudanus* protulit, id Hiſtoriæ naturali applicare auſim. *Eam* nimirum *eſſe, quam qui non legit, cenſetur indoctus; qui lectam faſtidit, indoctior; cui denique non ſapit, indoctiſſimus.* Quod ſi converſationis habeatur ratio, * *pulchrius me hercule & ad illam convenientius eſt, mirabilis naturæ & motuum expertum eſſe, animalium, metallorum, ſtirpium, herbarum naturas & vires didiciſſe, ipſam hominis Anatomiam inſpexiſſe, alia-*

que

* *Iohannes Valent. Andr. in Inſtit. Magica.*

que naturæ rara & admiranda contemplatum eſſe, quam in generalibus paucis de motu, de cœlo, de meteoris, de anima præceptis acquieviſſe: atque hæc ipſa ad ravim uſque aliquoties exagitaſſe. Et revera ſi univerſalia ipſa Phyſicæ præcepta inſpiciantur, apparebit, ſine Hiſtoriæ cognitione conſtare non poſſe. Cum enim univerſalia ſingularibus nitantur, illuſtrentur, demonſtrentur, determinentur, refutentur; quomodo ille Phyſicæ gnarus eſſe, defectus ejus, quorum plurimi, corrigere, axiomata ad operationem inducentia conſtituere, formas indagare, &c. qui Hiſtoriæ ignarus, poterit? Eveniet ei idem quod *Ixioni*, qui, cum Junonis potentiæ Deæ loco, cujus ſibi concubitum animo deſignaverat, cum evanida nube rem habuiſſet, Centauros & Chimæras progenuiſſe fertur. Operationem præſertim quod ſpectat, non poterit metalli alterius in aurum transformationem procurare, qui ponderis, coloris flavi, malleabilis, extenſibilis, fixi, volatilis, naturas cognitas non habet, nec mineralia ſemina & menſtrua diligenter introſpexit. Non poterit ſenectutis retardationem concipere, qui naturam arefactionis ſpirituum, ſuper ſolida corpora deprædationis, aſſimilationis, alimentationis non perſpexit: at naturæ conſtrictio &

 aſſiduum

aſſiduum cum ea certamen præcipuum eſt illud, ad quod ejuſdem cognitio dirigitur. Is mihi verus naturalis ſcientiæ filius, qui ventos intendere & multiplicare, nova metalla producere, thermas artificiales, vitriolatas, ſulphureas, aluminoſas, &c. extruere, novas plantas & animalia proferre novit. Is legitimus naturæ ſcrutator, qui vitam prolongare, ætatem retardare, complexiones & ſtaturas mutare, imaginationis vim in aliquod corpus elevare, morbos hactenus incurabiles curare, tormenta mitigare, maturationis, clarificationis, putrefactionis, decoctionis, & germinationis tempus accelerare poterit. Nil jam dicam de naturæ libro, in quo, tanquam ſolem in aquis, ſupremum conſpicimus. Certum namque eſt, hunc ſub hiſtoriæ naturalis comprehendi titulo, & facilius ex novarum ſtellarum apparitione, maris circa Maccareo æſtu, ferri in Ilva ſuccremento, palmarum connubio, mororum effloreſcentia, Elephantum docilitate, apum regno, formicarum meſſe, Delphinorum præſagiis, & infinitis Creatorum ſympathiis & antipathiis, illius bonitatem, ſapientiam & potentiam elici; quam ex immenſis illis de materiæ primæ entitate, motus identitate, temporis menſura &c. diſcurſibus, qui apud *Al-*

bertum

bertum, *Thomam*, *Scotum*, *Fonſecam*, *Maſium*, *Ruvium*, *Toletum*, & alios Scholaſticos inveniuntur. Quis vero neſcit Dei cognitionem præcipuum ſcientiarum finem eſſe? Hæc cum diligenter, ſcriptis primo *Venerandi viri D. Johannis Valentini Andreæ*, amici mei perhonorandi inductus, animo volutarem, non tantum ſummum erga hiſtoriam naturalem amorem concepi, ſed etiam, ut eundem adoleſcentiæ ſtudioſæ injicerem, teneri me exiſtimavi. Quia vero ingentibus Theoreticam incluſam tomis, plurimis operativam innexam difficultatibus animadverti; & juventutem in otium proclivem, labores faſtidire, jucundis addictam, arduis hoſtem eſſe perſpexi, Æſculapii filios imitatus, qui ad amarorum uſum, Syruporum, Confectorum, Electuariorum &c. pertrahunt ægrum illicio, jucundiſſima quæque (ſi dubia interdum ſtimuli loco factum eſt) ex immenſis *Plinii* de quo illud Lipſii, *Plinii libros qui Pandectas appellaverit, me judice haud erraverit. Omnia vir ille legit, ſcivit; & in unum volumen Græciam & Latium concluſit*, amplector) *Agricolæ*, *Geſneri*, *Aldrovandi*, *Libavii*, *Mathioli*, *Scaligeri*, *Cardani* operibus, aliorumque plurimorum ſcriptis, quantum per occupationes, quas tum *Generoſ. Kurtzbachii de*

Zawada inſtitutio in Polonia, tum propria ſtudia in Belgio, pepererant, licuit, excerpſi, illiſque ſtudioſam pubem, communibus Phyſicæ præceptis invigilantem, ad ſerium naturæ ſcrutinium invitare cum obſecratione volui. Cæterum hunc laborem Veſtro nomini, *Illuſtriſſimi Principes, & Domini*, deberi, cum de patrocinio pro more diſpicerem, jure merito exiſtimavi. Si enim is conſideretur; naturalis hiſtoriæ cognitionem ad Principes etiam & Magnates pertinere, *Salomonis*, *Alexandri*, *Mithridatis*, *Diocletiani*, *Franciſci I. Galliarum Regis*, & aliorum docuere exempla. Si Vos; ſpes nunc Poloniæ agnoſco, ejuſdem aliquando ſydera, quæ luminis ſui radiis Eccleſiam, Rempublicam, & ſcholas colluſtrare dignabuntur. Si ego; in patriæ præcipue commodum iſta deduxi, & alia meditor, ſi ad plures curas, Deus vitam producere conceſſerit. Nec tamen diffiteor, plura me jam forſan vobis debere, quam ut ſolvere poſſim. Dignatus enim me es, *Illuſtriſſime Princeps* JANUSZI, menſa tua aliquoties *Lipſiæ*, dignatus & colloquio. Dignum Generoſiſſimus Dominus *Alexander de Przybkowsky* Supremus *Tuus Ephorus* exiſtimavit, cui conditionem in *Illuſtriſſ. Veſtra Familia*, ſi res pateretur, offerret. Veſtra

Illuſtriſ.

Illuſtriſſ. Domini, benevolentia quanta fuerit, Leſnenſis mea cum doctiſſimo Domino *Michaële Henrici* Hermetico eximio, Ephoro Veſtro, & Reverendo Domino *Davide Urſino* ſpectatæ fidei & prudentiæ viro, hoſpite Veſtro, converſatio ſatis teſtatur. Teſtantur & Tuæ, *Illuſtr. Domine Boguſlae*, literæ, quibus me apud Batavos commorantem, ſæpe allocutus; voces denique, quibus abſentem in diſceſſu etiam Tuo *Leſnâ*, benigniſſime proſecutus es. Hoc igitur quicquid eſt opellæ ad pulvinaria Veſtra depono, *Illuſtriſſimi Domini*; Vos vile gratiſſimi animi munuſculum, heroica, quæ *Vobis* innata eſt, humanitate excipite, & majora quidem *Vobis* deberi, ſed me dare non poſſe cogitate. Faxit Deus, ut ſepulta in noſtrorum animis artium majeſtas, veſtræ promotionis voce ad vitam revocari, priſtinoque reſtitui decori poſſit. Me quod ſpectat, ſi hæc *Vobis* grata, noſtris utilia eſſe cognovero, in id incumbam, ut & hæc accuratius pertractari, & totus artium, ſcientiarum & prudentiarum circulus ſua hiſtoriola ſingulariter informari, juventus noſtra ea frui, & in ſtudiorum curſu felicius promoveri poſſit. Utinam! *Vos* interim, *Illuſtriſſimi Domini*, Deo & Patriæ diutiſſimè valete.

 Dabam

Dabam *Londini Anglorum.* xv. Maji, ſtylo Juliano, Anno M. DC. XXX.

Illuſtriſſ. Celſit. &
Magnit. Veſtrar.
Addictiſſ.

JOHANNES JONSTONUS.

THAVMATO-
GRAPHIÆ
NATURALIS
CLASSIS PRIMA.

In quâ

COELI
ADMIRANDA.

Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: at ita, ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus, leviſque, ac contentus modico, emicuit. Seneca, natur. quæſt. l. 1. præf.

SYL-

SYLLABUS CAPITUM
ET ARTICULORUM.

CAP. I. *De Mundo.*
Art. I. *De Mundi creatione.*
2. *De partibus Mundi, & digeſtione.*
3. *De unitate, figura, & anima Mundi.*
4. *De duratione Mundi: præterita & futura.*
5. *De Occultis corporum qualitatibus.*
6. *De Dei erga Mundum providentia.*

CAP. II. *De Cœlo.*

CAP. III. *De Stellis.*
Artic. 1. *De Stellarum viribus, & nutrimento.*
2. *De Stellarum fixarum luce, magnitudine, & motu.*

CAP. IV. *De quinque minoribus Planetis.*

CAP. V. *De ſole.*
Artic. 1. *De magnitudine, & unitate Solis.*
2. *De Solis luce, & Ecclipſi.*
3. *De motu Solis.*
4. *De dierum, & noctium inæqualitate.*
5. *De quatuor anni partibus.*
6. *De umbra Solis.*
7. *De Solis in inferiora influxu.*

CAP. VI. *De Luna.*
Artic. 1. *De Lunæ typis, & lumine.*
2. *De macula, & Ecclipſi Lunæ.*
3. *De Luna in inferiora influxu.*

CAP. VII. *De Stellis novis.*

CAP. VIII. *De prædictionibus Aſtrologicis.*

ADMI-

ADMIRANDA COELI.

CAPUT I.
DE MUNDO.

Articulus I.
De Mundi Creatione.

VNiverſum hoc corporum ſyſtema κόσμος eſt Pythagoræ. Mundum à pulchritudine Latini dixere. Æternum voluere *Ocellus* (*de univerſo*) *Ariſtoteles* (*lib. 8. Phyſic.*) & alii; creatum nos in principio à Ter-Maximo aſſerimus, & fide condita ſecula intelligimus. Hiſtoria penes ſcripturam eſt, perfectiſſima penes *Moſen* delineatio, *Geneſ.* 1. Nec *Galeni*, nec memoriæ Apoſtolorum, cujus apud *Turribium Epiſcopum* mentio, cenſoria virgula quicquam derogabit. Dictamina Spiritus Sancti falſitatis neſciunt tangi confinio; expers erroris divina ſcientia. *Cardani* (*in lib. de ſubtil.*) ex ſalſedinę maris deducta æternitas, eadem facilitate rejicitur, quâ proponitur. Imbecilla confirmatio. Omnia pura eſſe facta per initium; addo & falſa. Audacter ex Stoicis *Chryſippus apud Laertium. Si quid eſt quod efficiat ea quæ homo licet ratione præditus efficere non poſſit: id profecto eſt majus & fortius & ſapientius homine. Homo autem non poteſt facere cœleſtia. Ergo illud quod hæc efficit, hominem arte, conſilio, prudentia, poteſtate ſuperat.* Quid igitur poteſt eſſe niſi DEUS? Factum autem hoc quicquid ex *Nihilo*, & factum verbo *Fiat*. Falſus de atomorum concurſu *Empedocles* (*de materia & quantitate coævis.*) Male etiam in *Plutarcho. Eſſentia & materia, ex quâ factus eſt mundus, non procreata, ſed ſemper parata molitori fuit, obſecundanſque ut eam componeret & digereret, & ad ſuam, quoad fieri poſſet, formaret effigiem.*

Nil

Nil erat cum DEO, antequam quicquam eſſet, quod non fuerit DEVS. Hic vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. *Hermes in Pimandro. Mundum univerſum verbo non manibus fabricatus eſt opifex.* Sex diebus hæc perfecta tradit *Moſes*, doctrinæ & ordinis, ut quibuſdam videtur, cauſa. *Auguſtino* ſimul & in momento omnia creata ſunt. Subtiliter *Philo de Mundi opificio. Mundum ſex diebus factum, ait Moſes, non quod temporis ſpatio opus habuerit conditor DEVS; (Deus enim non juſſu ſolum, ſed & cogitatu operari creditur) ſed quia opus erat res creari quodam. Ordini autem numerus eſt proprius, & ſenarius inter numeros lege naturæ aptiſſimus generationi eſt. Nam poſt unitatem primus occurrit perfectus, conſtans partibus, è quibus conficitur, è ternione ſui dimidia, & binario parte tertia, & unione parte ſexta, & maſculina, & fœminina natura præditus.* Quod attinet tempus creati, Autumnus quibuſdam placet (ex feſto collectionis frugum in exitu anni, & menſe Tiſri Septembri reſpondente, colligitur. *Bartolin. cap. ult. gener. Phyſ.*) Ver quibuſdam. *Ambroſius in Hexaëmero. Inde oportebat Mundi exordium capi, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Vnde & naſcentis mundi imaginem annus expreſſit, & poſt hybernas glacies, atque hyemales caligines, ſerenior ſolito verni temporis ſplendor elucet. Marianus Scotus*, diem Dominicum ponit xv. *Calend. Aprilis. Macrobius genituram* deſcribit. *Mundi ingenitura*, (verba ejus ſunt) *Aries medium tenebat cœlum, Cancro geſtante Lunam. Sole oriente cum Leone, cum Mercurio Virgine, Libra cum Venere, Marte cum Scorpione. Sagittarium Iupiter obtinebat, & Saturnus Capricornum.* Dicamus nos cum *Firmico. Certum non eſſe diem ejus ortus.* Tempus enim hoc mutatur locis; nec ullum tum. Omne ſeculare cum mundo cœpit. Finem ſi ſpectas, gloria Supremi eſt, & uſus hominis. Quo me verto, exquiſita ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ conſpicio inſignia. Sejunguntur hic contraria, ita ut vinculis mediis copulentur; hinc ſapientia. Actiones ordinatiſſimè recurrunt; inde Vnitas. Nec ſenectus,

nec

nec mutatio, nec laſſitudo obvenit; inde potentia. Sufficiens unicuique rei data perfectio, huic acquieſcit; inde bonitas. A DEO ſunt, ad DEVM tendunt; inde gloria.

ARTICULUS II.
De partibus Mundi, & illarum digeſtione.

DE materia ejus non eſt quod multum ſimus ſolliciti. Continet cœlum cum ſtellis ſub cælo, Elementa, in aëre Meteora, in aqua piſces, in terræ receſſu foſſilia; plantæ, animalia, homo in ſuperficie ſumma. Materialia ſunt, & corporea, quæ huic incluſere ſapientes. In illis omnibus concinna eſt veritas. Simplex cœlum putatur, ad miſſionem ordinantur Elementa, impetfectè miſcentur Meteora; perfectè ſed ſine vita foſſilia; cum vita Plantæ, ſed ſine ſenſu; cum vitâ & ſenſu beſtiæ, ſed ſine ratione; cum vitâ, ſenſu, ratione Homo eſt, omnium compendium, microcoſmus in macrocoſmo. Perfectio tanta quanta à rebus haberi poterat; majorem poteſt dare opifex, non res recipere. *Scalig. exerc.* 249. *ſ.* 3. Bonitas ſupremi decreto firmata. *Geneſ.* 1, *v. ult.* Vidit, & ecce omnia bona. Modum digeſtionis tantæ machinæ *Zeno* apud *Laertium* inter Philoſophos prodidit, nimirum *DEVM in principio dum apud ſe eſſet, eſſentiam omnem per aërem in aquam convertiſſe. Et ut in fœtu ſemen continetur, ita DEVM, qui ſeminalis mundi ratio eſt, tale ſemen reliquiſſe in humido, quod facilem aptamque operi materiam præberet, ad rerum deinceps generationem. Deinde progenuiſſe primum Elementa quatuor, Ignem, Aquam, Aerem, Terram, &c.* Verius *Triſmegiſtus* ὦ ἱερῷ λόγῳ. *Erant*, inquit, *tenebræ infinitæ, in abyſſo & aqua, & Spiritus tenuis intelligibilis divinâ virtute exiſtentia in Chao. Sublata igitur eſt ſancta lux, & congelata ſunt, ac firmata Elementa inferius ex humida ſubſtantiâ, & dii omnes ampleĉtuntur, adamant-*

mantque ſeminalem naturam. Cumque omnia eſſent indirempta & incompoſita, ſeparata ſunt; levia in altum, gravia in imum, in arenâ humida, diviſis omnibus per ignem & appenſis Spiritu ut vehantur. Et apparuit cœlum in circulis ſeptem, & dii aſpectibus aſtrorum apparentes cum ſuis omnibus ſignis, & diſtinctus & cum deis, qui in ipſo ſunt, & circumſcriptus eſt ambitus aëre circulari vago Spiritu divino vectus. Protulitque unuſquiſque Deus per propriam virtutem, quod imperatum fuit ei; natâque animalia quadrupedia, reptilia, aquatica, volucria, omniſque ſatus ſeminalis: & fœnum & flores, omniſque herba, ſemina regenerationis in ſe ipſis continuerunt, & generationes hominum ad cognitionem operum divinorum, &c. At veriſſimè *Moſes*, Geneſ. cap. 1.

Prima dies cœlum & terram lucemque creavit:
Altera diſtendit ſpatium, diſcrimen aquarum:
Tertia ſecernens undas, dat gramina terris:
Quarta creat Solem & Lunam, cœleſtiaque aſtra:
Quinta dedit piſces, eadem genus omne volantum:
Sexta tulit pecudes, hominem quoque, quem DEVS ipſe
Condidit, inde operis requies lux ſeptima fulſit.

Danæus in Phyſ. Chriſtiana.

ARTICULUS III.

De Vnitate, Figura, & Anima Mundi.

VIſum *Democrito* & *Empedocli* ex minutis quibuſdam, & inſecabilibus ſeminibus alios ſubinde Mundos naſci. Hinc querela *Alexandri*, quod ne uno quidem ſit potitus. Infinitos ſucceſſivè ſtatuit Origines (*περὶ ἀρχῶν.*) Elementarem ſingulis ſeptem millenariis condi, cœleſtem intra annos quadragies novies millenos. Sabbathum quippe terræ, & annum jubilæum ſeptimo quoque anno, & anno demum quadrageſimo nono recurrere ſolitum. Tangit hanc ſententiam Leo *Hebræus Dialog. de Amore*, dum

dum inquit, *Mundus inferior ex priſcorum Theologorum ſententia, ſeptem millium annorum ſpatio generatur, corrumpitur, renovatur.* At quia nil tumultuariè in eo volvi videmus; nec extra eum poſitum quicquam, quorſum egrederemur ex ipſo? Certè deſiderio finis, eadem ſemper in termino cogitationis occurrit quæſtio. Vnicum igitur dicimus. Figuram ejus ad pellis extenſæ modum planam, & late porrectam voluit *Baſilius*. *Plato* ad figuræ ſimilitudinem circumvexam & multis angulis faſtigiatam undique accedere. *Sanchuniates Beritius* antiquiſſimus Phœniciæ rerum ſcriptor, *ὅμοιον τοῦ ὠοῦ σχήματι.* Itaque. initiis & orgiis Bacchi, ovum tanquam imago mundi religioſiſſimè colebatur. Quidam litteræ *ω*, in quâ extremum lineamentum Oceanum repreſent. *Dalechamp. ad lib. 2. Plin. hiſt. cap. 3.* In ſpeciem orbis abſoluti globatum eſſe, non tantum nomen, & conſenſus mortalium orbem appellantium; ſed oculorum quoque probatio, quod convexus mediuſque quacunque cernatur, oſtendit: *Plato. A quo animante omnes reliquos contineri voluit animantes, hunc eâ formâ figuravit, quâ unâ omnes reliqua forma concludantur.* Animal eum eſſe ſenſu, & ratione præditum *Stoici* voluerunt. Inde nata deſcriptio per partes. *Stellæ*, (inquit *Plutarchus de facie in orbe Lunæ*) *ſicut oculi lucentes in facie univerſi, orbem ſuum peragunt. Sol vi præditus cordis; Vt hoc ſanguinem & ſpiritum: ſic diffundit ex ſe vegetantem calorem & lucem. Terra & Mari Mundus ut animal ventre & veſica utitur. Luna inter ſolem & terram, ut inter cor & ventrem, velut jecur, aut aliud molle viſcus eſt, & reſpirationes illius excoctione aliqua, & purgatione attenuans diffundit.* Eleganter, haud verè. Nulla certè huic ex noto genere anima. Si quam adſcribimus, vis quædam diffuſa erit, rebus omnibus communis, proportione animam dicemus. Quod enim illa in corporibus, hoc ipſum in univerſo diſperſa. *Combach. in Phyſ. cap. de Mundo.*

ARTICULUS IV.

De duratione Mundi præterita, & futura.

DVratio Mundi, & præterita, & ſubſequens à multis inquiſita; nihil conſtitutum certi. *Ægyptii*, jam olim 48000. annorum hiſtoriam venditabant, Chaldæi 470000. Inde Orientales 700000. Ægyptios diſſenſus convincit. Viginti millia *Soloni* quæ tenti unus retulit; alter tredecim, *Herodoto*. Chaldæi intra 48863. octingenta triginta duo tantum, extitiſſe luminaria, aſſerunt: nugas eſſe Vranologia oſtendet. Abſque hoc foret, *Diodorus* tamen *Auguſti* ætate, perveſtigatâ ſummâ Ægyptiorum antiquitate, vix quatuor comperit millia. *Calliſthenes Ariſtotelis* ex ſorore nepos, Chaldæorum non duo millia; refert id *Simplicius*. Inter noſtros Chronologos incerta Chriſtiana Epocha, nec datur tam illuſtris radius, qui nebulas diſcutiat. *Abraham Bucholzerus* cum *Mirandula*, & *Reuſnero*, conditum ante Epocham dictam annis 3970 aſſerit, *Buntingius* 3968. *Mercator* 3967. *Scaliger* 3947. *Beroaldus* 3929. *Brugtonus* 3928. *Pareus* 3927. *Pavellus* 4022. Penes *Scaligerum* hactenus palma; ſed & ejus imperfectio à *Pavello* oſtenſa creditur. Major de fine incertitudo. *Macrobius* 15000 annorum ſpacio eum definit. *Orpheus* 120000. *Caſſander* ad tricies ſexagies centena millia computat. *Beroſus* ex teſtimonio *Senecæ* arſura terrena contendit, cum omnia in Cancro convenient ſydera; futurum in Capricorno diluvium. Inter Chriſtianos *Liborovio* annus 1666. placet. *Roſlino* 1656. (*Libav. in declam. de comet. anni.* 1604) *Cuſano* 2700. vel ſaltem ſpacium 1734. antecedens. *Vt poſt primum Adam* (verba Cuſani) *venit in trigeſimo quarto jubilæo conſumptio peccati per aquam diluvii, in diebus Nohæ juxta Philonem: ita conjicimus, quod poſt ſecundum Adam in trigeſimo quarto jubilæo veniet conſumptio peccati per ignem.* (*Nancelio citante in Analog. Microcoſmi cum Macrocoſmo l. ult.*)

Augu.

Auguſtinus, *&* *Lactantius* ſex millibus annorum definitam approbant domum. Incertus *Alſtedio* terminus, non ante annum Chriſti 1694. certum (in *Theſauro Chronolog. cap. 6. & Diatrib. de mille annis*) Chiliades aliquot quidam amicus ſomniat. Aliter *Napeirus*, aliter *Copernicus*. Quid nos ad hæc? Non hominum dicere iſta, quia nec ſcrutari, nec ſcire; nec Angeli norunt nec hominis novit filius. In ſuâ hæc pater ſervavit poteſtate temporâ. Verè *Thom. Omnes qui volunt determinate de mundi fine loqui, tempus præfigendo, falſi reperti ſunt; & reperientur in futurum, qui hoc prænunciant.* Incertum utut tempus, at certus interitus. Sacra oracula: *Cœlum, & terra tranſibunt: Luca* 21. 23. Antecedentia ſigna Chriſtus apud *Matthæum* 23. prædixit. Modum in diluvio, & ἐκπυρώσει poſuere *Stoici*; conſentire videntur Ebræi. Nam quadraginta cubitos ſupra altitudinem montium elatum iri mari aſſerunt. (*Petrus Comeſtor apud Nancelium*) *Ariſtoteles*, & *Plato* univerſaliter negant. Chriſtianis ex ſacris mundum diluvio interiiſſe notum, poſterius expectatur. Verè enim *Petrus* 2. *cap.* 3. *Cœli qui nunc ſunt, & terra igni reſervati in diem judicii.* An verò alter per eſſentiam Mundus futurus ſit; an renovatus hic, in quo vivimus, dubitatur. Figuram mundi tranſituram dictum *Apoſtolo*: Sancti Patres *Baſilius, Euſebius*, &c. immutationem innuunt; & nomine porticus *Seneca. Omne animal ex integro generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illu quoque* (addit) *innocentia non durabit, niſi dum novi ſunt: cito nequitia ſurrepet.* Diſcernimur, quod innovationes æternas facit, nos non admittimus. Cenſura *Tatiani* adverſus gentes. *Corpus aliquis DEVM ſtatuit? ego incorporeum. Incorruptibilem Mundum? ego corruptibilem. Exuſtionem per vices temporum advenire? Ego ſemel & in univerſum.*

ARTI-

ARTICULUS V.

De occultis Corporum naturalium qualitatibus.

Dixi naturalia corpora mundo contineri, jam ita ordinata dico, ut & propriis quæque gaudeant & in quibuſdam participent. Natura omnibus indita, loco continentur, tempore menſurantur, numero definiuntur, oriuntur, intereunt, moventur, augentur, minuuntur, agunt, patiuntur. Admirandæ inter cætera qualitates occultæ, ſecundum quas vel conſenſus eſt in rebus, vel pugna & diſſenſio; Sympathiam, & Antipathiam dixêre Philoſophi. Harum cauſas primæ & ſecundæ qualitates ignorant; exempla per univerſum naturæ ſparſa campum. Inſanus Elephas ariete conſpecto manſueſcit, viſo ringitur Rhinocerote. Ovium à Lupo admorſarum carnes teneriores, ſed lana earum etiam texta pediculos gignit. Exanimata fere jumenta, & extincti viribus homines, objectu panis revocantur. *Peucer. de divin. ſect. de Aſtrolog.* Moritur Porphyrio conſpectâ meretrice. Pici herba cuneos adactos expellunt. Dictamno cervus extrahit ſagittas. Tarantulæ venenum certo Muſicæ ſono, & admorſorum ad numeros depellitur ſaltu: *Alexander ab Alexand. lib. 2. genial. dierum.* Ad felis præſentiam multis excuſſus ſudor. *Quercetan. in diatica:* ad phormingis ſonum urina. *Scalig. Exer. 344. ſect. 6.* Malorum aſpectu quidam è convivio exactus eſt, ſi *Quercetano* credimus. Puero cuidam ovis comeſtis labia intumeſcebant, facies nigris conſpergebatur maculis. *Marcell.* Monachus apud Luſitanum roſæ exanimabatur odore. Panes, & carnes alter abhorrebat, ſolis nutritus ovis. Vetulam in convivio cum quidam conſpiceret, non tulit; cumque vi cogeretur, pro mortuo elatus eſt. Exanimatus quidam ad capillitii compturam. Demophon Alexandri ſtructor in ſole, vel balneo algebat in umbra calebat. Idem cuidam morioni adſcribitur,

qui

qui æſtate pellibus ſe veſtiebat, nudabat hyeme. Canis Pontani gallorum rejiciebat carnes: Scholtzii audiens nervos teſtudinis intendi, miſere lamentatus eſt. Cum verò jam in concentum redacti, numeros è ſonarent, tacuit. Cætera non tango. *Libavius de Antipathia rerum.* Cauſa horum omnium occulta. Conſtat tamen inſignes ab iis oriri qualitatibus, quæ & formis congruunt, & harum vi cientur. Cognitio verò vitium occultarum pars Magiæ naturalis eſt; in qua cautione opus inſigni. Multi vana, falſa, ſuperſtitioſa, harum ornarunt titulo. Heliotropium facere inviſibiles, & argento vivo inter duas poſito cannas impediri veneficia, ſcripſit *Alvernius lib. de univerſo.* Rutam furto ſublatam, & Ocymum cum conviviis plantatum uberius provenire, reliquit *Trieſius de Dæmonum deceptionibus*; addidit; ſeptem certæ herbulæ grana in ſympoſio jacta convivas ad ſanguinea provocare certamina. Vana hæc, refutantur dum oſtenduntur. *Delrius lib. 1. diſquiſ. Magic. cap. 3.*

ARTICULUS VI.
De Dei erga Mundum providentia.

NON ſufficiebat Supremo hæc omnia produxiſſe, niſi ſub ejuſdem manerent gubernio. Providentiæ ergo ſubdidit. Hinc ſubſtantiarum, & virtutum in rebus conſervatio, omnium pro libertate voluntatis diſpoſitio, univerſorum ſapiens ordinatio. In ea fines conſtituuntur legitime, media ad finem diſponuntur exquiſitiſſime, diſpoſita diriguntur ſapientiſſime. Aſſerta providentia hæc à Stoicis, ſic crebro, ſic valide, ut ludus, jocuſque adverſariis fuerint, qui hanc *fatidicam anum Stoicorum* appellabant. Pulcherrime *Epictetus* apud *Arrianum. Quod ad DEOS attinet, ſunt qui negent ullum Numen eſſe; ſunt qui eſſe docent, ſed ignavum, incurium, & nulli rei providere. Sunt tertii, qui & eſſe, & providere, ſed non niſi magnis & cæleſtibus, terrenorum autem nulli. Quarti, & cæleſtibus, & terreſtribus, ſed univerſis duntaxat, non autem ſin-*

gulis

SYLLABUS CAPITUM ET ARTICULORUM.

CAP. I. *De Mundo.*
Art. I. *De Mundi creatione.*
2. *De partibus Mundi, & digeſtione.*
3. *De unitate, figura, & anima Mundi.*
4. *De duratione Mundi: præterita & futura.*
5. *De Occultis corporum qualitatibus.*
6. *De Dei erga Mundum providentia.*

CAP. II. *De Cœlo.*

CAP. III. *De Stellis.*
Artic. 1. *De Stellarum viribus, & nutrimento.*
2. *De Stellarum fixarum luce, magnitudine, & motu.*

CAP. IV. *De quinque minoribus Planetis.*

CAP. V. *De ſole.*
Artic. 1. *De magnitudine, & unitate Solis.*
2. *De Solis luce, & Ecclipſi.*
3. *De motu Solis.*
4. *De dierum, & noctium inæqualitate.*
5. *De quatuor anni partibus.*
6. *De umbra Solis.*
7. *De Solis in inferiora influxu.*

CAP. VI. *De Luna.*
Artic. 1. *De Lunæ typis, & lumine.*
2. *De macula, & Ecclipſi Lunæ.*
3. *De Luna in inferiora influxu.*

CAP. VII. *De Stellis novis.*

CAP. VIII. *De prædictionibus Aſtrologicis.*

ADMI-

ADMIRANDA COELI.

CAPUT I.

DE MUNDO.

ARTICULUS I.

De Mundi Creatione.

VNiverſum hoc corporum ſyſtema *κόσμος* eſt Pythagoræ. Mundum à pulchritudine Latini dixere. Æternum voluere *Ocellus* (*de univerſo*) *Ariſtoteles* (*lib. 8. Phyſic.*) & alii; creatum nos in principio à Ter-Maximo aſſerimus, & fide condita ſecula intelligimus. Hiſtoria penes ſcripturam eſt, perfectiſſima penes *Moſen* delineatio, *Geneſ.* 1. Nec *Galeni*, nec memoriæ Apoſtolorum, cujus apud *Turribium Epiſcopum* mentio, cenſoria virgula quicquam derogabit. Dictamina Spiritus Sancti falſitatis neſciunt tangi confinio; expers erroris divina ſcientia. *Cardani* (*in lib. de ſubtil.*) ex ſalſedine maris deducta æternitas, eadem facilitate rejicitur, quâ proponitur. Imbecilla confirmatio. Omnia pura eſſe facta per initium: addo & falſa. Audacter ex Stoicis *Chryſippus apud Laertium*. *Si quid eſt quod efficiat ea quæ homo licet ratione præditus efficere non poſſit: id profectò eſt majus & fortius & ſapientius homine. Homo autem non poteſt facere cœleſtia. Ergo illud quod hæc efficit, hominem arte, conſilio, prudentia, poteſtate ſuperat.* Quid igitur poteſt eſſe niſi DEVS? Factum autem hoc quicquid ex *Nihilo*, & factum verbo *Fiat*. Falſus de atomorum concurſu *Empedocles* (*de materia & quantitate coævis.*) Male etiam in *Plutarcho*. *Eſſentia & materia, ex quâ factus eſt mundus, non procreata, ſed ſemper parata molitori fuit, obſecundanſque ut eam componeret & digereret, & ad ſuam, quoad fieri poſſet, formaret effigiem.* Nil

Nil erat cum DEO, antequam quicquam eſſet, quod non fuerit DEVS. Hic vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. *Hermes in Pimandro. Mundum univerſum verbo non manibus fabricatus eſt opifex.* Sex diebus hæc perfecta tradit *Moſes*, doctrinæ & ordinis, ut quibuſdam videtur, cauſa. *Auguſtino* ſimul & in momento omnia creata ſunt. Subtiliter *Philo de Mundi opificio. Mundum ſex diebus factum, ait Moſes, non quod temporis ſpatio opus habuerit conditor DEVS; (Deus enim non juſſu ſolum, ſed & cogitatu operari creditur) ſed quia opus erat res creari quodam. Ordini autem numerus eſt proprius, & ſenarius inter numeros lege naturæ aptiſſimus generationi eſt. Nam poſt unitatem primus occurrit perfectus, conſtans partibus, è quibus conficitur, è ternione ſui dimidia, & binario parte tertia, & unione parte ſexta, & maſculina, & fœminina natura præditus.* Quod attinet tempus creati, Autumnus quibuſdam placet (ex feſto collectionis frugum in exitu anni, & menſe Tiſri Septembri reſpondente, colligitur. *Bartolin. cap. ult. gener. Phyſ.*) Ver quibuſdam. *Ambroſius in Hexaëmero. Inde oportebat Mundi exordium capi, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Vnde & naſcentis mundi imaginem annus expreſſit, & poſt hybernas glacies, atque hyemales caligines, ſerenior ſolito verni temporis ſplendor elucet. Marianus Scotus*, diem Dominicum ponit XV. *Calend. Aprilis. Macrobius genituram* deſcribit. *Mundi ingenitura*, (verba ejus ſunt) *Aries medium tenebat cœlum, Cancro geſtante Lunam. Sole oriente cum Leone, cum Mercurio Virgine, Libra cum Venere, Marte cum Scorpione. Sagittarium Iupiter obtinebat, & Saturnus Capricornum.* Dicamus nos cum *Firmico. Certum non eſſe diem ejus ortus.* Tempus enim hoc mutatur locis; nec ullum tum. Omne ſeculare cum mundo cœpit. Finem ſi ſpectas, gloria Supremi eſt, & uſus hominis. Quo me verto, exquiſita ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ conſpicio inſignia. Sejunguntur hic contraria, ita ut vinculis mediis copulentur; hinc ſapientia. Actiones ordinatiſſimè recurrunt; inde Vnitas. Nec ſenectus,

nec

nec mutatio, nec laſſitudo obvenit; inde potentia. Sufficiens unicuique rei data perfectio, huic acquieſcit; inde bonitas. A DEO ſunt, ad DEVM tendunt; inde gloria.

ARTICULUS II.
De partibus Mundi, & illarum digeſtione.

DE materia ejus non eſt quod multum ſimus ſolliciti. Continet cœlum cum ſtellis ſub cælo, Elementa, in aëre Meteora, in aqua piſces, in terræ receſſu foſſilia; plantæ, animalia, homo in ſuperficie ſumma. Materialia ſunt, & corporea, quæ huic incluſere ſapientes. In illis omnibus concinna eſt veritas. Simplex cœlum putatur, ad miſtionem ordinantur Elementa, imperfectè miſcentur Meteora; perfectè ſed ſine vita foſſilia; cum vita Plantæ, ſed ſine ſenſu; cum vitâ & ſenſu beſtiæ, ſed ſine ratione; cum vitâ, ſenſu, ratione Homo eſt, omnium compendium, microcoſmus in macrocoſmo. Perfectio tanta quanta à rebus haberi poterat; majorem poteſt dare opifex, non res recipere. *Scalig. exerc.* 249. *ſ.* 3. Bonitas ſupremi decreto firmata. *Geneſ.* 1. *v. ult.* Vidit, & ecce omnia bona. Modum digeſtionis tantæ machinæ *Zeno* apud *Laertium* inter Philoſophos prodidit, nimirum *DEVM in principio dum apud ſe eſſet, eſſentiam omnem per aërem in aquam convertiſſe. Et ut in fœtu ſemen continetur, ita DEVM, qui ſeminalis mundi ratio eſt, tale ſemen reliquiſſe in humido, quod facilem aptamque operi materiam praberet, ad rerum deinceps generationem. Deinde progenuiſſe primum Elementa quatuor, Ignem, Aquam, Aerem, Terram, &c.* Verius *Triſmegiſtus* ἐν ἱερῷ λόγῳ. *Erant*, inquit, *tenebra infinita, in abyſſo & aqua, & Spiritus tenuis intelligibilis divinâ virtute exiſtentia in Chao. Sublata igitur eſt ſancta lux, & congelata ſunt, ac firmata Elementa inferius ex humida ſubſtantiâ, & dii omnes amplectuntur, adamanti-

mantque ſeminalem naturam. Cumque omnia eſſent indirempta & incompeſita, ſeparata ſunt: levia in altum, gravia in imum, in arenâ humida, diviſis omnibus per ignem & appenſis Spiritu ut vehantur. Et apparuit cœlum in circulu ſeptem, & dii aſpectibus aſtrorum apparentes cum ſuis omnibus ſignis, & diſtinctus & cum deis, qui in ipſo ſunt, & circumſcriptus eſt ambitus aëre circulari vago Spiritu divino vectus. Protulitque unuſquiſque Deus per propriam virtutem, quod imperatum fuit ei; nataque animalia quadrupedia, reptilia, aquatica, volucria, omniſque ſatus ſeminalis: & fœnum & flores, omniſque herba, ſemina regenerationis in ſe ipſis continuerunt, & generationes hominum ad cognitionem operum divinorum, &c. At veriſſimè *Moſes*, Geneſ. cap. 1.

Prima dies cœlum & terram lucemque creavit:
Altera diſtendit ſpatium, diſcrimen aquarum:
Tertia ſecernens undas, dat gramina terris:
Quarta creat Solem & Lunam, cœleſtiaque aſtra:
Quinta dedit piſces, eadem genus omne volantum:
Sexta tulit pecudes, hominem quoque, quem DEVS ipſe
Condidit, inde operis requies lux ſeptima fulſit.

Danaus in Phyſ. Chriſtiana.

ARTICULUS III.

De Vnitate, Figura, & Anima Mundi.

VIſum *Democrito* & *Empedocli* ex minutis quibuſdam, & inſecabilibus ſeminibus alios ſubinde Mundos naſci. Hinc querela *Alexandri*, quod ne uno quidem ſit potitus. Infinitos ſucceſſivè ſtatuit Origines (περὶ ἀρχῶν.) Elementarem ſingulis ſeptem millenariis condi, cœleſtem intra annos quadragies novies millenos. Sabbathum quippe terræ, & annum jubilæum ſeptimo quoque anno, & anno demum quadrageſimo nono recurrere ſolitum. Tangit hanc ſententiam Leo *Hebræus Dialog. de Amore*, dum

dum inquit, *Mundus inferior ex priſcorum Theologorum ſententia, ſeptem millium annorum ſpatio generatur, corrumpitur, renovatur.* At quia nil tumultuariè in eo volvi videmus; nec extra eum poſitum quicquam, quorſum egrederemur ex ipſo? Certè deſiderio finis, eadem ſemper in termino cogitationis occurrit quæſtio. Vnicum igitur dicimus. Figuram ejus ad pellis extenſæ modum planam, & late porrectam voluit *Baſilius*. *Plato* ad figuræ ſimilitudinem circumvexam & multis angulis faſtigiatam undique accedere. *Sanchuniates Beritius* antiquiſſimus Phœniciæ rerum ſcriptor, ὅμοιον τῷ ὠῷ σχῆμα. Itaque initiis & orgiis Bacchi, ovum tanquam imago mundi religioſiſſimè colebatur. Quidam litteræ ω, in quâ extremum lineamentum Oceanum repreſent. *Dalechamp. ad lib. 2. Plin. hiſt. cap. 3.* In ſpeciem orbis abſoluti globatum eſſe, non tantum nomen, & conſenſus mortalium orbem appellantium; ſed oculorum quoque probatio, quod convexus mediuſque quacunque cernatur, oſtendit: *Plato. A quo animante omnes reliquos contineri voluit animantes, hunc eâ formâ figuravit, quâ unâ omnes reliquæ formæ concludantur.* Animal eum eſſe ſenſu, & ratione præditum *Stoici* voluerunt. Inde nata deſcriptio per partes. *Stellæ*, (inquit *Plutarchus de facie in orbe Lunæ*) *ſicut oculi lucentes in facie univerſi, orbem ſuum peragunt. Sol vi præditus cordis; Vt hoc ſanguinem & ſpiritum: ſic diffundit ex ſe vegetantem calorem & lucem. Terra & Mari Mundus ut animal ventre & veſica utitur. Luna inter ſolem & terram, ut inter cor & ventrem, velut jecur, aut aliud molle viſcus eſt, & reſpirationes illius excoctione aliqua, & purgatione attenuans diffundit.* Eleganter, haud verè. Nulla certè huic ex noto genere anima. Si quam adſcribimus, vis quædam diffuſa erit, rebus omnibus communis, proportione animam dicemus. Quod enim illa in corporibus, hoc ipſum in univerſo diſperſa. *Combach. in Phyſ. cap. de Mundo.*

ARTI-

ARTICULUS IV.
De duratione Mundi præterita, & futura.

DVratio Mundi, & præterita, & ſubſequens à multis inquiſita; nihil conſtitutum certi. *Ægyptii*, jam olim 48000. annorum hiſtoriam venditabant, Chaldæi 470000. Inde Orientales 700000. Ægyptios diſſenſus convincit. Viginti millia *Soloni* quærenti unus retulit; alter tredecim, *Herodoto*. Chaldæi intra 48863. octingenta triginta duo tantum, extitiſſe luminaria, aſſerunt: nugas eſſe Vranologia oſtendet. Abſque hoc foret, *Diodorus* tamen *Auguſti* ætate, perveſtigatâ ſummâ Ægyptiorum antiquitate, vix quatuor comperit millia. *Calliſthenes Ariſtotelis* ex ſorore nepos, Chaldæorum non duo millia; refert id *Simplicius*. Inter noſtros Chronologos incerta Chriſtiana Epocha, nec datur tam illuſtris radius, qui nebulas diſcutiat. *Abraham Bucholzerus* cum *Mirandula*, & *Reuſnero*, conditum ante Epocham dictam annis 3970 aſſerit, *Buntingius* 3958. *Mercator* 3967. *Scaliger* 3947. *Beroaldus* 3929. *Brugtonus* 3928. *Pareus* 3917. *Pavellus* 4022. Penes *Scaligerum* hactenus palma; ſed & ejus imperfectio à *Pavello* oſtenſa creditur. Major de fine incertitudo. *Macrobius* 15000 annorum ſpacio eum definit. *Orpheus* 120000. *Caſſander* ad tricies ſexagies centena millia computat. *Beroſus* ex teſtimonio *Senecæ* arſura terrena contendit, cum omnia in Cancro convenient ſydera; futurum in Capricorno diluvium. Inter Chriſtianos *Liborovio* annus 1666. placet. *Roſlino* 1656. (*Libav. in declam. de comet. anni* 1604) *Cuſano* 1700. vel ſaltem ſpacium 1734. antecedens. *Vt poſt primum Adam* (verba Cuſani) *venit in trigeſimo quarto jubilao conſumptio peccati per aquam diluvii, in diebus Noha juxta Philonem: ita conjicimus, quod poſt ſecundum Adam in trigeſimo quarto jubilao veniet conſumptio peccati per ignem.* (*Nancelio citante in Analog. Microcoſmi cum Macrocoſmo l. ult.*)

Augu-

Auguſtinus, *&* *Lactantius* ſex millibus annorum definitam approbant domum. Incertus *Alſtedio* terminus, non ante annum Chriſti 1694. certum (in *Theſauro Chronolog. cap. 6. &* *Diatrib. de mille annis*) Chiliades aliquot quidam amicus ſomniat. Aliter *Napeirus*, aliter *Copernicus*. Quid nos ad hæc? Non hominum dicere iſta, quia nec ſcrutari, nec ſcire; nec Angeli norunt nec hominis novit filius. In ſuâ hæc pater ſervavit poteſtare temporâ. Verè *Thom. Omnes qui volunt determinate de mundi fine loqui, tempus præfigendo, falſi reperti ſunt; & reperientur in futurum, qui hoc pronunciant.* Incertum utut tempus, at certus interitus. Sacra oracula: *Cœlum, & terra tranſibunt: Lucæ* 21. 23. Antecedentia ſigna Chriſtus apud *Matthæum* 23. prædixit. Modum in diluvio, & ἐκπύρωσιν poſuere *Stoici*; conſentire videntur Ebræi. Nam quadraginta cubitos ſupra altitudinem montium elatum iri mari aſſerunt. (*Petrus Comeſtor apud Nancelium*) *Ariſtoteles*, & *Plato* univerſaliter negant. Chriſtianis ex ſacris mundum diluvio interiiſſe notum, poſterius expectatur. Verè enim *Petrus 2. cap. 3. Cœli qui nunc ſunt, & terra igni reſervati in diem judicii.* An verò alter per eſſentiam Mundus futurus ſit; an renovatus hic, in quo vivimus, dubitatur. Figuram mundi tranſituram dictum *Apoſtolo:* Sancti Patres *Baſilius*, *Euſebius*, &c. immutationem innuunt; & nomine porticus *Seneca*. *Omne animal ex integro generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illis quoque* (addit) *innocentia non durabit, niſi dum novi ſunt: cito nequitia ſurrepet.* Diſcernimur, quod innovationes æternas facit, nos non admittimus. Cenſura *Tatiani* adverſus gentes. *Corpus aliquis DEUM ſtatuit? ego incorporeum. Incorruptibilem Mundum? ego corruptibilem. Exuſtionem per vices temporum advenire? Ego ſemel & in univerſum.*

ARTI-

ARTICULUS V.

De occultis Corporum naturalium qualitatibus.

DIxi naturalia corpora mundo contineri, jam ita ordinata dico, ut & propriis quæque gaudeant & in quibuſdam participent. Natura omnibus indita, loco continentur, tempore menſurantur, numero definiuntur, oriuntur, intereunt, moventur, augentur, minuuntur, agunt, patiuntur. Admirandæ inter cætera qualitates occultæ, ſecundum quas vel conſenſus eſt in rebus, vel pugna & diſſenſio; Sympathiam, & Antipathiam dixêre Philoſophi. Harum cauſas primæ & ſecundæ qualitates ignorant; exempla per univerſum naturæ ſparſa campum. Inſanus Elephas ariete conſpecto manſueſcit, viſo ringitur Rhinocerote. Ovium à Lupo admorſarum carnes teneriores, ſed lana earum etiam texta pediculos gignit. Exanimata fere jumenta, & extincti viribus homines, objectu panis revocantur. *Peucer. de divin. sect. de Aſtrolog.* Moritur Porphyrio conſpectâ meretrice. Pici herba cuneos adactos expellunt. Dictamno cervus extrahit ſagittas. Tarantulæ venenum certo Muſicæ ſono, & admorſorum ad numeros depellitur ſaltu: *Alexander ab Alexand. lib. 2. genial. dierum.* Ad felis præſentiam multis excuſſus ſudor. *Quercetan. in diætica:* ad phormingis ſonum urina. *Scalig. Exer. 344. ſect. 6.* Malorum aſpectu quidam è convivio exactus eſt, ſi *Quercetano* credimus. Puero cuidam ovis comeſtis labia intumeſcebant, facies nigris conſpergebatur maculis. *Marcell.* Monachus apud Luſitanum roſæ exanimabatur odore. Panes, & carnes alter abhorrebat, ſolis nutritus ovis. Vetulam in convivio cum quidam conſpiceret, non tulit; cumque vi cogeretur, pro mortuo elatus eſt. Exanimatus quidam ad capillitii compturam. Demophon Alexandri ſtructor in ſole, vel balneo algebat in umbra calebat. Idem cuidam morioni adſcribitur, qui

qui æſtate pellibus ſe veſtiebat, nudabat hyeme. Canis Pontani gallorum rejiciebat carnes: Scholtzii audiens nervos teſtudinis intendi, miſere lamentatus eſt. Cum verò jam in concentum redacti, numeros è ſonarent, tacuit. Cætera non tango. *Libavius de Antipathia rerum*. Cauſa horum omnium occulta. Conſtat tamen inſignes ab iis oriri qualitatibus, quæ & formis congruunt, & harum vi cientur. Cognitio verò virium occultarum pars Magiæ naturalis eſt; in qua cautione opus inſigni. Multi vana, falſa, ſuperſtitioſa, harum ornarunt titulo. Heliotropium facere inviſibiles, & argento vivo inter duas poſito cannas impediri veneficia, ſcripſit *Alvernius lib. de univerſo*. Rutam furto ſublatam, & Ocymum cum conviviis plantatum uberius provenire, reliquit *Trieſius de Dæmonum deceptionibus*; addidit; ſeptem certæ herbulæ grana in ſympoſio jacta convivas ad ſanguinea provocare certamina. Vana hæc, refutantur dum oſtenduntur. *Delrius lib. 1. diſquiſ. Magic. cap. 3.*

ARTICULUS VI.
De Dei erga Mundum providentia.

NOn ſufficiebat Supremo hæc omnia produxiſſe, niſi ſub ejuſdem manerent gubernio. Providentiæ ergo ſubdidit. Hinc ſubſtantiarum, & virtutum in rebus conſervatio, omnium pro libertate voluntatis diſpoſitio, univerſorum ſapiens ordinatio. In ea fines conſtituuntur legitime, media ad finem diſponuntur exquiſitiſſime, diſpoſita diriguntur ſapientiſſime. Aſſerta providentia hæc à Stoicis, ſic crebro, ſic valide, ut ludus, jocuſque adverſariis fuerint, qui hanc *fatidicam anum Stoicorum* appellabant. Pulcherrime *Epictetus* apud *Arrianum*. *Quod ad DEOS attinet, ſunt qui negent ullum Numen eſſe; ſunt qui eſſe docent, ſed ignavum, incurium, & nulli rei providere. Sunt tertii, qui & eſſe, & providere, ſed non niſi magnis & cæleſtibus, terrenorum autem nulli. Quarti, & cæleſtibus, & terreſtribus, ſed univerſis duntaxat, non autem ſingulis*

gulis & unicuique ſeorſim. At quinti, in qua parte Vlyſ-ſes & Socrates aſſerunt, ſtatuuntque QVOD TE O DEVS, NEC IN MINIMO MOTV LATEAM, AVT FALLAM. Nihil igitur fortunæ in hoc corpore loci, nihil temerario, cæcoque impetui. Spargit æterna illa lux quaquaverſum ſuos radios, & uno eodemque ictu ſinus omnes, & abyſſos penetrat cœli, terræ, maris: nec præeſt ſolum divinitas hæc rebus omnibus, ſed ineſt.

CAPUT II.
DE COELO.

PRimum inter corpora locum cœlo dedere ſapientes; tum quia ſimplex, tum quia ſupremo poſitum faſtigio principatum obtinuiſſe videbatur. Eandem cum ſublunaribus habere naturam, ſcripſere quidam: nec injuria. Panni inſtar veteraſcere aſſerit ſcriptura *Pſal.* 102. & videtur novarum ſtellarum innuere generatio. His, totum hoc ſpacium, quod à terra ad ſtellarum fixarum locum porrigitur, aëre confertum eſt, tanto ſubtiliore, leviore, & calidiore, quanto ad illum accedat proprius, &c. Molem ſi attendis, maximum inter cætera corpus cœlum eſt, terra puncti inſtar ad illud. Numerus intra unitatem conſiſtit; in orbes tamen varie diſtinxere Aſtronomi. Placuere *Eudoxo* viginti tres, *Calippo* triginta, *Ariſtoteli* quadraginta ſeptem, *Ptolomæo* triginta & unus, *Regiomontano* triginta tres. Decem eſſe communis eſt opinio, quibus ſi cœlum cœlorum addideris, (Marmoris mundi tabulam Aquiba vocavit. *Maimo. lib. perplex.*) undecim conſurgent. Decimi inter eos ſtupenda ratio. Nam & decies majorem octavo, & globo terreno 1960. contendunt, & viginti quatuor horis 469562845. conficere milliaria ajunt. *Bodin. l. 5. Theatr.* Nec parva noni miracula. Centum annis uno progredi gradu dixere Veteres, quadraginta quatuor minutis animadvertere Neoterici. Hinc periodus, qua motus ejus abſolvitur, 49000 annorum conti-

continet, ſi *Alphonſo* credimus, 25816, ſi *Copernico*. Anni Magni & Platonici nomen periodo inditum; Admiranda Machina! ad quam ſi maximum quodque inter mortalia accommodaveris opera, minus quam nihil erit. Hinc ne rueret, fuſum quendam finxit *Plato lib.* 10. *de Republ.* ex lumine adamantinum, octo contentum verticillis, & ab eo illi pendet Cœlum: Sed miſer quorſum id? Eſt qui ſuſtentat. Data à primordio ſtabilitatis potentia: Abibit tamen & hæc in fumos; quamque nihil ſit ſtabile, mundi quod clauditur terminis, oſtendet.

CAPUT III.
DE STELLIS.

ARTICULUS I.
De Stellarum viribus, & nutrimento.

STellas in aëre è catenis aureis pendere dixit *Machumetes*; inſertas cœlo ab opifice lucidas, & globoſas, in tempora & ſigna datas, piè agnoſcimus; lucere, & virtutem inferioribus communicare, omnibus ferè notum. Ex radiorum autem emiſſione, hæ aſtrorum in inferiora vires; voluntas humana, & artificioſorum opera, ab hoc remota cenſu. Nulla in his novarum qualitatum mixtio, corpori tantum jam ante conformato accidentaria inducitur ſpecies. Expers illa Elementorum, ſi quid patitur, mediantibus corporis fit organis; quorum temperamentum mores de facili ſequuntur. Commentum ergo collige. *Certo cœli poſitu formatos characteres valentiore de cœlo commoveri potentia.* Falſo, *Plato, Animas antequam in corpora hæc deſcendunt, ſtella cuipiam mancipatas.* Tricæ. Singulis ſydera attributa nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, ac pro ſorte cujuſque lucentia *Plin. lib.* 2. *Hiſtor. Natur. cap.* 8. *Non tanta cœlo nobiſcum ſocietas, ut noſtro fato mortalis ſit ille quoque ſyderum fulgor.* Sortes noſtræ in manu Domini. Nugæ, *Iacobum* in tabulis cœli, facta filiorum legiſſe.

giſſe. Facetè *Morus de Candido* in Epigrammat.

Sæpè ſuam inſpectis uxorem Candidus aſtris,
Prædicat en vates omnibus eſſe bonam.
Inſpectis iterum, poſtquam uxor adultera fugit,
Prædicit vates omnibus eſſe malam.
Omnibus ergo uxor quod ſe Tua publicat; id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla monent.

Ait quædam de nutrimento ſtellarum: *Cleomedes in libris* κυκλικῆς θεωρίας citante Dalechampio, & notarunt eadem Stoici. *Laertius* (apud *Lipſium in Manud. ad Phyſiol. Stoicam*) *Nutriri, atque ali hac ignita (ſolem & lunam) & cætera ſydera Solem quidem è magno mari, quod ſit fax, & accenſio quadam intellectu prædita. Lunam autem ex aquis dulcibus, & potabilibus, quod ſit aëri permixta, & vicina terræ.* Ideo providentiæ *Macrobius in ſomnium Scipionis* adſcribit, quod ſub Zonâ torridâ locatus Oceanus; *Vt omnis nimirum latitudo, qua Sol cum quinque vagis, & Luna ultro citroque diſcurrunt, habeant ſubjecti humoris alimoniam.* Abſurda fronte primâ ſententia? ſenſit tamen & *Ambroſius (lib. 2.) Hexam. cap. 3. nec Libavius (l. 5. de Origine rerum)* abhorrere videtur. *Communis mundo ſupereſt rogus*, inquit *Lucianus*. Hæc combuſtio unde niſi deficiente humore? Is deficere non poteſt, niſi in nutrimentum. Vide tamen aſtralem ſtatuas, per ætherei ſpiritus in naturam ſyderum aſſumptionem.

ARTICULUS II.

De Stellarum fixarum luce, magnitudine, motu.

STellas fixas Octavus orbis habet, illaſque numero innumero. Diu obſervatæ mille viginti duæ; quas aſteriſmis expreſſere Phœnices. Septuaginta quatuor *Braheus* addidit, quatuordecim circa polum antarcticum *Houtmannus Bartolin. de Cælo capite 3.* Magnitudo etiamſi diverſa; major tamen terrâ, ſextæ magnitudinis ſi excipias. Diſtantiam ingentem magnitudo dabit: tanquam ſcintillas nos intuemur, at

14000.

14000. ſemidiametros terreſtres numerant Aſtronomi. Lux illis nativa, noctu ſeſe mortalibus oſtendit: non quod interdiu Solis radiis extinguatur: ſed quod illuſtratum medium ſpeciem valentiorem recipit, minor & debilis per medium non ſentitur delata. *Scalig. Exer.* 61. Viſas & die Hiſtorici notarunt, haud ſine indicio. *Commodi* temporibus per totum diem apparuere, in longum quædam productæ, ac ſi aëri infixæ eſſent. Strages inſecuta Parthorum, bella civilia, & quinque Cæſarum intra annum internecio. Idem Conſtantii viſum imperio, ab ortu ad Meridiem: Sub exitu Sol primum cornutus apparuit, inde medius; Eccliplis fuiſſe exiſtimatur. Duas Mediolani vidit *Cardanus* (*lib.* 14. *de variet. rerum cap.* 70.) Vnam anno 1511. & pulſi Italiâ Galli: alteram 1535. Franciſci Sforriæ mors ſecuta; quia ſine liberis, mutatus princeps, CAROLVS imperium accepit. Nona denique Iunii an. MDCXXX. viſa una in Anglia ante meridiem; cum gratiæ Deo propter nativitatem Principis Walliæ agerentur. Viſam eandem eodem tempore Diepæ in Galliâ à Gallis quibuſdam accepimus. Venerem fuiſſe quidam exiſtimant. In motu res mira; præter proprium, qui fit à Septentrione, in Meridiem ſuper Arietis, & Libræ principium, ab occaſu in ortum à ſphæra nona trahi dicuntur. Inde effectum, ut loco ſint motæ omnes. Retrahi quotannis uno gradu 25. minutis viſum *Braheo*. *Meto*, qui centeſimo trigeſimo poſt *Thaletem* floruit anno, Arietis ſtellam in æquinoctio deprehendit. *Timochares* duobus gradibus conſequi. *Hipparchus* quatuor, minutis novem; *Ptolemæus* ſex, minutis quadraginta; *Albategnius* octodecim, minutis duodecim. *Alphonſus* viginti tribus, minutis quadraginta octo. *Vernerus* viginti ſex, & quinquaginta quatuor: *Bodinus* viginti octo, viginti minutis. Illuſtre de ſtella polari in extrema cauda Cynoſuræ. *Hipparchus* duodecim gradibus à polo mundi diſtantem vidit, quatuor nos hodie. Cum attigerit periodum futuram quam Deus naturæ præſcripſit, putat *Molinæus*: intra quingentos vel ſexcentos annos fieri poſſe addit. *Cardanus* capita motuum hujus orbis, non modo in contrariis locis futura anno milleſimo

mantque ſeminalem naturam. Cumque omnia eſſent indirempta & incompeſita, ſeparata ſunt; levia in altum, gravia in imum, in arenâ humida, diviſis omnibus per ignem & appenſis Spiritu ut vehantur. Et apparuit cœlum in circulis ſeptem, & dii aſpectibus aſtrorum apparentes cum ſuis omnibus ſignis, & diſtinctus & cum deis, qui in ipſo ſunt, & circumſcriptus eſt ambitus aëre circulari vago Spiritu divino vectus. Protulitque unuſquiſque Deus per propriam virtutem, quod imperatum fuit ei; natâque animalia quadrupedia, reptilia, aquatica, volucria, omniſque ſatus ſeminalis: & fænum & flores, omniſque herba, ſemina regenerationis in ſe ipſis continuerunt, & generationes hominum ad cognitionem operum divinorum, &c. At veriſſimè *Moſes*, Geneſ. cap. 1.

Prima dies cœlum & terram lucemque creavit:
Altera diſtendit ſpatium, diſcrimen aquarum:
Tertia ſecernens undas, dat gramina terris:
Quarta creat Solem & Lunam, cœleſtiaque aſtra:
Quinta dedit piſces, eadem genus omne volantum:
Sexta tulit pecudes, hominem quoque, quem DEVS ipſe
Condidit, inde operis requies lux ſeptima fulſit.

Danaus in Phyſ. Chriſtiana.

ARTICULUS III.

De Vnitate, Figura, & Anima Mundi.

VIſum *Democrito* & *Empedocli* ex minutis quibuſdam, & inſecabilibus ſeminibus alios ſubinde Mundos naſci. Hinc querela *Alexandri*, quod ne uno quidem ſit potitus. Infinitos ſucceſſivè ſtatuit Origines (περὶ ἀρχῶν.) Elementarem ſingulis ſeptem millenariis condi, cœleſtem intra annos quadragies novies millenos. Sabbathum quippe terræ, & annum jubilæum ſeptimo quoque anno, & anno demum quadrageſimo nono recurrere ſolitum. Tangit hanc ſententiam Leo *Hebræus Dialog. de Amore*, dum

dum inquit, *Mundus inferior ex priſcorum Theologorum ſententia, ſeptem millium annorum ſpatio generatur, corrumpitur, renovatur.* At quia nil tumultuariè in eo volvi videmus; nec extra eum poſitum quicquam, quorſum egrederemur ex ipſo? Certè deſiderio finis, eadem ſemper in termino cogitationis occurrit quæſtio. Vnicum igitur dicimus. Figuram ejus ad pellis extenſæ modum planam, & late porrectam voluit *Baſilius. Plato* ad figuræ ſimilitudinem circumvexam & multis angulis faſtigiatam undique accedere. *Sanchuniates Beritius* antiquiſſimus Phœniciæ rerum ſcriptor, ὅμοιον τῷ ὠῷ σχήματι. Itaque initiis & orgiis Bacchi, ovum tanquam imago mundi religioſiſſimè colebatur. Quidam litteræ ω, in quâ extremum lineamentum Oceanum repreſent. *Dalechamp. ad lib. 2. Plin. hiſt. cap. 3.* In ſpeciem orbis abſoluti globatum eſſe, non tantum nomen, & conſenſus mortalium orbem appellantium; ſed oculorum quoque probatio, quod convexus mediuſque quacunque cernatur, oſtendit: *Plato. A quo animante omnes reliquos contineri voluit animantes, hunc eâ formâ figuravit, quâ unâ omnes reliqua forma concludantur.* Animal eum eſſe ſenſu, & ratione præditum *Stoici* voluerunt. Inde nata deſcriptio per partes. *Stellæ*, (inquit *Plutarchus de facie in orbe Lunæ*) *ſicut oculi lucentes in facie univerſi, orbem ſuum peragunt. Sol vi præditus cordis; Vt hoc ſanguinem & ſpiritum: ſic diffundit ex ſe vegetantem calorem & lucem. Terra & Mari Mundus ut animal ventre & veſica utitur. Luna inter ſolem & terram, ut inter cor & ventrem, velut jecur, aut aliud molle viſcus eſt, & reſpirationes illius excoctione aliqua, & purgatione attenuans diffundit.* Eleganter, haud verè. Nulla certè huic ex noto genere anima. Si quam adſcribimus, vis quædam diffuſa erit, rebus omnibus communis, proportione animam dicemus. Quod enim illa in corporibus, hoc ipſum in univerſo diſperſa. *Combach. in Phyſ. cap. de Mundo.*

ARTI-

ARTICULUS IV.
De duratione Mundi præterita, & futura.

DVratio Mundi, & præterita, & ſubſequens à multis inquiſita; nihil conſtitutum certi. *Ægyptii,* jam olim 48000. annorum hiſtoriam vendicabant, Chaldæi 470000. Inde Orientales 700000. Ægyptios diſſenſus convincit. Viginti millia *Soloni* quærenti unus retulit; alter tredecim, *Herodoto.* Chaldæi intra 48863. octingenta triginta duo tantum, extitiſſe luminaria, aſſerunt: nugas eſſe Vranologia oſtendet. Abſque hoc foret, *Diodorus* tamen *Auguſti* ætate, pervestigatâ ſummâ Ægyptiorum antiquitate, vix quatuor comperit millia. *Calliſthenes Ariſtotelis* ex ſorore nepos, Chaldæorum non duo millia; refert id *Simplicius.* Inter noſtros Chronologos incerta Chriſtiana Epocha, nec datur tam illuſtris radius, qui nebulas diſcutiat. *Abraham Bucholzerus* cum *Mirandula*, & *Reuſnero*, conditum ante Epocham dictam annis 3970 aſſerit, *Buntingius* 3968. *Mercator* 3967. *Scaliger* 3947. *Beroaldus* 3929. *Brugtonus* 3928. *Pareus* 3927. *Pavellus* 4022. Penes *Scaligerum* hactenus palma; ſed & ejus imperfectio à *Pavello* oſtenſa creditur. Major de fine incertitudo. *Macrobius* 15000 annorum ſpacio eum definit. *Orpheus* 120000. *Caſſander* ad tricies ſexagies centena millia computat. *Beroſus* ex teſtimonio *Senecæ* arſura terrena contendit, cum omnia in Cancro convenient ſydera; futurum in Capricorno diluvium. Inter Chriſtianos *Liborovio* annus 1666. placet. *Roſtino* 1656. (*Libav. in declam. de comet. anni.* 1604) *Cuſano* 1700. vel ſaltem ſpacium 1734. antecedens. *Vt poſt primum Adam* (verba Cuſani) *venit in trigeſimo quarto jubilao conſumptio peccati per aquam diluvii, in diebus Noha juxta Philonem: ita conjicimus, quod poſt ſecundum Adam in trigeſimo quarto jubilao veniet conſumptio peccati per ignem.* (*Nancelio citante in Analog. Microcoſmi cum Macrocoſmo l. ult.*)

Augu-

Auguſtinus, *& Lactantius* ſex millibus annorum definitam approbant domum. Incertus *Alſtedio* terminus, non ante annum Chriſti 2694. certum (in *Theſauro Chronolog. cap. 6. & Diatrib. de mille annis*) Chiliades aliquot quidam amicus ſomniat. Aliter *Napeirus*, aliter *Copernicus*. Quid nos ad hæc? Non hominum dicere iſta, quia nec ſcrutari, nec ſcire; nec Angeli norunt nec hominis novit filius. In ſuâ hæc pater ſervavit poteſtate temporā. Verè *Thom. Omnes qui volunt determinate de mundi fine loqui, tempus præfigendo, falſi reperti ſunt; & reperientur in futurum, qui hoc prænunciant.* Incertum utut tempus, at certus interitus. Sacra oracula: *Cœlum, & terra tranſibunt: Luca* 21. 23. Antecedentia ſigna Chriſtus apud *Matthæum* 23. prædixit. Modum in diluvio, & ἐκπυρώσιν poſuere *Stoici*; conſentire videntur Ebræi. Nam quadraginta cubitos ſupra altitudinem montium elatum iri mari aſſerunt. (*Petrus Comeſtor apud Nancelium*) *Ariſtoteles*, & *Plato* univerſaliter negant. Chriſtianis ex ſacris mundum diluvio interiiſſe notum, poſterius expectatur. Verè enim *Petrus* 2. *cap.* 3. *Cœli qui nunc ſunt, & terra igni reſervati in diem judicii.* An verò alter per eſſentiam Mundus futurus ſit; an renovatus hic, in quo vivimus, dubitatur. Figuram mundi tranſituram dictum *Apoſtolo:* Sancti Patres *Baſilius*, *Euſebius*, &c. immutationem innuunt; & nomine porticus *Seneca*. *Omne animal ex integro generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illu quoque* (addit) *innocentia non durabit, niſi dum novi ſunt: cito nequitia ſurrepet.* Diſcernimur, quod innovationes æternas facit, nos non admittimus. Cenſura *Tatiani* adverſus gentes. *Corpus aliquis DEVM ſtatuit? ego incorporeum. Incorruptibilem Mundum? ego corruptibilem. Exuſtionem per vices temporum advenire? Ego ſemel & in univerſum.*

Arti-

ARTICULUS V.

De occultis Corporum naturalium qualitatibus.

DIxi naturalia corpora mundo contineri, jam ita ordinata dico, ut & propriis quæque gaudeant & in quibuſdam participent. Natura omnibus indita, loco continentur, tempore menſurantur, numero definiuntur, oriuntur, intereunt, moventur, augentur, minuuntur, agunt, patiuntur. Admirandæ inter cætera qualitates occultæ, ſecundum quas vel conſenſus eſt in rebus, vel pugna & diſſenſio; Sympathiam, & Antipathiam dixêre Philoſophi. Harum cauſas primæ & ſecundæ qualitates ignorant; exempla per univerſum naturæ ſparſa campum. Inſanus Elephas ariete conſpecto manſueſcit, viſo ringitur Rhinocerote. Ovium à Lupo admorſarum carnes teneriores, ſed lana earum etiam texta pediculos gignit. Exanimata fere jumenta, & extincti viribus homines, objectu panis revocantur. *Peucer. de divin. ſect. de Aſtrolog.* Moritur Porphyrio conſpectâ meretrice. Pici herba cuneos adactos expellunt. Dictamno cervus extrahit ſagittas. Tarantulæ venenum certo Muſicæ ſono, & admorſorum ad numeros depellitur ſaltu: *Alexander ab Alexand. lib. 2. genial. dierum.* Ad felis præſentiam multis excuſſus ſudor. *Quercetan. in diætica:* ad phormingis ſonum urina. *Scalig. Exer. 344. ſect. 6.* Malorum aſpectu quidam è convivio exactus eſt, ſi *Quercetano* credimus. Puero cuidam ovis comeſtis labia intumeſcebant, facies nigris conſpergebatur maculis. *Marcell.* Monachus apud Luſitanum roſæ exanimabatur odore. Panes, & carnes alter abhorrebat, ſolis nutritus ovis. Vetulam in convivio cum quidam conſpiceret, non tulit; cumque vi cogeretur, pro mortuo elatus eſt. Exanimatus quidam ad capillitii compturam. Demophon Alexandri ſtructor in ſole, vel balneo algebat in umbra calebat. Idem cuidam motioni adſcribitur, qui

qui æſtate pellibus ſe veſtiebat, nudabat hyeme. Canis Pontani gallorum rejiciebat carnes: Scholtzii audiens nervos teſtudinis intendi, miſere lamentatus eſt. Cum verò jam in concentum redacti, numeros è ſonarent, tacuit. Cætera non tango. *Libavius de Antipathia rerum.* Cauſa horum omnium occulta. Conſtat tamen inſignes ab iis oriri qualitatibus, quæ & formis congruunt, & harum vi cientur. Cognitio verò virium occultarum pars Magiæ naturalis eſt; in qua cautione opus inſigni. Multi vana, falſa, ſuperſtitioſa, harum ornarunt titulo. Heliotropium facere inviſibiles, & argento vivo inter duas poſito cannas impediri veneficia, ſcripſit *Alvernius lib. de univerſo.* Rutam furto ſublatam, & Ocymum cum conviviis plantatum uberius provenire, reliquit *Trieſius de Dæmonum deceptionibus*; addidit; ſeptem certæ herbulæ grana in ſympoſio jacta convivas ad ſanguinea provocare certamina. Vana hæc, refutantur dum oſtenduntur. *Delrius lib. 1. diſquiſ. Magic. cap. 3.*

ARTICULUS VI.
De Dei erga Mundum providentia.

NOn ſufficiebat Supremo hæc omnia produxiſſe, niſi ſub ejuſdem manerent gubernio. Providentiæ ergo ſubdidit. Hinc ſubſtantiarum, & virtutum in rebus conſervatio, omnium pro libertate voluntatis diſpoſitio, univerſorum ſapiens ordinatio. In ea fines conſtituuntur legitime, media ad finem diſponuntur exquiſitiſſime, diſpoſita diriguntur ſapientiſſime. Aſſerta providentia hæc à Stoicis, ſic crebro, ſic valide, ut ludus, jocuſque adverſariis fuerint, qui hanc *fatidicam anum Stoicorum* appellabant. Pulcherrime *Epictetus* apud *Arrianum*. *Quod ad DEOS attinet, ſunt qui negent ullum Numen eſſe; ſunt qui eſſe docent, ſed ignavum, incurium, & nulli rei providere. Sunt tertii, qui & eſſe, & providere, ſed non niſi magnis & cæleſtibus, terrenorum autem nulli. Quarti, & cæleſtibus, & terreſtribus, ſed univerſis duntaxat, non autem ſingulis*

gulis & unicuique ſeorſim. At quinti, in qua parte Vlyſſes & Socrates aſſerunt, ſtatuuntque QVOD TE O DEVS, NEC IN MINIMO MOTV LATEAM, AVT FALLAM. Nihil igitur fortunæ in hoc corpore loci, nihil temerario, cœcoque impetui. Spargit æterna illa lux quaquaverſum ſuos radios, & uno eodemque ictu ſinus omnes, & abyſſos penetrat cœli, terræ, maris: nec præeſt ſolum divinitas hæc rebus omnibus, ſed ineſt.

CAPUT II.
DE COELO.

PRimum inter corpora locum cœlo dedere ſapientes; tum quia ſimplex, tum quia ſupremo poſitum faſtigio principatum obtinuiſſe videbatur. Eandem cum ſublunaribus habere naturam, ſcripſere quidam: nec injuria. Panni inſtar veteraſcere aſſerit ſcriptura *Pſal.* 102. & videtur novatum ſtellarum innuere generatio. His, totum hoc ſpacium, quod à terra ad ſtellarum fixarum locum porrigitur, aëre confertum eſt, tanto ſubtiliore, leviore, & calidiore, quanto ad illum accedat proprius, &c. Molem ſi attendis, maximum inter cætera corpus cœlum eſt, terra puncti inſtar ad illud. Numerus intra unitatem conſiſtit; in orbes tamen varie diſtinxere Aſtronomi. Placuere *Eudoxo* viginti tres, *Calippo* triginta, *Ariſtoteli* quadraginta ſeptem, *Ptolomæo* triginta & unus, *Regiomontano* triginta tres. Decem eſſe communis eſt opinio, quibus ſi cœlum cœlorum addideris, (Marmoris mundi tabulam Aquiba vocavit. *Maimo. lib. perplex.*) undecim conſurgent. Decimi inter eos ſtupenda ratio. Nam & decies majorem octavo, & globo terreno 1960. contendunt, & viginti quatuor horis 469561845. conficere milliaria ajunt. *Bodin. l.* 5. *Theatr.* Nec parva noni miracula. Centum annis uno progredi gradu dixere Veteres, quadraginta quatuor minutis animadvertere Neoterici. Hinc periodus, qua motus ejus abſolvitur, 49000 annorum conti-

continet, ſi *Alphonſo* credimus, 25816, ſi *Copernico*. Anni Magni & Platonici nomen periodo inditum; Admiranda Machina! ad quam ſi maximum quodque inter mortalia accommodaveris opera, minus quam nihil erit. Hinc ne rueret, fuſum quendam finxit *Plato lib.* 10. *de Republ.* ex lumine adamantinum, octo contentum verticillis, & ab eo illi pendet Cœlum: Sed miſer quorſum id? Eſt qui ſuſtentat. Data à primordio ſtabilitatis potentia: Abibit tamen & hæc in fumos; quamque nihil ſit ſtabile, mundi quod clauditur terminis, oſtendet.

CAPUT III.

DE STELLIS.

Articulus I.

De Stellarum viribus, & nutrimento.

STellas in aëre è catenis aureis pendere dixit *Machumetes*; inſertas cœlo ab opifice lucidas, & globoſas, in tempora & ſigna datas, piè agnoſcimus; lucere, & virtutem inferioribus communicare, omnibus ferè notum. Ex radiorum autem emiſſione, hæ aſtrorum in inferiora vires; voluntas humana, & artificioſorum opera, ab hoc remota cenſu. Nulla in his novarum qualitatum mixtio, corpori tantum jam ante conformato accidentaria inducitur ſpecies. Expers illa Elementorum, ſi quid patitur, mediantibus corporis fit organis; quorum temperamentum mores de facili ſequuntur. Commentum ergo collige. *Certo cœli poſitu formatos characteres valentiore de cœlo commoveri potentia.* Falſo, *Plato, Animas antequam in corpora hac deſcendunt, ſtella cuipiam mancipatas.* Tricæ. Singulis ſydera attributa nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, ac pro ſorte cujuſque lucentia *Plin. lib.* 2. *Hiſtor. Natur. cap.* 8. *Non tanta cœlo nobiſcum ſocietas, ut noſtro fato mortalis ſit ille quoque ſyderum fulgor.* Sortes noſtræ in manu Domini. Nugæ, *Iacobum* in tabulis cœli, facta filiorum legiſſe.

14000. ſemidiametros terreſtres numerant Aſtronomi. Lux illis nativa, noctu ſeſe mortalibus oſtendit: non quod interdiu Solis radiis extinguatur: ſed quod illuſtratum medium ſpeciem valentiorem recipit, minor & debilis per medium non ſentitur delata. *Scalig. Exer.* 62. Viſas & die Hiſtorici notarunt, haud ſine indicio. *Commodi* temporibus per totum diem apparuere, in longum quædam productæ, ac ſi aëri infixæ eſſent. Strages inſecuta Parthorum, bella civilia, & quinque Cæſarum intra annum internecio. Idem Conſtantii viſum imperio, ab ortu ad Meridiem: Sub exitu Sol primum cornutus apparuit, inde medius; Ecclipſis fuiſſe exiſtimatur. Duas Mediolani vidit *Cardanus* (*lib.* 14. *de variet. rerum cap.* 70.) Vnam anno 1511. & pulſi Italiâ Galli: alteram 1535. Franciſci Sfortiæ mors ſecuta; quia ſine liberis, mutatus princeps, CAROLVS imperium accepit. Nona denique Iunii an. MDCXXX. viſa una in Anglia ante meridiem; cum gratiæ Deo propter nativitatem Principis Walliæ agerentur. Viſam eandem eodem tempore Diepæ in Galliâ à Gallis quibuſdam accepimus. Venerem fuiſſe quidam exiſtimant. In motu res mira; præter proprium, qui fit à Septentrione, in Meridiem ſuper Arietis, & Libræ principium, ab occaſu in ortum à ſphæra nona trahi dicuntur. Inde effectum, ut loco ſint motæ omnes. Retrahi quotannis uno gradu 25. minutis viſum *Braheo. Meto*, qui centeſimo trigeſimo poſt *Thaletem* floruit anno, Arietis ſtellam in æquinoctio deprehendit. *Timochares* duobus gradibus conſequi. *Hipparchus* quatuor, minutis novem; *Ptolemaus* ſex, minutis quadraginta; *Albategnius* octodecim, minutis duodecim. *Alphonſus* viginti tribus, minutis quadraginta octo. *Vernerus* viginti ſex, & quinquaginta quatuor: *Bodinus* viginti octo, viginti minutis. Illuſtre de ſtella polari in extrema cauda Cynoſuræ. *Hipparchus* duodecim gradibus à polo mundi diſtantem vidit, quatuor nos hodie. Cum attigerit periodum futuram quam Deus naturæ præſcripſit, putat *Molinaus:* intra quingentos vel ſexcentos annos fieri poſſe addit. *Cardanus* capita motuum hujus orbis, non modo in contrariis locis futura anno milleſimo

octingenteſimo ait; ſed & contrario motu. Inde magnam in Chriſti lege, ex eo mutationem futuram colligit, *de variet. rerum lib. 2. cap. 3.*

CAPUT IV.

DE QUINQUE PLANETIS.

STellæ errantes Planetæ dicuntur; quorum ſeptem priores numeravere, quatuor circa Iovem addidere moderni, haud circa Saturnum pauciores. Orbis unicuique ſuus, nodis, Epicyclo, & æquante conſtans. Motus præ cæteris liberior: modò ſalutant mortalia, deſerunt modo. Hinc augis, & abſidis, perigæorum, & apogæorum apud Aſtronomos nomina. Tanta verò ejus difformitas, ut Saturno XXX debeantur anni, Iovi XII, II. Marti, trecenti ſexaginta dies Veneri, totidem Mercurius repoſcat. *Illa ſydus ipſis cognominibus Solis & Lunæ æmulum. Præveniens quippe, & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut Sol alte diem maturans: contra in occaſu refulgens nuncupatur Veſper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Plin. lib. 2. cap. 9.* Cauſam vagi decurſus Soli adſcripſere nonnulli; qui radiis ſuis, vel propellat ſuperius, vel removeat ad latus, vel ſecedens in ſuis manere patiatur locis. Influxus inſignes, medicamenta, balnea, phlebotomiæ, plantatio, operum electio, aëris mutatio, ad horum, à quibuſdam exiguntur, poſitus. Obſervatum, peſtem Saturni per Leonem, aut Sagittarium decurſu, circa Wittebergam exaſperari, Martis ſedari acceſſu; Norinbergenſibus ex Geminorum, aut Sagitrarii idem intentari ſignis. Quibus lumina cardinibus inſidentia Mars & Saturnus quadratis impetunt radiis, brevis vitæ ſunt; nutritionis ſi exceſſerint annos, arduum, juventæ conſpicere florem. Auget vires conjunctio. Si aliquo naſcente Mars & Venus concurrunt, contaminatur concupiſcibilis; magis, ſi in Capricorno, & adſit Mercurius. Coitu Martis, Mercurii, & Lunæ arguta ſed ſubdola redduntur ingenia, *Peucerus l. de Divinat. ſ. de Aſtrologia.* Verum hæc minor eſt conjunctio. Magna illa, quam nobis Saturnus & Iupiter adferunt, Septuageſimo anno, ducen-

ducenteſima una accidit die. Percurruntur ſigna Zodiaci, ut ſub primi initium conventus, fiat conjunctio planetarum; revolutionem dixere petiri. *Alſtedius in theſauro Chronologico.* Septem à mundi numerantur conditu, & ſine comitatu nullam extitiſſe inſigni, conſtans dedit obſervatio. Heroica erant primâ conjunctione omnia: Noachi ſpernebantur conciones ſecundâ: preſſuræ in Ægypto ſummæ tertiâ: quartam ſeptendecim annis poſt, Romæ excepêre incunabula: vigeſimum ſextum Chriſti quinta annum vidit: ſextâ Pipini & Caroli donationem obtendebant Pontifices: ſeptimam in ſigno Sagittarii milleſimus ſexcenteſimus tertius, nobis fatalis attulit, annus: minimam in Leone milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus tertius. Quid hæ ſint allaturæ, Deus novit. Alias Vrbs Roma octingenteſimo ferè anno, ſub ſuis ſignificationibus igneis renovata creditur. Sub initium illius Iudæorum accidit diſperſio, quid ſi ſub finem accidat collectio? Veteres exiſtimavere vultus hujus ſeculi ſubjectos eſſe cœleſtibus, Scorpionem cœleſtem terreno imperare. Certè Theraphim Rabbi Elieſer ſtatuas fuiſſe exiſtimat, quæ ad certas conſtellationes formatæ, certis horis reſponſa dedere. Palladium illud *διοπετὲς* â Mathematico quodam *ὡροσκοπικῆς χαλκίσῃ* confectum, & humana pelle obductum fuiſſe, Iohannes Antiochenus reliquit. Crocodili imaginem plumbeam ad crocodilos repellendos Achmed Ben Tolon Calipha, igne ſolvit. *Scaliger Exercitationum centeſimo octuageſimo ſexto.* Et de Gerberto apud Malmobυrieſem quid dicitur.

CAPUT V.
DE SOLE.

ARTICULUS I.
De magnitudine & unitate Solis.

FOrtuitum globum putavit Solem *Epicurus*, & ignem ſed *γήϊνον πύκνωμα*: ferrum candens *Anaximander*: DEVM, *Peruviani*. *Aurelianus* olim princeps *Dii faciant*, *& DEVS creatus Sol*: in *Vopiſco*. Certè in Oriente ſub *Mytra* cultum nomine teſtatur *Porphyrius*.

rius in Commentario de Nymph. cultu: & omnes Deos Gentium ad Solem extendi, oſtendit *Macrobius libro 1. Saturnalium capite decimo ſeptimo.* Poſt hunc Polyhiſtor ille *Cluverius in Germania antiqua.* Quin omnium maximum eum numen (quem & μόνον ὀυρανοῦ θεὸν nuncupabant Phœnicum theologi) æſtimabant: planetis cum cæteris nutum quaſi obſervantibus. Ægyptiis priſcis dodecatemoria ſigniferi θεοὶ βουλαῖοι, planetæ ῥαβδοφόροι cenſebantur. *Scholiaſtes ad Apollonii Rhodii Argonauticon* IV. Tanta ſcilicet animis gentium ejus inſedit reverentia Planeta nobis princeps, & luminare magnum. Major enim terrâ centies ſexagies ſepties, ab eademque dum in apogæo eſt, decies centies mille, duodecies mille octingentis ſexaginta octo diſtat milliaribus. *Keckerm. in Aſtronom.* Vnus eſt, & ubi pluribus in tanta magnitudine locus? Plures tamen etiam. Vnus de quo agimus, typi cæteri & pulchræ hujus effigies, parelia vocant Phyſici. Præſagium eis ſemper adjunctum, obſervatione compertum frequenti. Anno 1514. viſi tres, ſingulis cruentus inerat gladius. Inſecuta reformatio. Totidem Tiguri anno 1528. incredibilis excepit fames. Anno 1532. Venetiis cum duabus Iridibus ſoli oppoſitis, quarum prima cito deſiit, per bihorium conſtitiſſe viſa eſt altera. *Cardan. l. 14. de variet. rerum, cap.* 70. Soles ipſi pellucidi, major ad Auſtrum, Boream minor ſpectabat, augeſcens. Anno 1314. ante bellum *Ludovici Bavari, & Frederici Auſtriaci* viſa parelia, Electorum diſſidia, & partium ſtudia ſignificavere. *Peucer. in. Meteorol.* Ante has turbas ipſi vidimus; ſubſecutus ferali crine Cometes. Imperii Neronis quia eadem initia, futurorum facilè cognoſci poterat præſagium.

ARTICULUS II.
De Solis Luce, & Ecclipſi.

LVcem Soli *Thalmudici* ſeptuplo majorem in creatione inditam judicant, poſtea amiſſam. Intenſiſſimam nos videmus & omnibus ferè imperantem. Radius

dius enim Solis illuſtrat, & vivificat omnia. Ejus vi loca auſtralia depreſſiora fieri aſſerit *Cardanus*, an verè unuſquiſque judicet. Quamvis autem Rhodi, aut Syracuſis nulla unquam dies eſt, quæ Solem non oſtendat aliqua ſui parte *Plin. l. 2. cap. 62.* Certum tamen Solis multoties intercipi lucem. Excæcato *Conſtantino* per ſeptendecim non ſplenduit dies. *Plinii* tempore per duodecim quæſitus eſt. Tempore *Leonis IV.* adeo nunquam viſus, ut mari navigantes aberrarint. *Majol. Colloq. 1.* Sed hæc tantum obnubilatio. Majus quid Ecclipſis, quando radii ſolares propter Lunam interpoſitam à nobis avertuntur. Ignota hæc barbaris; hinc Ecclipſeos Lunæ prædictione, favorem Indorum ſibi conciliavit *Columbus*. Platonis tempore capitale erat aſſerere, Lunam Solis aſpectum hominibus eripere: *Alexander Aphrodiſ. probl. 46.* Plerique à dæmonibus affici putavere, ac propterea facibus ardentibus auxilio ibant. *Archilaus* adeò fuit ignarus, ut quo die Solis defectio fuit, regiam clauderet, & filium (quod in luctu, ac rebus adverſis moris) tonderet *Senec l. 5. de benef. cap. 6.* Fit verò Ecclipſis in novilunio, ſeu conjunctione, non vera, ſed apparente, quando Sol, Luna, & Oculi noſtri ſunt in una eademque linea recta. Totalis ſi eſt, ratione partium in momento fit. Fuit, cùm Scipio cum Hannibale ad Carthaginem pugnaret & vinceret. *Zonaras tom. 2.* Idem in Auguſti morte accidiſſe *Nicephorus* teſtatur. Aliquando intra quadriennium aliquot viſæ. Bella, famem & mortes Pontificum frequentiores attuliſſe exiſtimat *Majolus*. Certum videtur bis utrumque ſex menſium ſpatio affici poſſe, quinque alterutrum: Solis verò conſpectum, etiam intra ſeptem menſium periodum, bis uni adimi poſſe terræ, *Peucer in Aſtrolog.* Placet quibuſdam tum demum cum ceſſarunt, operari: Non diſputo. Hoc certum nunquam apparuiſſe, quin aliquid denotaverint. Dum anno 3343. Ecclipſis conſpicitur; corruptiſſimus etiam regni Iudaici conſpicitur ſtatus. Anno 3350 ſeptuaginta annorum incipit Captivitas; 3360 Templum & Hieroſolyma à *Nabuchodonoſore* exſcinduntur. Sub an. 3619 Ecclipſi, ſtellæ circa meridiem conſpiciuntur, & bel-

 lum

lum Peloponeſiacum cum Athenienſibus incipit. An. 360 poſt Chriſtum uſque ad meridiem Sol deliquium paſſus eſt, 591 etiam. Quid ſubſequutum? Primatum Pontificis *Phocas* confirmat: 622 nefandus ſua ſemina ſpargit *Mahumetes. Alſted. in theſauro Chronolog.* Anno 812 ante Caroli M. obitum, nigri coloris per ſeptem dies apparuit macula, teſte *Eginharto.* Obſcurationem Evangelii quibuſdam innuere videtur. Anno 1415. ſeptima Iunii tam horrenda fuit Solis Ecclipſis, ut aves in terram deciderent. Hoc tempore Iohannes Hus in concilio Conſtantienſi fuit combuſtus 6 Iulii: Supernaturalis illa fuit, quæ paſſionem vidit Dominicam. Plenilunio accidit, totalis & per trihorium duravit. *Dionyſius* de illa. *Aut DEUS natura patitur, aut mundi machina corrumpitur.* Hic dein communicato cum Philoſophis conſilio, aram *Ignoto DEO* extruxit, & ad concionem Pauli converſus eſt. Relatam in acta publica Romæ teſtatur *Tertullianus in Apologetico*, ſed ne ſpargeretur prohibitum. Alias uſus Ecclipſium eſt apud Chronologos inſignis, præſertim illarum, quæ cum certis circumſtantiis temporis, anni, diei, menſis, horæ, ſcrupulorum horariorum atque diſtantiæ ab aliis Ecclipſibus, ſimpliciter annotatæ, qualis eſt Ecclipſis Arbeliana apud *Curtium*, Peloponeſiaca apud *Thucididem*, Cambiſiana apud *Ptolomæum. Pavvellus in ConſilioChronologico.* Sunt enim certi limites, & characteres temporum in cœlo fixi. Hinc laudata *Calviſio* Chronologia *Scaligerana*, quod phænomena, & Ecclipſes annotatæ, ad annos ſuos mundi, ex tabulis motuum cœleſtium edantur, & ad eoſdem perveniant. Hinc *periodus Calippica* ſeptuaginta ſex comprehenſa annis, quo ſpacio Syzygiæ luminarium, novilunia, & plenilunia, & Ecclipſes ad eadem temporis recurrunt momenta. Vide de his accurate diſſerentem Clariſſ. Chronologum *Pavellum.* Ego propero ad alia.

ARTICULUS III.
De motu Solis.

EQuis Solem vehi, Oceano mergi Occidentem, bene lotum aſcendere fingunt *Machumetani:* nobis duplicem

cem ejus motum quotidiana ſuggerit experientia. Videmus ſingulis diebus oriri, & occidere, ſingulis annis ad Septentrionem & Auſtrum obliquato curſu ovalem facere figuram ſub Eccliptica tamen ita directè linea, ut ne latum quidem unguem ab ea. Complementum curſus in Zodiaco apud pleroſque variat. *Hipparchus* trecentos ſexaginta quinque dies, minus quarta diei parte illi adſcribit. *Tebetius* novem minutias quartæ diei parti deeſſe tradit. *Henricus Mechlinienſis*, eos qui luminarium deliquia, ex *Ptolomao*, aut Albategnii obſervarent tabulis, ſemper aberraturos prodidit. *Bodin. l. 5. Theatri Natura.* Vulgare eſt 365 dies, horas ſex tribuere. In iſto obliquo curſu propiorem terræ animadvertimus, dum meridionalia ſigna peragrat, remotiorem in Septentrionalibus. Ille centum ſeptuaginta octo diebus, viginti & una horis; duodecim minutis abſolvitur: hic centum octoginta ſex dies, horas octo, minutas duodecim exigit. Quia verò diſtantia Centri Eccentrici à Centro Mundi mutabilis eſt, hinc propiorem jam nobis eſſe Solem quam tempore Ptolomæi milliaribus novies mille nongentis ſcripſit *Melanthon*, & *Origanus*, vicies ſexies mille ſexcentis & ſexaginta *Copernicus*, & *Stefflerus*. *Alſted. in Theoria Planetar.* Non placet ſententia *Scalig. Exerc. 99. ſect. 2.* nec videtur veriſimile *Bodino l. 5. Theatri* in tanta diſtantiæ varietate, tam immobilem Ecclipſium manere poſſe diſciplinam. Retroceſſiſſe miraculoſe tempore Ezechiæ ſacra produnt oracula, ex umbra in ſciotetico agnitum: ſtetiſſe, & triginta ſex horarum conſtituiſſe diem *Ioſua* teſtatur hiſtoria. *Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone.* Exilire quibuſdam die Paſchatis in ortu videtur, & reſurrectioni ſanctiſſimi applaudere Triumphatoris. Si ita eſt, per integrum diem ſubſiliat neceſſe eſt, quia per integrum oritur. Interpoſito igitur hoc quicquid eſt, adſcribendum aëri, qui circa ortum vaporibus ſcatet, & ſi quando, in vere maxime propter poros apertos, plus vaporum exhalat. *Camer. Cent. 2. Memorab. p. 39.* Olim credebatur circa ſacrum promontorium *δυτικώτατον τῆς οἰκουμένης ἀπάσης σημεῖον* majore cum ſtrepitu ad oceani occidere littora; occaſum noctem ſubito inſequi

ſequi Veritatem Poſidonii obſervatio detexit, cauſam iidem vapores dedere. His infracti viſus radii velut in fiſtulam quandam diffunduntur. Strabo l. 3.

ARTICULUS IV.

De dierum, & noctium inæqualitate.

ACceſſu Solis in Horizontem dies nobis oritur; nox advenit, Sol ubi deceſſerit. Sed quia obliquo curſu agit, & terminis Tropici utriuſque mediante Æquatore cingitur, æqualitatem ſub Æquinoctiali ſervat, variatio ſequitur quocunque declinaverit: major tamen quo remotior ab Æquatore terrarum diſtantia. In Araba novi orbis Provincia, perpetua eſt dierum, & noctium æqualitas: Idem de Peru ſcripſere Geographi. *Ovetan. in ſumma.* In regione Africæ, cui nomen Gambra, Iulio menſe nox brevior non eſt horis 11, abſque aurora Sol repente oritur. Troglodítis & Africanis horarum tredecim dies creditur longiſſimus. *Strabo l. 2.* Sub ſyderum poſiti cardine, æquinoctio verno exortum Solem, autumnali vident occidere. *Mela. l. 3. cap. 2.* Hinc ſemeſtrem diem nox ſemeſtris ſubſequitur. Hollandi ad fretum Vaygats à quarta die Novembris ad 24. Ianuarii unam continuam ſub ſeptuageſimo primo gradu experti ſunt noctem. *Bertius in deſcrip. freti Vaygats.* In Laponia trium una nox menſium, nec plus tum temporis lucis, quàm quantam vel Lunæ ſplendores, vel clara dant crepuſcula. *Zigler. in Laponia.* In Norvegiæ parte extima, ne noctu quidem diurnum occulitur ſydus; in alio Aquilonari cælo, magnæ claritatis noctes, æſtivale adfert ſolſtitium. *Saxo Grammaticus.* Æquantur apud nos nox & dies, Arietem & Libram Sol dum ingreditur, protenduntur dum Cancrum, decreſcunt cum Capricornum ſalutat. Iunius menſis longiſſimum diem continere dicitur, breviſſimus 25. Decemb. adſignatur. Nocte hunc antecedente mira accidere perſuaſum curioſioribus. Olea & populus alba, & ſalicum circumagi dicuntur folia. *Macrob. l. 9. cap. 7.* Succus in arboribus ex radice ſurſum aſcendit; pomus arbor flores & fructum immaturum producit; nervi in fidibus aliis digitis

digitis pelluntur, ſonant alii: *Sueton. l. 1. ludicra hiſtoria.* muſculorum jecuſcula augentur: ſemina malorum in mediis iis incluſa in contrariam partem vertuntur. *Cicero l. 2. de divinat.*

ARTICULUS V.
De quatuor anni partibus.

DEcurſus Solis per Zodiacum annum facit; Hunc verò duplicem poſuere Mathematici. Spacium unus eſt, quo Sol à verno digreſſus Æquinoctio ad idem revertitur; eſtque dierum trecentorum ſexaginta quinque, horarum quinque, minutorum primorum quadraginta novem, ſecundorum decem. Alter quo Sol à prima ſtella Arietis digreſſus, ad eandem redit, eſtque trecentorum ſexaginta quinque dierum, horarum ſex, minutorum primorum novem, ſecundorum 23. Hunc Copernicus conſtituit, & magnas inde promeritus eſt gratias. Prioris quatuor dantur partes, Ver, Æſtas, Autumnus, Bruma. Ver & Autumnus æquinoctia faciunt; hic quidem brumale, illud æſtivale; admittitur utrumque dum Sol per æquinoctialem digreditur Circulum. Certiſſimum Veris indicium arbitrantur, ob infirmitatem animalis, papilionis proventum. *Plinius in Hiſtoria Naturali.* Æſtatem dat Cancer, in quo Sol ſuis radiis noſtros ferit vertices. Caniculæ exortu accendi, dixit *Plinius l 2. cap.* 40. Naturalius tamen diceres, tum cum Sol iter ſuum repetit, auras ventoſque excitari calentes; inde ardorem noſtris offendi corporibus. Certe ingens interdum iſte, Hiſtoricis ſi danda fides. Lego in *Liv. l. 4. Hiſt. an. Vrbis trecenteſimo vigeſimo ſecundo, non cœleſtes modo defuiſſe aquas, ſed terram quoque ingenito humore egentem, vix ad perennes ſuffeciſſe amnes. Defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivóſque ſtragem ſiti pecorum dediſſe.* Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, ſylvæ præ nimio accendebantur ardore, gleba pinguis arſit: nec ulla extingui potuit pluvia. *Meigerius.* Germanici Annales produnt, anno milleſimo CCXXVIII. tantum fuiſſe æſtum, ut meſſis terminata fuerit (verbis eorum utor) ante feſtum S. Io-

hannis Baptiſtæ. *Lipſio citante in Epiſtola.* Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Bohemica ſylva octodecim ſeptimanis arſit; Danubius ita exaruit ut multis in locis tranari potuerit; quod verò mirum eſt, nullum inde ſegetibus damnum: At an. nongenteſimo nonageſimo quarto, in fine menſis Iulii, lacus & undæ tam conſtrictæ erant glacie, ut piſces omnes fuerint emortui, & magna aquæ penuria. Calidiorem æſtatem denotari *Cardanus* putat (*de varietate rerum l.* 15. *cap.* 88.) ſi oves antiquæ in Venerem promtius in vere moventur. Autumnum tam jucundum anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto fuiſſe, ſcribitur, ut roſæ cum ſtirpibus floruerint. Bruma nobis obvenit, cum Sol Capricornum ingreditur. Horrent tum omnia, nive teguntur, conſtringuntur glacie. Præſagit intenſiſſimam in Borealibus Sol, dum ſe in nube rubente condit, ut ignis columna, & velut igneos cuſpides ſuos ejaculatur radios; illa deſcendente in atrum vertitur. *Cardan. l. c.* Vel cum res, quæ madidæ eſſe ſolent, ſicciores videntur, aut guttæ ex tectis manantes lentius cadunt. Et certè ingens interdum viſa. Annales produnt, Anno 1234 hyemem aſperrimam fuiſſe, adeò ut in Adriatico mari inſtitores Venetiani, cum oneratis ſummariis, per glaciem tranſirent. Simile *Zonaras* ſub *Conſtantino Copronymo*, in mari Pontico & freto vicino refert. *Marianus Scotus.* Anno 32. *Caroli* M, fuit gelu magnum, & amariſſimum, quo pelagus Ponti uſque ad centum milliaria in Oriente, in glaciem verſum eſt, habens cubitos à ſuperficie in profundum quinquaginta. Anno MCXXV erat *hyems* tam *valida, ut in Brabantia anguillæ innumerabiles propter glaciem è paludibus, quod mirum dictu eſt, exeuntes* (*Robertus de monte*) *in fœnilibus fugientes latuerint, atque ibi præ nimietate frigoris computruerint. Vix tandem arbores fronduerunt menſo Majo.* Aliquando tamen placidiores etiam. Anno 1215 in Decembri malus floruit Perſica: Anno 1186 in Decembri, & Ianuario, Corvi, & aliæ volucres pullos excludebant. Cæterum has anni partes diverſas tempore & duratione diverſus facit poſitus. Perpetuo damnata videntur frigore, quæ ſub polo; magis, quæ ad Æquinoctialem calent.

Æqui-

Æquinoctiali qui ſubjecti; duplicem hyemem habent gratiſſimam, Vereque gaudent duplici. Plura de his qui volet, legat *Majolum Colloq. de proprietatibus locorum.*

ARTICULUS VI.
De Vmbra Solis.

DE Vmbra Solis duo præcipuè occurrunt, Operatio, & Diverſitas. Dictu vix poſſibile, quanta illa: Optici deſcripſere accuratius. Rationem Eccliſium oſtendit, Solis magnitudinem, Eccentrorum varietatem, temporis conditionem demonſtravit, docuit climata & parallelos definire, terram rotundam ſtatuere, terrenum globum univerſi medio ſitum dicere; magnitudinem globi terreſtris conſtituere, &c. Diverſitatem exempla oſtendunt. Septentrionalibus inter Tropicum Cancri, & Arcticum, habitantibus meridianæ umbræ verſus Septentrionem ſparguntur: verſus Meridiem meridionalibus. Finmarchi, Groenlandi, & qui ultra 66 graduum elevationem ponuntur, in orbem undique volubiles conſpiciunt. *Gauricus in Geograph.* In Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam, quinque millibus ſtadiorum, ſolſtitii die medio nullam umbram jaci, puteumque ejus experimenti gratia factum, totum illuminari ſcribit *Plinius l. 2. cap. 73.* & in India ſuper flumen Hyſpaſin fieri tempore eodem. *Oneſicritus* reliquit. In Meroë Inſula, quæ eſt caput gentis Æthiopum, bis in anno abſumuntur umbræ, æſtate in Auſtrum, hyeme in Septentrionem jaciuntur. In eadem Patalis celeberrimo portu, Sol dexter oritur, umbræ in Meridiem cadunt. Conſtat denique in Berenice urbe Troglodytarum, & inde ſtadiis quatuor millibus octingentis viginti in eadem gente, Ptolomaide oppido, quod in margine rubri maris ad primos Elephantorum venatus conditum eſt, hoc idem ante ſolſtitium quadragenis quinis diebus, totidemque poſtea fieri, & per eos nonaginta dies umbram in meridiem jaci. *Plinius loc. cit.*

ARTI-

Articulus VII.
De Solis in hæc inferiora influxu.

QVantum oculus hic mundi in inferioribus luce ſua & curſu operetur obliquo, animadvertere facile erat. Nihil in anni partibus, dietum, noctium, & umbrarum varietate, quod non huic adſcripſeris. Hoc oriente illuminantur omnia; tenebris, occidente, immerguntur; florent cum acceſſit; obliquo dum aſpicit vultu, enervantur. Hæc generalia: Particularia etiam, ſi reſpicimus, vix minora. Certum enim tempeſtatum, & ſerenitatum appulſum huic etiam deberi. Circa mediam Sagittarii regionem, & Piſcium ἀστερισμῶν ſtellarum in his conſiſtentium, & orientium ope, teporem ſubjectis adflat, fuſiſque qui conſtiterant humoribus, ac terra illis diluta, fœcundos Favoniorum producit flatus, Plejadum Hyadumque in Tauro, & à Septentrione Hædorum, à Meridie vicini Orionis, atque ex adverſo decumbentis Arcturi, extimulat vires, quæ Auſtrinos flatus exuſcitant, & aliquot dierum continuis pluviis condita rigant ſemina. *Peucerus in Aſtrol.* Cum creverunt herbæ & humore iterum, ut juſta obveniat magnitudo, opus eſt, eundem per Cancri ſtellas acceſſu avocatas ſuo, promit, ac ſuppeditat. *Plinius* tempeſtatum ipſarum ex eo ſumit præſagia, *l.* 18. *cap.* 35. Ad motum pertinet quod *Scaliger* ſecundo Sole celeriores ait navigationes: *Exerc.* 86. & *Plinius l.* 2. *Hiſtor. cap.* 71. curſorem Philonidem ex Sicyone Elin mille & ducenta ſtudia, novem diei tradit confeciſſe horis: indeque quamvis declivi itinere, tertia noctis hora remenſum eſſe ſæpius. Cauſa, quod eunti cum Sole iter erat; eundem remeans obvium contrario prævertebat occurſu.

CAPUT VI.
DE LUNA.

Articulus I.
De Lunæ typis, & lumine.

LVnam Stoici πῦρ θολερὸν ϗ τειχῶδες dixere, pilam

lam altera parte candentem: altera cæruleam putavit *Cleomedes*. Matrem mundi Ægyptii vocabant, à Sole gravidam factam, fœcunda generationis principia enixam demittere, & utriuſque ſexus naturam continere putantes. *Plutarch. de Iſide & Oſiride.* Hinc cum dubitatione de ſexu veneratio, & memoriæ de Carenis traditum, ut qui Lunam fæmineo nomine ac ſexu putaviſſet nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviret: at verò qui marem Deum eſſe putaviſſet, is uxori dominaretur. *Spartianus* in *Caracalla*. Cæleſte nos agnoſcimus corpus, inter luminaria magna unum à Deo creatum. Interdum tamen binæ, interdum ternæ ut *Cn. Domitio*, & *C. Fannio Coſſ.* quos Soles nocturnos appellaverunt. *Plinius l. 3. cap. 82.* Minor eſt terra tricies novies, vel quadragies ter, ſi *Copernicum* ſequimur. Diſtat ab ea milliaribus Germanicis 44916. vel, ſi *Schrekenfuchſio* credimus, quem plerique ſequuntur, 28359. Lumen ſuum à Sole mutuatur; Hinc varia illi facies, *creſcens ſemper, aut ſeneſcens, & modo curvata in cornua, modo æqua portione diviſa, modo ſinuoſa, orbe pleno immenſa, aut ſubito nulla, eademque ſubito pranitens. Plin. l. 2. cap. 9.* Plenam typum pulchritudinis Veteres colebant. Faceta apud *Plutarchum in Sympoſio ſapientum* de decreſcente fabula. Lunam à matre ſibi petiiſſe *χιτώνιον σύμμετρον* & illam reſpondiſſe *καὶ πῶς σύμμετρον ὑφανῶ, νῦν μὲν γὰρ ὁρῶ σε πανσέληνον, αὖθις δὲ μηνοειδῆ, ποτὲ δὲ ἀμφίκυρτον.* In Biarmia nunquam niſi pleno ad terræ ſuperficiem circulo videtur, ignito colore, ſpecieque carbonis, *Olaus lib. 1.*

Articulus II.
De Macula, & Ecclipſi Lunæ.

Maculoſa ſubſtantia Lunæ eſt. Cauſam ſi quæris, partes inæqualiter compactas, dixere Sapientes. Puerum Poëtæ crediderunt, quem dilectum ſecum Luna ferat, præ pudore faciem obvelantem. Solis cum privatur lumine, fiunt Ecclipſes. Id non niſi in oppoſitione diametrali, cum Luna nullam habet evagationem

ab

ab Ecliptica, vel talem quæ eſt minor ſexaginta ſeptem minutis: & ſic umbram terræ vel ingreditur, vel effugere nequit. Putabant Veteres veneficiis cælo deduci, nec non depreſſam cogi: in herbas ſubditas, herbam & virus effundere, quibus ad Magica fœlicius utantur. Hinc cymbalorum pulſus ne carmina exaudirentur. Cæterum ut Solis, ſic nec Lunæ, ſine ſubſequenti in ſublunaribus mutatione Ecclipſes. Anno 3459. fuit una, & Darius ad Marathonem ab Athenienſibus ingenti clade vincitur. Anno 3782 altera, & Perſeus Rex Macedonum ab Æmilio Conſule ſuperatur, finiſque regno imponitur Macedonico. *Alſtedius in theſauro Chronologico.* Obſervantur à quibuſdam ſuperſtitioſius *Niceas* Athenienſis in exemplo. (*Vbbo Emmius Tomo* 2. *Veter. Græciæ.*) Cæſus ad Epipolas in Sicilia, laborante patriâ caſtra movere ſuadente Demoſthene, & Eurymedonte debuit; cum moveret, Luna defecit. In omen id à pleriſque tractum, Niceam adeò commovit, ut diceret, ante exactos ter novenos dies à Vatibus jactatos, de movendis caſtris nil ſe decreturum. *Plin. l.* 2. *cap.* 12. Fecit, & ſic opes Athenienſium afflixit. Huc refer opinionem illorum ridiculam, qui Lunam ab aſino epotam arbitrantur; quod, cum biberet, facies appareret in aqua, abeunte nube velata, videri deſiiſſet. Hinc miſer Sileni vector in carcerem conjectus, & alvo reſciſſa, ut mundo Lunam redderet, ſæviſſime exenteratus eſt. *Delrius diſquiſition. Magicar. l.* 2. *quæſt* 11. Anno 1499. circa occaſum, mutata primo fuit Luna in nigredinem, poſt in duas diviſa partes, quarum una alteri inſultabat retrorſum, utraque rubedine conſperſa. Unitæ poſt, & tanquam una occidêre. Inſecutæ multæ confœderationes, & Nobiles qui anno 1496. confœderationem inierant, Regi ſe Romanorum oppoſuerunt. *Linturius citante VVolfio in Memorabil.*

ARTICULUS III.

De Luna in hæc inferiora influxu.

INnumeri occurrunt Lunæ in ſublunaria effectus, totum ſi naturæ excutere volueris campum. Plantæ, anima-

animalia, hominumque corpora, ejus ſubjecta imperio. Refert *Palladius*, *Cardan. de Varietate lib.* 2. *c.* 13. Si Lunâ ſub terris poſitâ, ſeratur allium, & rurſus Lunâ ſub terra latente vellatur, odoris fœditate cariturum. Ajunt etiam, Ocimum prima Luna tritum, & in ollam novam inditum, ſub plenilunium ab altero capite flores emittere; quod ſi duplicato tempore ſub terra defodiatur, ſtrigones generare. Vites interdiu attracto aluntur humore, noctu augentur & creſcunt. Lilia ac roſæ noctu tantum calyces aperiunt ſuos. *Keckerm. diſput. Phyſ.* 3. *Corall.* 11. *Sola omnium capitatarum Cape, Luna creſcente augetur, juveneſcente flacceſcit, quaſi ſideris curſum peroſa.* (*Lucilius.*) Quamobrem eam Peluſiotæ in cibis execrantur. *Gellius l.* 20. *cap.* 7. Quantum ad animalia, *Savanarola* ſcripſit anno biſſextili ſterileſcere animalia. *Cardan. l. c.* Obſervatum Lunari poteſtate, Oſtrearum conchyliorumque & concharum omnia corpora augeri, ac rurſus minui: quin & ſoricum fibras reſpondere numero Lunæ exquiſivere diligentiores: minimumque animal formicam, ſentire vires ſyderis, interlunio ſemper ceſſantem. *Plin. l.* 2. *cap.* 41. Pelles vituli marini & Sobellinæ, porrectis Luna creſcente rigeſcunt crinibus, decreſcente concidunt, & langueſcunt. *Keckerm. l. c.* Hominem quod ſpectat, ſi Solem Arietem, aut Scorpionem pervagantem aliquo naſcente Luna adeat, cerebrum naſcenti ita adfligit, ut Melancholia oboriatur adulto. Interlunio nata, plerumque exſucceſcunt, calore imbuuntur acri, membraque præcipuè affecta habent omnia. *Peucerus de Divinatione.* In Lunæ qui dormiunt lumine, gravedine capitis catharriſque tentantur. *Camerar. memorab. cap.* 7. *art.* 85. Radiis enim lunaribus, cerebri dormientium humiditates liquantur; quæ in capite coërcitæ calido nativo minus ad extra actuoſo, catharros progenerant. Epilepſia plenilunio exaſperatur. Copia enim humoris halituum impedit acredinem, putredinemque: facilius minor putreſcit copia, & calor in eam agens acriores ſecundum proportionem facit halitus. *Libavius tomo* 3. *ſingul. l.* 3. *c.* 18. In eodem graviſſimè Hydropici torquentur, ideoque

que ferè omnes circa plenilunium mors habet. Certè in Martio anni 1629, quo hæc ſcribimus, Reverendum Virum D. Martinum Gratianum Eccleſiarum Reformatarum in Polonia majori Superintendentem, Currum & Equitem Iſraëlis abſtulit. Memoria ſit in benedictione. Luna Soli oppoſita vehementius inſaniunt furioſi. Qui Encephalæoſi laborant, præ nimia cerebri copia, in Lunæ oppoſitu ſuffocantur. Hinc Britanni quartâ decimâ Lunâ inſanos verberant. *Bodin. l. 5. Theat.* Rectius denique poſtero die quàm horâ conjunctionis luminarium exhibetur antepilepticum. Nam hora conjunctionis ſilet Luna, nec ſunt in alterutram partem ῥοπαὶ, ſeu momenta, proximo tempore incipit poſt eam operari in humoribus, eoſque augere. *Libav. Epiſt.* 15. ad Schnitzer.

CAPUT VII.

DE STELLIS NOVIS.

Diximus de illis quæ ordinariè à natura in cœlo fiunt; adjiciamus jam quædam, quæ ſupra naturæ curſum divina produxit dextera. Stellas novas intelligo, quæ apparuere, & perpetuæ expertes durationis, è mortalium mox evanuere oculis. Primas ſibi tribuit nativitatis Dominicæ ſtella; cui nec in firmamento, nec in æthere locum fuiſſe teſtatur *Fulgentius:* inſtabili progreſſam motu, exerto modò vultu, modò occulto reliquit. *Damaſcenus l. 2. Ortohodox. fidei.* Chalcides Platonicus, hæc de ea ſuper Timæum Platonis: *Eſt quoque alia ſanctior & venerabilior, hiſtoria, quæ perhibet ortu ſtellæ cujuſdam inſolitæ, non morbos, mortemque pranunciatam, ſed deſcenſum Dei venerabilem; ad humanæ ſervationis, rerumque mortalium gratiam, quam à Chaldæis fuiſſe obſervatam teſtantur, qui DEUM nuper natum muneribus venerati ſunt.* Ejus apparituræ ſcientiam unde acceperint, oſtendunt libri *Balaam* divinatoris, in quibus pleraque fabuloſa. *Altera* eſt quæ *anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo* apparuit. Hic verò eſt ille annus, quo Bartholomæa-

mæana Pariſiis cædes perpetrata eſt, in qua (aliis non excluſis locis) *triginta hominum millia interfecta, centum millia honeſtiſſimarum familiarum triduo oppreſſa: viduis ac pueris orbis innumerabilibus, ad ſummam, vel mendicitatem, vel inopiam redactis.* *Priſbach. in reſponſ. ad Oration. habitam apud Helvetios.* Summa. Tanta illa erat, *ut prudentiores Proteſtantium partibus minime addicti, cum ad ſe ex triſti præſentis ſtatus cogitatione ſenſim rediiſſent & factum execrantes, ejus cauſas & excuſationem curioſa veſtigatione quærerent, judicarent: Nullum ſimilis ſævitiæ exemplum, in tota antiquitate evolutis gentium annalibus reperiri. Thuan. l. 53. Hiſtor.* Apparuit vero illa ſtella 6. *Idus Novembris*, ſub Caſſiopæa aſteriſmo. Locus intra Sphæras cæleſtes in ipſo firmamento à quibuſdam datus eſt: Nec cauda illi, nec coma, ſed reliquarum inſtar æquales de ſe emiſit radios. Diameter illius continebat terræ diametrum ſepties cum una octava, & corpulentia 361 & una ſemiſſe exceſſit eandem: Solem bis cum duabus tertiis. *Tycho Brahe 1. parte Progymnaſ. Aſtronomiæ.* Hæc tamen magnitudinis & luminis eminentia, paulatim poſtea defecit, donec prorſus eſſe deſiit. Motus ejus nullus fuit, excepto eo quem cum fixis communem habuit, eadem ſemper ad vicinas Caſſiopeæ ſtellas diſpoſitione ſervata. Duravit per 16 menſes. Quid portenderit, variè à variis explicatum. *Gemma Friſius in Coſmocritica*, poſt natum Chriſtum vix aliud phænomenon ei comparandum ſcripſit, ſive ſublimitas ſigni, ſive raritas, ſive diuturnitas ſpectetur. *Britanni* ad funeſtam *Mariæ* mortem id retulerunt. *Aſtrologus quidam Oxonienſis* hujus ſententiæ author: qui per Caſſiopæam Cephæi Regis ſororem, in boreali plaga reginam aliquam denotari ajebat, & ex ſedecim menſium duratione, juxta *Arabum* neſcio quod Apoteleſma, & aſcenſu ſtellæ in ſuperiora, reginam illam Septentrionalem, poſt ſedecim annos, in cœleſtem regionem evolaturam vaticinabatur. Cui vaticinio eventus poſtea fidem adſtruxit. *Thuan. l. 54. Mollerus* novum ex ea prophetam, circa annum 1590 expectaſſe viſus eſt, Evangeliique per orbem victoriam *Liboro-*

borovius bellum anno 1619, primarii in Germania principis anno 1620 exilium, ejuſdem per Orientales anno 1627 reſtitutionem, & plura alia, ſed fallente eventu prædixit. Extat de illa pium & nervoſum clariſſimi cujuſdam viri carmen: quod ſubjungo.

Iſte novus nullo furiali crine Cometes,
Et radians puro, cui nitet igne jubar.
Ecquid portendat terris, DEVS ille Deorum
Novit, & oſtendent tempore fata ſuo.
Quod ſi humanæ aliquid poſſunt præſciſcere mentes,
Talia ſcrutari nec mihi ſigna nefas.
Hic ille eſt olim parvam Davidis ad urbem,
Duxit ab Eoo, qui prius orbe Magos:
Et qui naſcenti præluxit, nunciat idem,
Ecce redux reducem rurſus adeſſe DEVM.
Huic igitur felix ô turba applaude piorum:
Tu vero Herodes ſanguinolente time.

Menſe quinto poſt ſtellæ diſparitionem profluvio ſanguinis exſpiravit *Carolus*. Tertia eſt illa, quam annus 1577. in Novembri vidit, quæque an. ſequenti Ianuarii vigeſimo ſexto diſparuit. *Mæſtlinus* eam in orbe Veneris collocat. *Tycho* capitis diametrum habuiſſe milliaria Germanica 68 ſcribit. Erat tum in obſidione *Dantiſcum*, & ann. 1578 bellum Moſcoviticum inchoatum eſt. Magnorum virorum mortes portendiſſe creditum eſt. Certè eo anno (*Thuanus l.* 65.) poſt obſtinatam in Africa pugnam, *Sebaſtianus Rex Luſitaniæ* obiit, nec non *Meleus Cheriſius Mauritaniæ Tingitanæ Rex*, ad quem oppugnandum venerat: ſed & *Machumetes* belli incentor, in aquis ſubmerſus. Occiſa ſecto Chriſtianorum millia, totidemque capta, tota fere Luſitanorum nobilitas in Mauritanorum devenit manus. Id uno factum die, *Luſitania* poſt regnum Philippi ceſſit imperio. Anno tandem milleſimo ſexcenteſimo quarto circa principium Octobris apparuit quarta nova ſtella, in decimo ſeptimo Sagittarii gradu, uno tantum & triginta minutis ab Ecliptica remota. Ponunt eam Aſtronomi inter Sphæram Saturni, & orbem fixarum id tamen abſurdum videtur *Keckermanno* Διατριβῇ *de ſtella anni*

1604,

1604, *theſi* 53. tum quia peculiarem ſuum motum habuit, diſtinctum ab orbe Saturni, & ſtellarum fixarum: tum quia ſtellæ in & cum ſuis orbibus; illa nullum habuit. *Crabbius* expreſſe eam à centro terræ remover milliaribus 2226736, & à ſuperficie terræ 2266777. *diſput. de Cometis Theſib.* Atque inde deducit eam terra majorem nonagies ſemel: hinc ſupra Saturnum conſtitiſſe evincit; cum diſter à terra milliaribus 1007250. Fulſit quadrimeſtri toto, hinc à 28 Novemb. Saturni, à 29 Solis, à 13 Decemb. Mercurii conjunctionibus, inde Mercurii, Martis, Solis Majo proximo oppoſitionibus conſpicua: quæ magnas deliberationes, confœderationes, mutationes, per *Franciam, Hiſpaniam, Belgium, Angliam* portendere credebantur. *Thuan. lib.* 131. Oppoſitionem autem 6 Iunii factam, ut ominoſam accipiebant, bellaque & calamitates diverſas multis populis hanc ſtellam allaturam, rebantur, præſertim Germaniæ ob religionis negotium. Scripſit de ea excellens Mathematicus, & ſuperſtitioni Aſtrologicæ ex teſtimonio Thuani minime addictus, *Keplerus.* Hunc vide. Hæc phænomena ſtellas nomino; non quod neſciam ad Cometas referri, ſed quod videam in æthere inter ſecunda collocari mobilia (quod Cometis non competit) & cæleſtes vocari: tutiuſque exiſtimo ſtellarum inſignire nomine, quàm Cometarum impoſito, doctrinam illam Meteorologicam à vetuſtiſſimis hauſtam, evertere.

CAPUT VIII.

DE PRÆDICTIONIBUS ASTROLOGICIS.

Iverſorum de Aſtrologicis prædictionibus diverſa eſt ſententia. Magnifaciunt quidam; tanquam inanes rejiciunt nonnulli. Certum eſt naturales actiones, ut anni, dierum, noctium, & tempeſtatum viciſſitudines, ſuas quia certas cauſas in ſyderum habent poſitu, præcognoſci etiam ex illis. Nihilominus quia materia elementaris fluxa & mutabilis eſt, univerſales cauſas multæ

multæ particulares vincunt, plurimæ utriuſque curſus ſtellæ adhuc incognitæ, aliæ aliis aliquando viribus ſuis ſe opponunt, artifices experientiſſimi rari, ingens denique in conſtituendis domorum initiis, finibus, & proprietatibus diſtantia, errores obrepere mirum non videtur. *Bartholin. de cælo.* Quod ſi particulares, & individuas actiones attendamus, major conſequitur aberratio. Præter enim influxum aſtrorum univerſalem, particularis eſt à ſpeciali qui oritur complexione. Bonum Cœli influxum materiæ impedit indiſpoſitio: malum temperiei à parentibus traductæ bonitas. *Eſavum & Iacob* eadem cœli prolatos conſtitutione, diverſiſſimam expertos ſortem, notum. In civilibus actionibus nihil iſtis relictum loci; Elegans *Bodini* ſententia *l. 4. de Republ. c. 3. Eſt una*, inquit, *omnium Philoſophorum etiam illorum, qui otioſè quid in cælo fiat, diſputant, diſciplina; ſyderum affectione, ac poteſtate non teneri ſapientem, ſed eos tantum, qui belluarum impetu, & cupiditate feruntur, nec ſe rationis ac legum optimarum imperio duci volunt, quibus ſapientia Magiſter Salomon, rotarum tormenta acerbe intentavit.* Auſi tamen tentare plurimi. Chaldæi ex geſtis diem natalitium, ex die natalitio univerſæ vitæ colligebant fortunam: ne reſpuerentur, 470 millia annorum, in hujus artis conſumpta vendicabant experientia. Eo denique progreſſa fuit audacia, ut non minus referre jactitarint, quâ cæli facie quove modo diſpoſitis ſyderibus fundamenta ſtruerentur ædificiorum; aut texerentur, conſuerentur, induerentur veſtimẽta; quàm ex qua cæli affectione nati primum pueri. *Lucius Tarutius Firmianus*, ex Romuli rebus geſtis, vita, morte, invenit illum ſatum Olympiadis ſecundæ an. primo, Menſis die vigeſima tertia. *Peucer. de divinat. ſect. de Aſtrolog.* Natum autem vigeſima prima die menſis Toth, ſub ortum Solis; Inde etiam Romæ reperit natalem, hancque cum eſſet in jugo Luna, Sol cum Mercurio & Venere in Tauro, in Piſcibus Iupiter, in Scorpione Saturnus cum Marte, natam eſſe dixit. Hoc refer & illum, qui prima die Ianuarii, omnia prædicere voluit.

Rorida (inquit) *ſi nubes confixerit Iridis arcum*
Pacatum mundo fœdere numen erit.

Si

Si micet à cælo lampas fax, lancea, trabſque;
Fervebit longo tempore terra nimis.
Si rugiat tonitru, tranſcendent flumina ripas;
Et nautæ infauſtum fluctibus æquor erit.
Inſonet horrificum ſive intremat inclyta tellus;
Exul erit pietas, exul & ipſa fides.
Si glacies gelidas condenſet ſaxea lymphas
Parturiet ſobolem fæmina quæque marem.

Majol. Colloq. 1. *Canicular.* De talibus verum illud, Mathematici *levibus & ineptis ingeniis fallaci ſyderum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis ſuis caliginem injiciunt. Valer.* Maxim. *l.* 1. Exempla falſitatis habemus in *Niceta Choniate* prudenti alias Hiſtorico. *Noſtris*, inquit, *temporibus, Imperatores nil ſine præſcripto Aſtrologorum agunt: & rebus gerendis dies atque noctes eligunt, ut ſydera dictarunt.* Itaque Alexius Imperator diu cunctatus quando Blachernas opportune rediret; tandem dies & hora ex aſtris eliguntur. Redit & quidem ita feliciter, ut cum primum ſe moveret, terra ante ipſum profundè dehiſceret; atque ipſe evaderet, ſed Alexius gener ejus, & multi illuſtrium in ſpecum delaberentur, læderenturque: Eunuchus verò unus è gratioſis planiſſimè periret. Magis ridendum de Manuele. Ejus imperio Siculi & Latini mare occuparant vicinum Byzantio. Claſſem ille aliquoties emiſerat, ſed ſequiore fortunâ. Conſuluntur igitur Mathematici, eligitur dies felicior, parat ſe Conſtantinus illuſtris Vir, ſed iterum revocatur: quia exploraverat Princeps, parum certè & ſagaciter indagationem factam, & erroris aliquid interveniſſe. Conſtituitur igitur iterum thema, die electo Conſt. emittitur. Vix in mare progreſſus, ipſe cum ſuis capitur. *Lipſ. in monitis Polit.* Egregiam artem. Miror tamen, dum haud fruſtratos eventu lego quoſdam. *Nigidius Figulus* Auguſto Imperium prædixit. (*Xiphilinus*) *Thraſyllus* Tiberii imperium, ſuumque periculum cum in turri unà cum principe eſſet, & dejici in præcipitia deberet, prævidit. *Suetonius in Octavio.* Largius Procilus diem obitus Domitiani indicavit, *Aſcletarius* genus addidit, & quæſitus ab eo quo genere mortis ſibi pereundum eſſet? à canibus devo-

devorandum reſpondit. Factum. Quamvis enim Domitianus ad fidem coarguendam exuri ſubito juſſiſſet, & jam ureretur; ortus tamen ſubito nimbus, rogum extinxit. Spectatores diffugerunt, canes advenerunt, laniaverunt. *Suetoni. in Domitiano. Ioſephus* Antiquitatum ille Iudaicarum Scriptor, ſe imperatori Veſpaſiano, & Tito filio orbis dominium prædixiſſe ſcribit: factum ſcimus. *Petrus Leontius* Medicus Spoletanus ab aquis ſibi imminere prædixit exitium: inventus eſt in puteo ſubmerſus. *Iovius Elog.* 35. *Piſanus Archiepiſcopus* inquiſivit Aſtrologos de fato ſuo, ſuſpendio periturum prædixerunt. *Annal. Florentini.* Incredibile viſum in tanto honoris faſtigio, verum tamen. In ſeditione enim, *Sixti IV. Pontificatu*, repentino furore ſuſpenſus eſt. *Richardus Cervinus* Aſtrologus prædixerat filio ſuo *Marcello* ſummam in Eccleſia dignitatem. Hinc ille ſpe concepta, cum à Matre *Caſſandra Benna* ad nuptias invitaretur, pertinaciter recuſavit. *Nolle* ſe dictitans *clariorem longe fortunam quam ſibi aſtra calibi ac ſoluto portenderent, matrimonii vinculis commutare. Thuan. l.* 15. Factum. id *Lucius Gauricus in libro geniturarum* prodidit, qui liber, quod ſummè mirandum ſcribit *Thuan. l. c.* triennium antequam *Cervinus* Pontifex proclamatus eſt, *Venetiis apud Curtium Trojanum* publicatus fuit. Hic verò eſt ille Pontifex, qui Anagnoſte de more ſacros libros, aut patrum ſcripta ad prandium recitante dixit: *Non videre ſe, quomodo qui faſtigium hoc altiſſimum tenerent, ſaluti ſuæ conſulere poſſent.* Hæc ſunt prædictionum eventu comprobatarum exempla. Inſtinctui quaſdam adſcribit *Lipſius l.* 1. *Monitor.* pactis cum Dæmone *Delrius* quaſdam *l.* 4. *Diſquiſ. Magic. cap.* 3. *quæſtione ſecundâ.* Certum etiam permitti interdum à Deo in pœnam audientium, & illas non niſi ex accidenti veras eſſe. Vide fuſe de his agentem *Delrium.*

THAU-

THAVMATO-
GRAPHIÆ
NATURALIS
CLASSIS SECUNDA.

In quâ

ELEMENTORUM
ADMIRANDA.

Quid præcipuum in rebus humanis eſt? Non claſſibus maria compleſſe, nec in rubri maris littore ſigna fixiſſe, nec deficiente terra ad aliorum injurias erraſſe in oceano ignota quærentem: ſed animo omne vidiſſe, & quâ nulla eſt major victoria, vitia domuiſſe. Seneca, natur. quæſt. l. 3. præf.

SYLLABUS CAPITUM ET ARTICULORUM.

CLASSIS SECUNDÆ.

CAP. I. *De Igne.*
Articulus I. *De mirabili ignium ortu.*
2. *De ignibus in aquis.*
3. *De ignibus ſubterraneis.*
4. *De ortu ignis ſubterranei.*
5. *De miraculis ignium in duratione, uſtione, & extinctione.*
CAP. II. *De Aëre.*
Artic. 1. *De tribus Aëris regionibus.*
2. *De infectione aëris.*
3. *De Peſtilentia.*
4. *De attractione, refrigeratione, penetrationeque aeris.*
CAP. III. *De Aqua.*
Art. 1. *De aquarum quantitate & colore.*
2. *De Aquarum ſapore.*
3. *De aquarum odore, primis & ſecundis qualitatibus.*
4. *De vario aquarum decurſu.*
5. *De mutatione quantitatis & qualitatum in aquis.*
6. *De nonnullis aliis aquarum admirandis.*
7. *De nonnullis aquarum inundationibus, & de diluvio.*
CAP. IV. *De Fontium origine.*
CAP. V. *De Thermis.*
CAP. VI. *De Mari.*
Artic. 1. *De diviſione & nominibus maris.*
2. *De navigatione maris.*
3. *De profunditate, congelatione, coloribusque maris.*
4. *De maris ſalſedine.*
5. *De maris reciprocatione.*
CAP. VII. *De Terra.*
Artic. 1. *De novo orbe.*
2. *De quarundam terrarum miraculis.*
CAP. VIII. *De Inſulis.*
Artic. 1. *De ortu & interitu Inſularum.*
2. *De quarundam Inſularum miraculis.*
CAP. IX. *De Mentibus.*
Art. 1. *De montium quantitate & qualitate.*
2. *De Ætna & Hecla montibus.*

A D-

ADMIRANDA ELEMENTORUM.

CAPUT I. DE IGNE.

ARTICULUS I.

De mirabili ignium ortu.

IGnotus antiquis per multa tempora ignis fuit, illos præſertim ſi attendas, qui in extrema Ægypti ora ad Oceanum ſuas poſuere ſedes. *Plin in hiſtoria naturali*, *lib.* 16. *c.* 40. Ab Eudoxo allatus adeo placuit, ut ſinu excipere voluerint. Haud ignotum nobis eſt, ESSE. Ejus varietas tanta eſt, & tam multiplex, ut ordinem fere, dum traditur, neſciat. A ſe oriri ſcribit *Plinius*. Chalybs chalybi attritus ignem generat. Lapides, quos vocamus vivos, inquit idem, clavo aut lapide percuſſi ſcintillas edunt. Idcirco Lapones matrimonii fœdera igni ac ſilice auſpicantur. *Scalig. exerc.* 16. *ſ.* 1. Ignis enim vitæ author illis, ſilex æternus in quo nunquam marceſcet theſaurus. Fruſtra id in fragili tentaveris. Nam fruſto abeunte abit obex; quo aër eliciendus erat. Haud vanus in attritione lignorum conatus. Indi id faciunt. Ligna enim quædam ut hæreant, componunt, inter utrumque aliud interponunt, motu celerrimo velut terebellum vertunt, ignem ſic excutiunt. *Ovetan. lib.* 6. *c.* 5. Apuli ferulam funiculis obvolvunt, eoſdem celerrimè trahunt, retrahuntque: ex motu accenditur. *Majolus colloq.* 22. Fecere idem Veſtales æterno extincto igne, Feſto ſi credimus. In Nympheo exit è petra flamma, quæ pluviis accenditur; non cerni addidit *Ariſtoteles in admirandis*; ſed ſi oleum affundatur continuo flammam aſſurgere. Repetitur etiam apud authores in agro Sabino, & Sidicino unctum flagrare lapidem. *Plin. lib.* 2. *c.* 107. Subjectis Ariciæ arcis, ſi carbo deciderit, ardere terram. In Salentino oppido Egna-

cia, impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exiſtere. Exit & ad aquas Scantias, & quidem invalida cum tranſit, nec longè in alia materia durans flamma. Emicat & ad Allobrogum Gratianopolin, cum baculo ſculpitur, ad fontem ardentem, è qua ſtramen accendi poſſit. *Dalechamp. ad l. c.* Montis Chimeræ ignis aqua accenditur. *Plin. l. 2. c.* 106. Orbem vitreum plenum aquæ, in Sole ſi tenueris, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis excitatur, etiam in duriſſimo frigore. *Lactant. de ira Dei c.* 10. Oritur interdum & in ædificiis tam ſubitus, ut prodigioſus putetur; ſalſedini & ſalinitro, quod vetuſtis murorum adhæret parietibus, adſcribit *Cardanus lib.* 10. *de Variet. c.* 49. Quod de Maximæ Virginis Æmiliæ diſcipula refert. *Valerius lib.* 1. *c.* 1. quod ea Veſtam adorante, cum Carbaſum, quam optimam habebat, foculo impoſuiſſet, extinctus emicuerit ignis; deraſo muro veteri, accendere potuiſſe, cineribus ſolum calidis, ſcribit. Sacros ſi ſcruteris libros, miram & in his ignium invenies originem, 1. *Reg. c.* 18. Elias cum ſacrificaret ignem de cælo deduxit, qui ſacrificium, ligna, lapides, pulverem abſumſit & aquam. In *libro Iudicum c.* 6. cum Gedeon juſſu Angeli carnes & panem ſuprà petram poſuiſſet, thuſque deſuper fudiſſet, aſcendit ignis de petra qui iſta conſumſit.

ARTICULUS II.
De ignibus in Aquis.

IN aquis viſos ignes, ſi Hiſtoriæ credendum, certiſſimum eſt. Thraſimenum lacum arſiſſe totum, *Plinius lib.* 2. *c.* 107. author eſt. Mare incendium paſſum *Liv. lib.* 33. Alarico Italiam vaſtante, & Iohanne Chryſoſtomo à ſede ſua pulſo, cum terræ motus invaſiſſent, ignis de cælo delapſus, viſus eſt à vento in mare abjectus, ex quo arſit, tandem extinctus eſt. *Niceph. l.* 13. *c.* 36. Inter campos Babyloniæ flagrat quædam piſcina, jugeri magnitudine. *Plinius lib.* 2. *c.* 105. Lapis in lacum prope Denſtadium Thuringiæ injectus, dum in profundum delabitur ardentis reli

ptæ

præ ſe fert ſpeciem. *Agric. l. 4. de nat. affluent. c. 2 2.* In Comagenes urbe Samoſata ſtagnum eſt limum emittens flagrantem. *Plin. l. 2. c. 104.* Poſidonius tradit, ſua ætate circa ſolſtitium æſtivum, prima luce inter Hieram, & Evonymum mare conſpectum fuiſſe ad portentoſam elatum altitudinem, atque aliquandiu ſic conſtitiſſe, continenti flatu exaltatum, tandem ſubſediſſe. Multis poſt diebus limum apparuiſſe, qui ſuperficiei aquæ innataret, multis quoque locis, flammas erupiſſe, & fumos, & fuligines; limum eum tandem concreviſſe, & molaribus lapidibus maſſas concretas ſimiles fuiſſe. Addit *Iulius Obſequens* piſcium vim magnam diſperſiſſe, quos Liparenſes avidius epulis adpetentes, contaminatione ventris conſumpti fuêre, ita ut novâ peſtilentiâ vaſtarentur Inſulæ. *Strabo lib. 6.* Inter Theram & Theraſiam, quæ ſunt in Cycladibus, ex mari exivere flammæ per dies quatuor tantæ ut ipſum ferveret, & videretur ardere. Cumque ſenſim intumuiſſet, ex maſſis quæ ferri habent ſpeciem ejectis nata eſt inſula, quæ Hiera, & Automate nominatur, nunc Vulcanellus, tenuiſſimo Euripo à Vulcanello recedit *Plin. l. 2. c. 87.*

ARTICULUS III.
De ignibus ſubterraneis.

DIxi ignem in aquis etiam eſſe, jam de terra demonſtrabo, & intra ejus reperiri receſſus oſtendam. Claudio Nerone Cæſare ignis ex terra ortus eſt, in terra oppidi Vbiorum, qui atva, villas, vicos exuſſit, qui, quoniam materia erat bituminoſa, neque pluviis, nec fluvialibus aquis nec alio quovis humore reſtingui poterat, ſaxis & veſtibus uſu pollutis oppreſſus. In Miſena Regione Germaniæ mons Carbonum ſemper ardet, in ſuperficie decidentibus paulatim foſſis; quas ſi quis intueatur, fornaces ardentes eſſe apparent. Materiam non prorſus admotam, ſed ex intervallo quatuor pedum diſtantem ignis accendit. *Agricol. de natur. effluent. ex terra.* Veſuvius etiam mons in Campania ignem alit, arſit Tito Veſpaſiano, & Fla-

vio Domitiano VII. Coss. Rupto vertice primum ſaxa ejaculatus eſt: poſt tantas flammas, ut duo oppida Herculaneum, & Pompeji conflagrarent, tam denſos fumos, ut lumen Solis obſcurarent: poſtremò, tam denſum efflavit cinerem, ut tanquam nix vicinam Regionem tegeret, quem vis ventorum in Africam, Ægyptum, Syriam projeciſſe dicitur. *Dion. Caſſ. in Hector.* Hoc incendium cum contemplaretur ſenior Plinius, (*Iunior in Epiſtola ad Tacitum*) fumus adeo obſtruxit aſperam ejus arteriam, ut animæ interclusione ſuffocaretur. Mons etiam modernus in Campania ſpiraculis plenus, ab eo tempore quo enatus eſt, intus flagrat & fremit, fumumque multis in locis emittit, in quibus etiam rivulos calidiſſimos: in radice montis littus fumat, calet arena, æſtuat mare. *Agric. l. c.* Ibidem multæ ſunt foſſæ arena contectæ, in quas aliqui omnia incautè luſtrantes, deciderunt & ſubmerſi ſunt. Hæc in Europa.

Haud pauciora ignis in India incendia: In Mexicani Regni provincia Ciapotulan, mons quidam eructat lapides, non minora amplitudine, quam ſunt domus ipſæ, eructati flammas retinent, ardere videntur, & cum fragore disjiciuntur. *Petrus Alvarad. ad Corteſium.* In Provincia Quahutemallan ejuſdem orbis duo montes ſibi ad duas leucas proximi, ignem vomunt ac tremunt. *Petrus Hiſpalenſ. p. 5. c. 23.* In Peruaco quoque ex monte Nanavata ignis vomitur pluribus ſpiraculis: ex uno verò aqua fervens fluit, è qua ſal conficitur. In eodem Peruaco in vico Molahalo ignis vomitur, diebuſque pluribus cinis eructatur; pluribus etiam oppidis oppreſſis. Iavæ majori proxima eſt Inſula, in cujus mediterraneis perpetuus ignis ardet. *Odoard. Barboſa.* Inſula del Moro eructatur fremitu tanto ignis, ut maximarum bombardarum crepitibus adæquetur tanta cum caligine, ut nocti comparetur. Cinerum quoque tanta copia, ut pondere domus collapſæ ſint, arbores in triennium detruncatis ramis, ſteriles factæ fuerint, cineribus omnia pervia, enecata animantia fame ac tabe, aquæ etiam ſuaves in amaras ſint verſæ. *Diaz Ieſuita.* Sunt verò etiam occulti i-

gnes

gnes ibi nimirum, ubi calidæ, tepidæ, vel acetoſæ effluunt, aut ubi exhalationes erumpunt ſive ſalutares, ſive noxiæ, ubi prætetea loca videntur aduſta. *Strab. in Geograph.* In Aſia regio eſt, quæ aduſta dicitur, longa ſtadia quingenta, lata 50. ſive ea Myſia, ſive Meonia nominanda, inquit *Strabo*. Hæc nullam habet arborem, præter vitem exuſtum vinum ferentem, ita elegans, ut nulli laudatorum cedat. Nec exiſtimes in una tantum morari illos ignes anguſtia, pertingunt certe per longa ſpacia ſub terris. *Agricol. de lib.* 4. *de nat. eff. c.* 14. in Campania ex Cumis per Bajanum, Puteolanum, Neapolitanum; Ex Campania etiam pertingere videntur ad Inſulas, Ænariam, Vulcanias &c. Hinc ſcitè Pindarus finxit Typhonem Gigantem, fulmine ictum ſub his locis humatum jacere.

Articulus IV.
De ortu ignis ſubterranei.

Placet jam ortum horum ignium inquirere, quidque ſit quod eos accendat & alat. Fabuloſa de Ætna (de hac plenius cap. 4.) tradunt Poëtæ. *Hyginus μυθολογ. cap.* 152. *Tartarus ex terra procreavit Typhonem immani magnitudine, ſpecieque portentoſa, cui centum capita Draconum ex humeris enata erant. Hic Iovem provocavit, ſi vellet ſecum de regno certare. Ille fulmine ardenti pectus ejus percuſſit, & quum flagraret, montem Ætnam, qui eſt in Sicilia, ſuper eum impoſuit. ex eo adhuc ardere dicitur. Iſidorus lib.* 14. *c.* 8. Sulphuri attribuit, quod agitatione ventorum accendatur. *Iuſtinus*, aquis ali aſſerit. De Hecla refert *Bleſkenius*, quo igne quave materia ardeat, ignorari; cum verò per totam Iſlandiam ſulphur effodiatur, ſulphuream materiam aliquando ibi accenſam videri. Haud longè ab Hecla ſunt ſulphuris fodinæ, inquit *Bertius*, in Iſlandia. Nobis certum nutrimentum igni ſuppetere ſubterraneo, illudque tale quod in aqua etiam ardeat. In montibus enim hiſce fit aquarum à ſcriptoribus mentio, & nos oſtendimus in mari quondam arſiſſe; *Lydiat. verò l. de origine fontium*, valentiſſimum in ma-

ris gurgitibus ignem reperiri exiſtimat, idque terræ motu oſtendit. Non poteſt igitur fomes ejus eſſe arida & ſimilis terræ, quam *Dorſam* dicimus. Etenim ea citò, & igni conſumitur, & aqua reſtinguitur. Nec *Marga*, quia hæc non ardet niſi ſulphurata, & bituminoſa. Sulphur ardet quidem, ſed non minus aqua cito extinguitur. Bitumen ergo. Et certe hoc primum ſubjectum eſſe videtur. Nymphæi crateri fontes ſubeſſe ſcribit *Strabo*; aquis bitumine ſcatentibus ardere aponit. *Plinius lib.* 2. *cap.* 106. Bitumen ardens ad Heclam Iſlandiæ montem emittit ignem, qui conſumit aquam. Lapides rivorum & arenæ ad Hepheſtios Lyciæ montes ardent: & bituminoſi ſunt. Naphtæ magna cognatio ignium, tranſiliuntque protinus in eam undecunque viſam. *Plinius lib. c.* Bitumen igitur pabulum ignium exiſtimemus. Accenduntur verò à ſpiritu ignito, is igneſcit, cum ipſum frigus vel exprimit, tanquam nubes fulgura elidunt, vel in locorum anguſtias impellit, per quas ſe torquens, exitumque quærens, ipſo conflictu exardeſcit, atque inflammatur. *Agric. lib. cit.*

ARTICULUS V.

De miraculis Ignium in duratione, uſtione, & extinctione.

IGnes quidam ſunt perpetui. Asbeſtos lapis ſemel accenſus extingui non poteſt, ideoque in fanis idolorum & ſepulchris collocatum ſcriptores memorant. *Solinus cap.* 12. Erutum quondam ſepulchrum, in quo candela ſupra milleſimum quingenteſimum annum ardebat, tacta inter admotas manus in tenuiſſimum abiit pulverem. *Vives ad lib.* 21. *de Civitate Dei.* Viſi à Vive Pariſiis Lychni, qui ſemel accenſi, nunquam abſumti ſunt. In Britannia Minervæ delubrum perpetuum ignem habuit, ubi tabuiſſet, in globos ſaxeos converſus eſt. *Solin. c.*24. *Polyhiſt.* Idem de ligno quodam juxta Vrabam in novo orbe traditum. Sunt & quidam ignes, qui non urunt, ſive ſimpliciter, ſive in certa materia, ſive miraculosè. In Pythecuſis, inquit

Ariſto-

Ariſtoteles admir. 35. eſt fervens & calidus ignis, qui non comburit, viret æternum aquas Scantias contegens fraxinus. *Plin. l.* 2. *c.* 107. In Puteolano monte ſulphureo ignis eſt manans, qui neque oleo, neque cera, aut quolibet pingui, neque ſulphure quidem accenditur, aut augetur, neque aqua reſtinguitur, aut accenditur, ſtupam injectam non adurit, nihil denique ex eo accendi poteſt luminis. *Majolus colloq.* 22. non ignem, ſed igneam exiſtimat aquam. Prope Pataram Lyciæ, flamma in campo ejicitur; ſentis ardorem manus ſi admoves, aduſtionem nunquam expetieris. Aëris circumambientis frigidi, & humidi, partes id facere dicuntur, qui ipſum ignem propter raritatem cum ingrediantur, infringunt uſtionem. Confecta ex quodam lini genere mantilia, non comburuntur, ſordibus infecta non lavantur, ſed in ignem miſſa poliuntur. *Lemnius in lib.*2. *de occult. c.* 12. Naſcitur id in deſertis Indiæ genus, in quibus aëris ambientis qualitas, & ſoli conditio talem ſtirpibus inſerit naturam, ut fingi texique in lintea poſſint. Ligna, & tabulata alumine, addo & ovis illita, non ardeſcunt. *Plin. lib.* 29. *c.* 3. Nec poſtes viridi imbuti colore, modo durior ipſis obducatur cruſta, atque alumen, plumbique albi cineres copioſè pigmentis commiſceantur. Denſum quia & durum lignum redditur, ignis non penetrat. Hinc *Sylla* turrim quandam ligneam alumine oblitam exurere non potuit. *C. Cæſar.* Caſtello circa Padum ex Laringa conſtructo materia ignem admovit, non exuſſit. *Vitruv. l.* 2. *c.* 9. Non ſolum enim à carie immunis larix eſt, ſed ne in carbones quidem reſolvitur. Compacta in cauſa durities. *Lemn. l. c.* Quid dicemus de *Pyrrho* in cujus majorem dextri pedis articulum nil ignis potuit; Quid de Zwinglio, cujus cor poſt exuſtionem illæſum inventum eſt. *Thuan. lib.* 1. *Hiſtor.* Salamandra in mediis flammis vivit incolumis, ſi Plinio credimus; & aheni fundus, in quo inter medias flammas aqua fervet, frigeſcit, igneſcunt ipſa latera. Scribit tamen *Dioſcorides lib.* 2. *c.* 52. illam cum humidæ & frigidæ naturæ ſit, ſuo prunas reſtinguere attactu aliquandiu, tandem & aduri, & conſumi. Hujus

ratio figura ignis eſt. In Pyramidem aſcendit, & cacuminatur; & tenues partes primæ aſcendunt, minus tenues ad latera diffunduntur. *Keckerm. diſp.* 4. *Phyſ. coroll.* 10. Sunt & in ſacris exempla. In flamma ignis de medio rubi apparuit *Moſi* Dominus, manſit rubus integer. *Exodi cap.* 3. Curru & equis igneis ſublatus in cœlum *Elias*. Tres pueri in fornacem Babylonicam conjecti, ne capillum quidem amiſerunt; extincti, qui extra acceſſere propius *in adject. ad cap.* 3. *Danielis*. Quid in puerulo Ebræo Conſtantinopoli acciderit, memorat Evagrius. Non prætereundem tamen quod in urbe Laudunenſi in muliere quadam contigit. Hæc enim cum homicidii rea in ignem miſſa eſſet, illæſa permanſit, & abducta paucis exactis dieb. obiit. Hiſtoria proximè à *Sigeberto Gemblacenſi* recenſetur. Hæc de uſtione, jam de *extinctione*. Ex Hecla monte emergit quidam ignis, qui ſtupa extinguitur; qui ex monte Chimæra fœno aut terra; apud Coloniam Vbiorum ſaxis & pannis. Cum verò Carolus Dux Burgundiæ Geldrenſem occupaſſet civitatem: incenſa erat humus, ardebant herbæ & radices, incendium nulla ope humana extingui poterat, in Burgundiam penetravit. *Fulgoſius lib.* 1. Addere his placuit etiam Chymica illa Trithemii artificia, quibus ignes æternos procuravit, recenſente quodam *anonymo in aureo vellere*, *nomine Bartholomæi Korndorferi.* Sunt autem duo lumina æterna, quorum prius miſcet Sulphuris, & Aluminis calcinati quaternas uncias, & in ſublime actis flores conficit, Florum ſextantem cum ſemuncia jungit, Boraci Cryſtallino Veneto unciali, inque concha vitrea contritis, affundit ſpiritum vini quater deſtillatum, & facta digeſtione abſtracto illo, novum reponit, idque repetit bis, ter, vel quater, donec ſulphur in ærea lamina candefacta ſine fumo, inſtar ceræ fluat. Hoc pabulum eſt. Poſtea adornandum eſt & Ellychnium hac arte. Aſbeſti lapidis filamenta longitudine fere digiti auricularis, craſſitie verò media colligantur ſerico albo. Factum inde Ellychnium in vitro Veneto ſulphure, ſeu alimento prius purgato conſpergitur, tumulaturque, & in arena calente horis 24. decoquitur, ebulliente ſemper

per

per ſulphure. Inunctum delibutumque ſic Ellychnium, diſponitur in concha vitrea, ut emineat paululum: aggeritur ſulphur præparatum, concha in arenam calentem infertur, ut liqueſcat ſulphur, & comprehendat Ellychnium. Tunc hoc incenſum ardet jugi flammâ. Poteris lampadem quolibet loco reponere. Hic eſt ignis æternus prior. Poſterior ita habet. Salis toſti libræ affunde acetum ex vino forti; Abſtrahe uſque ad conſiſtentiam olei; Redde novum, macera, deſtilla ut ante, idque quater: In aceto hoc infunde vitri antimonii ſubtiliſſimè lævigati libram. Repone infuſionem in cinerem calidum horis ſex, clauſo vaſe, ut extrahatur tinctura rubicunda. Effuſo aceto iſto, ſubmitte aliud, atque iterum extrahe, laborem repetens, donec tota rubedo reſoluta, & extracta. Coagula extractiones, uſque ad olei conſiſtentiam, quam in balneo rectifica ad puritatem. Cape deinde pulverem antimonii, ex quo rubedo extracta eſt, & in minutiſſimum pollinem redige, cui in vitrum injecto infunde oleum rectificatum: abſtrahe & redde ſepties, donec corpus devoret totum ſuum oleum, fiatque ſiccum. Hæc extrahe per vini ſpiritum, toties mutatum, donec eſſentia tota exierit. Menſtrua collecta in phiala Veneta, inducta papyro quintuplici, deſtilla, ut ſpiritu exeunte, in fundo maneat oleum incombuſtile, cujus uſus eſt cum Ellychnio ut ſulphuris, de quo ante.

CAPUT II.

DE AERE.

Articulus I.

De tribus aëris regionibus.

Regiones tres conſtituunt Phyſici, quarum media ita frigida eſt, ut periculum ſit, ne milvus qui tempore caniculæ à meridie ad veſperam ibi degere ſolet, congelaſcat, vel ſaltem membra ejus rigeant, ſi diuturniorem traxerit moram. Et certè in ipſis Alpibus perpetuo tanta nix eſt, ut etiam æſtivis menſibus iter ſit horridum. Qui montium Baldi in agro Veronenſi per-

reptarunt cacumina, non minus in illis frigus Iulio & Auguſto menſibus experti ſunt, quam maxima bruma ſæviente. *Aldrov. Ornith. lib.* 5. *c.* 15. Tam tenuem ibi eſſe aërem quidam exiſtimant, ut ad vitam ſuſtinendam ſit ineptus. *Auguſtinus de Geneſi ad liter. l.* 13. *c.* 2. ex aliorum relatu refert, quod qui verticem montis Olympii vel ſacrificiorum gratia, vel contemplandorum ſyderum cauſa conſcendunt, ſpongias aqua imbutas eo deferant, ut ex iis ſpiritum retrahere poſſint. At ex hiſtoria diluvii, & aliis animadverti poteſt, montes tam altos eſſe, ut emineant ex nubibus, & nihilominus habeant auram vitæ commodam. *Libavius de orig. rerum, lib.* 6.

Eſt in inſula Zelainica mons altiſſimus, in vertice amœniſſimus. In Arabia Felice mons ſummus, oppidum quoque habet in ſummitate. Vires aëris ſi attendimus inſignes ſunt, de quibus paſſim apud Phyſicos. Cardanus, incluſum corrumpere animalia, animâ carentia conſervare aſſeruit, liberum è contra. Verum id vix exempla concedunt. In Luſitanorum navigationibus nautæ aliquot ſub æquinoctiali pene animam efflarunt, quanquam medio in Oceano liberrimo cœlo. Et nobis præſentibus, inquit *Scaliger exerc.* 31. Itali quidam *Lipſiæ* in vaporariis deliquium animi paſſi ſunt; & de Cocali Regis necatione meminiſſe potes ex hiſtoriis. Triticum in ſiris ſtipatum, non corrumpitur, & in horreis concluſis vitiatur; apertis feneſtris nil nocet ei.

ARTICULUS II.

De infectione aëris.

NOn ſemper aër in ſuis permanet qualitatibus, inficitur aliquando noxiis. Ex Peruana Provincia in Chilam per montana tendentibus aura occurrit mortifera, antequam ſatis viatores ſentiant, & ſicut poma ab arbore, ſic interdum extremitates abſque ulla defluunt putredine. *Libavius de origine rerum.* In Monte Peruano Pariacacca aër ſingularis exiſtens, vitæ aſcendentibus parit deſperationem. Excitat vomitum tam

vehe-

vehementem, ut ſanguis ſequatur. Magis affligit à mari aſcendentes, nec homines tantum, ſed & beſtiæ expoſitæ injuriæ dicuntur. Locus fertur altiſſimus & nivoſiſſimus in mundo, tribuſque aut quatuor horis per illum tranſitur. In Chilienſibus montanis puer ſe in triduum ſuſtentaſſe dicitur, latitando poſt ingentia cadavera, ut aliquo modo ab allapſu flatuum peſtiferorum eſſet tutus. In libello *de cauſis elementorum propriis* ſcribitur ventum quendam interfeciſſe gentes in Hadramot. Idem narrat tempore Philippi Regis Macedonum accidiſſe, ut in via quadam inter duos montes, certa hora, quicunque eques tranſiſſet, concideret moribundus. cauſa ignota, idque paſſi ſunt etiam pedites, dones Socrates quidam altè erecto ſpeculo chalybeato, in utroque monte conſpexit duos Dracones contra ſe mutuo exhalantes peſtilentem ſpiritum; cujus vi quicquid interceptum eſſet, moreretur. *Libav. l. cit.* Cauſa verò hujus afflictionis vera eſt, mineralium aër, nitroſis aliiſque metallicis refertus ſpiritibus. Talis deprehenditur in antris aliquibus Hungariæ & Sueciæ, ſcimuſque halinitrum vulgare plurimos complecti ſpiritus. Itaque & impetuoſe adhibitis movetur ignibus, & aquis injectum, non parum refrigerat. Quod verò corpora non putreſcunt frigori id adſcribitur, ſed tribui poteſt ſpiritibus frigoris ex craſi, quales ſunt in Fulminibus nonnullis. Nam & ab his enecta animalium corpora non facilè corrumpuntur, durantque diu niſi ſuperveniat cauſa potentior, illamque expellat. Anno M. DC. XXIV. menſe Majo tam maligna aura arbores aſpiravit, ut una die plurib. in locis earum exſiccaret folia. Decidêre in Iulio, & arborum cortices tam flavi redditi, ac ſi auripigmento conſperſi fuiſſent. *Sennert. l. 3. pract. part. 2. ſ. 2. c. 7.*

ARTICULUS III.

De Peſtilentia.

EX infectione aëris oritur peſtilentia, quæ diverſarum conſtitutionum reſpectu diverſimodè etiam ſe habet.

habet. Locris & Crotone nunquam fuiſſe annotatum eſt. *Plin. lib. 2. c. 96.* Sic & in illa Æthiopiæ parte, quæ accolit fluvium Nigrum; in Mauritania vaſtat omnia. Tholoſæ aliquando, & in Provincia tam diu duravit, ut ſeptennium perſeveraret. In Septentrionales populos tam ſæpe & adeò debacchatur, ut aliquando agros integros exhauriat colonis. *Scaliger. exerc.* 32. Obſervatum in meridionalibus partibus ad occaſum Solis peſtilentiam ſemper ire, nec unquam ferè aliter niſi hyeme, nec ut ternos excedat menſes. Anno 1374. per univerſam Galliam & Germaniam graſſata, tertiam penè humani generis partem extinxit. *Annal. Franciæ.* Anno 1400. Florentiæ 30000. paucis diebus abſtulit. *Quercet. in Alexicaco.* 4. Anno 1453. Erphordiæ 28000. abſumſit. *Michael Saxo in vita Friderici* III. *Imper.* Mediolani anno 1524. tantopere ſæviit, ut panis recens per noctem aëri expoſitus non ſolùm mucidus evaſerit, ſed totus ſcatuerit vermiculis, bene valentes intra ſex aut octo moriebantur horas. *Cardanus de rerum varietate. lib.* 8. *cap.* 45. Anno verò 1500. triginta millia Londini abſumſit. Conſtantinopoli aliquando trecenta millia; totidem in civitatibus Vandalicis per ſolum autumnum. Tempore Petrarchæ tam valida Italiæ incubuit, ut ex mille hominibus, vix decem ſupereſſent. *Alſted. in Chronol.* Quod verò peſtilentiæ actio varia, in climate hoc vel illo, animalium ſpeciebus, & hominum individuis; id ex cauſarum agentium robore, & patientium fit diſpoſitione. *Foreſt. l. 6. obſ. de Febre.* Si cauſa agens ex terræ aut aquæ ſqualore non valida fuerit, ex brutis malè duntaxat afficit ea, quæ ſecundum diſpoſitionem tali veneno ſimilem parata ſint. Si verò validior fuerit, in ſpeciem humanam graſſabitur, ita tamen ut ex ſe nec regionem, nec civitatem, nec pagum, nec oppidum tranſitura ſit. Hæc enim uno duntaxat loco homines corripit. Si verò agens ex ſuperiori cauſa, aut ab inferiore polluto aëre ortum habuerit, genus tantum humanum inquinabitur. Si autem à ſuperiore & inferiore ſimul contigerit, tum omnium animantium ſpecies peſte corripi poſſunt: attamen ſecundum eorum corporum diſpoſitionem.

Articulus IV.

De attractione, refrigeratione, penetrationeque aëris.

Vitæ humanæ aërem inſervire, vix aliquem puto, qui neſciat. Arteriæ quippe venoſæ rami ex univerſis pulmonibus ſanguinem imbibunt, per venam arterioſam ad eos delatum, inque iis ſubtiliorem redditum. Hic per os attractus permiſcetur (*ex vulgari ſententia*) ſanguini, hæcque miſcella ad ſiniſtrum cordis defertur ventriculum, ſpirituoſus ſanguis futura. *Ludovic. du Gardin Anatom. c.* 40. At confeſtim attractus ſuffocat. *Zvvinger. Phyſiol. l.* 2. *c.* 23. Candelæ quippe ardenti in libero aëre, ſi vinum circumdes ſupernè, extinguitur, quoniam aërem lateralem præparatum interpoſitu vini non attrahit, & crudum & incoctum inferne attrahere nequit. Vim ejus diaphoreticam, vel exemplum ovi oſtendit. In eo recente dum aſſatur, ſpiritus ſubtilis per medium exudat corticem roris inſtar. Quid in corpore humano? Plenum id rimatum, vel levi attactum faciet calore. Alias omnia replet & penetrat, permeat laterem, & concoctum ibi inflat calcem, ut mole auctâ frangat eundem. Videmus per lateris cocti poros ingreſſum aërem, lapillum, qui per incuriam illic latuit & in calcem converſus eſt, imprægnare, inque molem attollere, ita ut later rumpatur. *Zvvinger. Phyſ. lib.* 2. *c.* 25. Ad hæc, obſervatione concluſum certâ, facilem vel difficilem, vulnerum, ratione aëris, curationem. In locis paluſtribus ulcera capitis celeriter, crurum difficulter curantur. Hinc levia capitis Bononiæ & Lutetiæ vulnera, lethalia tibiarum apud Avenniones & Romæ. Ibi aër frigidus cerebro conſtitutione hoſtis; hic major ambientis fervor, quo humores liquefacti, magis deorſum tendunt. *Paraus lib.* 10. *Chirurg. c.* 8. Refrigerari novem poteſt modis; copiâ ac frequentiâ, flabello ſi novus apponitur; ſi nix & aqua circa lectum, ſi parietes fronde

ſalicum

ſalicum obducti, vel linteis aceto & aqua roſata intinctis, ſi irroratur area, & fontes in cubili parantur, ſi lecti ex Avicenna ſuper foveam aquarum, ſi ex pilis Camelorum iidem, vel ex linteis ſubſtrato corio, ſi conſperſus lectus herbis, ſi denique fragrantes prope lectum fructus poſiti. *Heurn. lib. 2. Medic. c. 18.*

CAPUT III.

DE AQUA.

Articulus I.

De aquarum quantitate, & colore.

TAntum de aëre, ſequitur elementum aquæ, & inter conſideranda quantitas primò & color. Iuxta urbem Simqui in regione magni Çham, flumen Quian per decem millia paſſuum patet, ducentas alluit urbes, & longitudo ei tanta, ut centum diebus enavigari nequeat. In portu illius urbis, quinquaginta millia navium ſe numeraſſe ſcribit *Polus*. Nivibus liquatis ingens & Duina in Moſcovia fluvius, toto die celeri nequit trajici navigio, latera ad 50 paſſuum extendit millia. *Iovius* Genebraræ lacus, Ianuarium Luſitani dicunt. *Thuan. hiſtor. lib.* 16. tantæ ſub ipſo Capricorno amplitudinis, ut ſcripſerint, qui eò appulerunt, totius orbis navibus commodam ſtationem præbere poſſe. In Tepeaca. Mexicani regni Provincia, in ſummitate montis lacus eſt à ſummis ripis ad aquarum ſuperficiem quinquaginta Orgyas depreſſus. Nullos piſces aut quodvis aliud animal nutrit, nec hyberno pluvioque tempore augetur, nec æſtate minuitur. Altitudinis eſt incompertæ, ita ut flumen ſubtus fluere opinentur, quod decem ab hoc Leucis in planicie erumpat. *De Laet. l.* 5. *Amer. cap.* 17. Haud longè ab eo diſtat & alter, qui vehementiori agitatur vento, fluctus haud ſecus ac mare attollit. Colores quod attinet, varii in variis. Lactis diluti eſt Danubius, quà Noricum & Vindeliciam à Germania dividit. *Agricola in lib. de natur. effluent.* Aquæ Mœni, maxime ubi per Fran-

Francos delapſus Rheno accipitur, flaveſcunt. Telephi juxta Paratas fons turbidus, cum cruore miſcetur. In Æthiopia rubræ ſunt; vertitur in furorem quiſquis biberit. Nauſolæ in Carpatho monte ex veteri quodam cuniculo effluentes, vireſcunt; Ilzæ, qui ex Bohemicis profuſus montibus, in Danubium influit, nigræ.

ARTICULUS II.

De aquarum ſapore.

HAud minor aquarum in ſaporibus varietas. Dulceſcunt quædam, vini quædam referunt guſtum: ſalſas, aluminoſas, acidas, amaras paſſim invenies. Dulces Elei & Chocopis fluviorum aquæ Reges Perſarum bibêre, & in longinquas deportavêre terras. Suavior lacte calida Cardiæ aqua in Campo, qui vocatur Albus. *Pauſanias.* Vinoſa juxta Paphlagoniam: hinc potandi gratiâ indigenæ apud eam frequentes. In ſinu maris Adriatici ubi vertit ad Aquilejam, ſeptem ſunt fontes omnes uno excepto ſalſi. *Polyb. in hiſt.* In Mileto unus, cujus fluentis aquæ ſuperiores dulciſſimæ; ſalſedine inferiores tinguntur: *Ariſtobul. Caſſand.* Tantæ rivulus Exampei amaritudinis, ut Hypanim ingens Ponti inficiat flumen. In lacu Aſcanio, & quibuſdam circa Chalcida fontibus, ſummæ aquæ dulces ſunt, potanturque, nitroſæ inferiores. *Plinius in hiſtor.* Acidi prope Culmam fontes; & quia aqua quamvis frigida, ebullit, inſanire videtur. *Agricol. l. cit.* Ibidem acidula; cui furioſæ inditum nomen, quod ebulliens tonitru imitatur boatu. In Cepuſio Smolnicii, non tantum ferrum corrodit, ſed & vertit in æs; Stygii verò, circa Theſſalica Tempe, fluvii, neque in argenteo vaſe, neque in æneo, neque in ferreo conſervari poteſt, vi ſua illa corrodens, erumpit: ſola coërcetur ungulâ.

ARTICULUS III.

De aquarum odore, primis & ſecundis qualitatibus.

CAlidæ quæ abſunt à Rhegio Lepidi Æmili oppido, viginti ſex paſſuum millibus tam præſtantiſſimum olent bitumen, ut Camphorâ permiſtæ videantur. In Peloponneſo puteus ad ſacram Dianæ ædem erat, cujus aqua cum bitumine permiſta, unguenti Cyziceni reddebat odorem. In Hildeshemio duo fontes ſunt: alter ex marmore putridi ovi olente virus effluit, & guſtu ſuavis eſt; ſed ſi quis jejunus eum biberit, ructus ejicit, marmoris detriti odorem exhalantes: alter ſulphuratus pyrium olet pulverem. Hujus aqua lapides in alveo rivuli jacentes, limo obducit, qui deraſus & exſiccatus ſulphur eſt. *Agric. lib. cit.* Arethuſa Siciliæ fons, ſtato tempore fumum reddere dicitur. Viſebadæ in platea fons eſt aquæ tam calidæ, ut non modo coquat ova, ſed etiam de alitum cute plumas eximat, de ſuilla ſetas. ſive immergantur animantes, ſive perfundantur. Ad Corinthum fontis aquam, qui ex excelſo manat vertice, nive frigidiorem aſſerit *Ptolomæus. Comment. lib. 7.* Iuxta littora Cubæ eſt fluvius ita perennis ut navigari poſſit, aquæ ejus ita fervent, ut contrectari manibus recuſent. *Martyr. ſum. Ind.* Iuxta Provinciam Tapalam ruit tam fervens, ut tranari nequeat. *Ramuſ. Tom. 3.* Apud Segeſtanos Siciliæ Halbeſus in medio flumine ſubita æſtuatione fervet. Pontus flumen intra Medorum, Scytharumque Regionem ſitum; in quo lapides ardentes devolvuntur, ipſum nihilominus frigidum. Hi ſi agitentur, citiſſimè extinguuntur, aquâ irrigati lucidius ſplendent. Iuxta Ethamam denique urbem, fervidum eſt flumen, ſed leproſis ac ulceratis ſalutare. *Leonius.* Quædam etiam alias ſupernatant aquæ. Arſanias vicinum Tigrum ſupernatat, quoties uterque intumeſcens extra ripas diffluit. Penetes accipit amnem Eurotam, nec recipit, ſed olei inſtar ſupernatantem brevi ſpatio portatum abdicat. *Plinius hiſtor. natural.*

ARTI-

Articulus IV.
De vario aquarum decurſu.

TRaditur de Pyramo fluvio Cappadociæ, qui fontibus in ipſa planitie ſcatentibus oritur, quod ſtatim profundo lateat hiatu, in plurima ſub terra effuſus ſpacia, emergat pòſt navigabilis tanto cum impetu, ut ſi quis in hiatum, unde emergit haſtam immiſerit, vis ſpiritus renitentis eam ejiciat. *Strabo lib.* 12. Non longè à Pompejopoli in oppido Coricos, in imo ſpecu miræ profunditatis, amnis ingens, ingenti ſe tollit fronte, ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demergitur. *Mela. lib.* 1. *c.* 6. Aqua Martia poſt longos excurſus ex ultimis Pelignorum montibus, tranſiens Marſium & Fucinum lacum, in ſpecum demergitur, tandem in Tiburtina ſe aperit, 9000 paſſuum fornicibus ſtructis in urbem ipſam Romam perducta eſt. *Plin. lib.* 31. *c.* 3. Sabbaticus ſeptimo quoque die exinaniri conſueverat, atque exſiccabatur, ſex reliquis ſemper aquis oppletus: id autem ceſſante ſacrificio, ceſſavit, ſi *Ioſeph. l.* 7. *c.* 24. credimus. Quidam apud Bocatium fluvius, quolibet decennio, repentino quodam motu uno momento prægrandem fragorem ob ſaxorum eliſionem emittit, & lapides ipſi declivi per triduum fluunt curſu, ter ac quater quotidie, etiam ſereno cœlo; at poſt triduum omnia ſubſidunt. Paſchali Romæ ſedente Trena fluvius per integrum diem mille paſſuum ſpacia non fluxit, ſed perinde quaſi alio curſum flexiſſet, eam partem alvei adeò per id intervallum viginti quatuor horarum ſpacio deſeruit, ut homines ultro citroque per ſiccam arenam graderentur. De Hircaniæ fluminibus *Strabo lib.* 11. *Sunt mari alta littora exciſis rupibus prominentia. Cum autem flumina ex ipſis cautium cacuminibus in mare furentia deſiliant, maximum inter mare & rupes ſuo caſu ſpacium prælabuntur, ut ſub cadentibus aquis, velut ſub fornicibus exercitus etiam intacti procedere poſſint.* Trochlotes in Aquilonari Norvegia tantum fragorem currendo edit, ut ad viginti milliaria exaudiatur. *Olaus l.* 2.

l. 2. *cap.* 28. Beca in Livonia tanto lapſu è ſcopulis ruit, ut ſurdos reddat. *Ortel. in Livon.* Tanais à Scythis longiſſimo curſu in Mæotidem paludem ruens, adeo longè latéque eam ampliat, ut prægrandis mons ab ignaris exiſtimetur. *Bocatius.* In templo Salomonis fluebat fons, æſtate copioſus, hyeme exiguus. *Euſeb. præpar. Euang. l.* 9. *cap.* 4. Cauſam ſi quæris, à tempore ſumitur. Omnia hyeme madent, oppleti hinc aquis ſinus, & ſpiritus defectu, inter viſcera continentur; at areſcunt æſtate omnia, ſoliſque fervor penetrat; hinc & in venas congregatio, & impellente ſpiritu decurſus. Mæander ita ſinuoſus eſt & flexibilis, ut ſæpè credatur reverti &c. *Nilum* maximo impetu ex montibus præcipitem in ſubterraneos meatus ferri, quidam opinantur Leoni Africano falſum. Certum quadraginta diebus ad decimum ſeptimum menſis Iunii creſcere, decreſcere totidem. Aquarum decurſus in cauſa. Cum enim in ſuperiori Æthiopia Maji initio denſiſſime pluat, per integrum Majum & partem Iunii retardantur, priuſquam in Ægyptum perveniant. *Leo Africanus lib.* 9. *deſcript. Africæ.* Incrementum Nilometrium oſtendit. Puteus hoc in Nili ripa ex integro lapide, cujus aqua cum Nilo creſcit & decreſcit pariter. *Strabo l.* 17. Iuſtum ejus incrementum ſedecim cubitorum, minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent tardius recedendæ: ac ut hæ ferendi tempora abſumunt ſolo madente; ita illæ ſerendi tempora ſolo ſitiente. Sed hæc de Nilo ſufficiant. Plura vide apud Cl. *VVendelin.* quem honoris cauſa nomino.

ARTICULUS V.

De mutatione quantitatis, & qualitatum in aquis.

MAgna hæc in aquis varietas, quam protuli, ſapientiæ & potentiæ divinæ index; non minus mirum, eaſdem interdum variè mutari. Mutari certum. Fons in Tenedo Inſula ſemper à tertia noctis hora in ſextam ab æſtivo ſolſtitio exundat: Alter in Dodone, cui à

Iove

Iove nomen eſt, meridie ſemper deficit, & Padi diebus æſtivis velut interquieſcentem areſcere reliquit *Plinius*. In Latio Anagnaniæ fons Tophanus, cum Fucinus lacus glaciatur, ſicceſcit; aliis anni temporibus, magnam aquarum effundit copiam. *Agricol. l. citato paſſim.* Aquæ lacus Babylonii æſtate rubræ ſunt. Boryſthenis quibuſdam anni tempeſtatibus ærugine tinctæ videntur. Aqua fontis Tungrorum ſubditis effervescens ignibus, rubrum affectat colorem. Amnis in Caria ad templum Neptuni aquæ dulces, ſalſum induerunt ſaporem, in Thracia verò imperitante Georgio Deſpota dulcis fons moleſtam ſuſcepit amaritiem: imò totos fluvios mutatos fuiſſe ad Citheronem, in Bæotia ſcribit *Theophraſtus*. Aquarum, quæ fluunt juxta metalla Pangæi Thraciæ montis, Cotylen Atticam perhibent æſtate pendere drachmas ſexaginta quatuor, hyeme nonaginta ſex. In Cyrenaica Provincia Solis fons media nocte fervet, mox ſenſim tepeſcit, dein ad primam lucem friget; & quo ſol magis attollitur, eo fit frigidior, adeo ut meridie rigeat: tum turſus paulatim tepeſcit; dein ad primam noctem calet, ac quo magis ille progreditur, eo fit calidior. Idem fons ſingulis diebus, ut ad medium diem fit frigidus, ita & dulcis; ut ad mediam noctem calidus, ita amarus.

ARTICULUS VI.

De nonnullis aliis aquarum admirandis.

FVêre & præterita, ſed majora ſequuntur; facilè in illis dare cauſam, miſtionem, & alia quædam externa ſi attenderis, difficile hic. Etſi in quibuſdam, pleraque tamen occultis dicere venit qualitatibus. Referam breviter. Fontis Gothici effuſæ ſuper terram guttæ, moveri deſinunt, ab aëre condenſantur. In lapidem in urceis abeunt Cepuſianæ: ſtolidos faciunt Rheticæ; dentes excutiunt intra biennium, compageſque ſolvunt genuum illæ, quas in Germania maritimo tractu eſſe ſcribit *Plinius*. In lapides foraminata vertunt Iſlandicæ; ligna corticibus ſaxeis obducunt Albulæ; Canoræ à Zamanſibus in Africa voces; Soractis oriente

riente Sole ferventi ſimilis exundat pereunt aves, quæ tum guſtaverint. Abſtemius fit, qui à Clitorio lacu biberit; obliviofus qui è fonte ad Trophonium Deum prope flumen Orchomenon: *Philarch.* hebetudinem ſenſuum contrahit, qui ex fonte in Cea inſula. Cauſam ratione prioris in bitumen refert *Agricola de reb. è terra effluent. l. 2.* *Vt enim*, inquit, *paſtinacæ ſilveſtris ſemina linteolo involuta, & in vinum poſita, utque pulveres florum hermodactyli, quibus Turcæ utuntur cum eodem ſumti faciunt, ut ocyus & fortius inebriet: ita bituminis aliquod genus aquis permiſtum inebriare ſolet.* Equi Sibarim potantes ſternutamentis agitantur; nigredinem contrahit, quicquid eo aſperſum fuerit. Clitumnus Vmbriæ potus candidos boves faciat, oves Ceſiphus Bœotiæ; candidiorem, molliorem, ac magis porrectam comam, qui in Cappadocia. In Ponto Aſtaces campos irrigat, in quibus paſtæ nigro lacte equæ gentem alunt. Reddunt in Gadaride, calvos homines; pilos, ungues, cornua pecori detrahunt. Reatinis paludibus, ungulas jumentorum indurari ſcribit *Cicero*. Calidæ ad arcem Novæ domus annulos in eis lavantium argenteos, aureo tingunt colore, reddunt illuſtriores aureos. Non alit Aniger, qui ex Lapitho Arcadiæ monte defluit, piſces, priuſquam recipiat Acidantem, & qui tum ex eo in Anigrum ingrediuntur, non ſunt edules, cum in Acidante ſint. *Pauſanias*. Lacus Siciliæ Agrigentinus ſuſtinet ea quæ in aquis non natant; Æthiopiæ tam liquidus eſt, ut folia proximis arboribus deciſa, non ferat. In Aſphaltite lacu homo manibus pedibuſque ligatus non mergitur. Cauſa nimiæ ſalis adſcribitur miſturæ. Hieronymus Florentinus decoctorem de turri in aquas ligatum præcipitatum, per integram ſuſtentatum noctem vidit: in Hiſpania lateres ex terra, quâ argentea opera abſterguntur formatos, aquis innataſſe obſervavit *Poſidonius*. Cleon. & Geon duo in Phrygia fontes fuere; expreſſit alterius aqua lachrymas; duo in Fortunatis, alterum qui guſtarunt, riſu ſolvebantur in mortem, dabat alter remedium affectis. Anauros Theſſaliæ & Boriſthenes nullum halitum, nedum nebulam emittunt. Cauſam in tem-

temperationem multi conferunt, aliunde quærunt alii. *Qua parte fluviorum (verba Agricolæ lib. 2. de eff. ex terra c. 17.) alveis in vado nullæ ſunt venæ & fibræ, eâ nullas auras exſpirare poſſunt.* In Caucaſi montis nivibus glebæ concreſcunt cavæ, bonamque in membrana aquam continent, in iiſdem animalia: quarum tunicis ruptis aqua quam complectuntur, bibitur optima. *Strabo in Geograph.* Nilus fœminas ita fœcundas reddit, ut uno utero quaterni & ſeni gignantur: *Plin. in hiſtor.* Alpium accolas fontis cujuſdam aqua gutturoſos facit *Lang. l. 1. epiſt.* 43. In prato verò Rupertino, prope Argentinam fons fuiſſe perhibebatur, qui bronchocelen peperit potatoribus. Hydrargyro infectæ videntur. Nam hoc cerebro & nervis inimicum, non tantum pituitam ab internis ad caput & colli regerit glandulas: ſed etiam congeſtam in capite ad partes ſibi ſubjectas præcipitat. *Sebirius de Acidul. ſ. 1. dict. 6. corol. 1. theſ.* 12. Siciliæ fluvius Diana, qui ad Camerinam fluit, niſi à pudica hauriatur fœmina, miſceri vino nequit. *Solinus cap.* 10. Styx in Arcadia epota illico interficit, omnia penetrat & diſrumpit, aſini tantum cujuſdam continetur cornibus: *Seneca lib. 3. natur. cap.* 25. In Nigrum Africæ flumen duo influunt fluvii, ſubrubidus alteri color, ſubalbus alteri. *Barrenſ. hiſtor. Dec. 1. l. 3. c.* 8. Si quis ex utroque biberit, evomere cogitur utrumque; at ſi quis alterum, diverſis intervallis ſuboritur vomitus; at ubi influxerit uterque in Nigrum, & ex permiſtis bibatur, nulla ad vomitum eſt provocatio: Narva Lithuaniæ fluvius eſt, ejus aquam quamprimum ſerpentes attigerint, edito ſibilo refugiunt. *Cromer. deſcript. Polon. l.* 1. In Ducatu Czartorienſi, quem Illuſtriſſimus patronus meus nunc poſſidet, eſt lacus rotundus, adeo injectorum impatiens, ut omnia egerat. Tumulis arenarum tam aptè in circumferentia à natura cinctus eſt ac ſi manu artificis aliquando fuiſſet. Sardiniæ in mediterraneis fons, longitudinem & brevitatem dierum obſervat, & juxta hos fluit. In Ferri Inſula una ex Canariis nulla eſt aqua, ardenti ipſa cælo, ſolo arido, ſquallentes æſtu homines, pecudeſque deſtituit: ſed ibi eſt arbor, cujus ſpecies ignota,
folia

folia longa, arcta & perpetuo virentia. Eam ſemper nubecula circumdat, ex qua ita folia humectantur, ut ex ea perpetuo limpidiſſimus liquor exſtillet, quem vaſis circa arborem diſpoſitis incolæ excipiunt. *Bertius in deſcript. Canariarum.* Marinæ aquæ ſi ſint egelidæ, ac tepore imbutæ tempeſtates ante biduum portendunt, ventoſque impetuoſos. *Lemnius de occult. lib.* 2. c. 49. In Anglia prope novum Caſtrum eſt lacus Myrtous dictus, cujus pars ſemper etiam per æſtatem concreta, pars ne hyeme quidem glaciatur. *Thuan. in hiſtor.* Syenæ puteus quidam eſt æſtivi index Solſtitii & *hac loca* (verba Strabonis lib. 17.) *circulo tropico ſubjecta monſtrat, quando in meridie umbilici nullam faciunt umbram.* Sed ceſſo de his.

ARTICULUS VII.

De nonnullis aquarum inundationibus; & de Diluvio univerſali.

DIvini furoris ſigna diluvia fuere, tantoque majora, quanto & illa acerbior, & mortalium enormior exorbitatio. Maximum illud quod univerſale dicimus, quod anno Mundi 1656. ad exitum vergente ſua ſumſit initia. Obturacula in ſpecubus nubium rupta ſunt, & ingentes aquarum per quadraginta dies, defluxere globi. Fontes quoque abyſſi magnæ diffiſſi ſunt, ita ut aquæ ſeſquicentum diebus indeſinenter accreſcerent, & montes quindecim cubitis tranſcenderent, editiſſimos. Poſtea decreverunt, ſed pauxillatim. Nam intra ſeptuaginta demum dies cacumina apparere cœperunt. Novi orbis incolæ à majoribus ſuis accepiſſe dicuntur. Petuani tradunt, terras eas omnes aquis merſas latuiſſe; periiſſe homines exceptis paucis, qui in lignea ſe receperunt vaſa; veluti naves; ibi commeatu proviſo egiſſe, donec aquæ decreſcerent & abirent, quod canum collegerunt indicio, quos foras identidem emittebant, & cum madidi à natatu redirent, ſciebant aquas supereſſe; deeſſe, cum ſicci. *Auguſt. Carata.* At Mexicani quinque ſoles ad hoc

luxiſſe

luxiſſe ævi, & primum illum aquis periiſſe, unaque cum eo homines, & quicquid in terris eſſet. Hæc illi picturis & notis prodita ab antiquo habent; fidem Platonico diluvio, quod in Atlantide Inſula eveniſſe dicitur adſtruentes. *Lupus Gomara.* Cæterum cauſam illius diluvii Vniverſalis igni ſubterraneo in gradu intenſiori, augente molem per rarefactionem, donec cavernis ſuis agi non poſſet, aſcribit *Lydiat.* Demonſtrare id videtur Geneſis. Nam & abyſſi magnæ fontes recluſi dicuntur, & immiſſum exactis quadraginta diebus ventum, aquamque ſedatam quieviſſe. Intelligi verò debet, ventus è ſicca exhalatione, quam copioſiſſimam toto diluvii tempore, è maris gurgitibus calor excitaverit, ſubterraneus plurimum auctus, tum demum iis excluſum eſſe, aëriſque motum correpti revolutione cœli, & impetu firmamenti intendiſſe. Fuêre vero præter hoc & aliæ portentoſæ. Anno 1095 diluvio in Syria innumeri homines fuêre oppreſſi. Hoc diluvium prædixit Aſtrologus Mahumedanus, argumento conjunctionis omnium planetarum. (*Alſted. Chronol. c.* 25.) excepto Saturno in ſigno Piſcium; quæ fuerit ſimilis illi tempore Nohæ, quo omnes ſeptem planetæ coïerint in uno ſigno. Anno 1164. tanta in Friſia fuit, ut omnem maritimam involvens terram, multa hominum conſumſerit millia: *Krantz. l.* 5. *cap.* 4. *Vandal.* Anno 1183 retrocedens mare Siculum quinque in ſe traxit millia. *Bergomas in Lucio III.* Anno 1218 in Friſia centum periêre millia. *Nauclerus generat.* 40. *Neubrigenſis Angel. hiſt. l.* 3. *cap.* 20. In Hollandia anno 1287 maritimæ regiones non procul à Dordraco oppreſſæ ſunt, ſedecim ampliſſimæ demerſæ Parochiæ: *Largus in Chron. Cittizen. Krantz. Vandal. l.* 10. *cap.* 36. Anno 1421. abſorptis ſeptuaginta duobus pagis, centum hominum una abſorptà millia: Anno 1530 tam prodigioſa erat, ut in Hollandia, Zelandia, Friſia, Brabantia, & Flandria quadragintà evanuerint Parochiæ. *Iohan le Petit in magno Chronico Hollandiæ.* Anno 1509, menſe Septembri, mare inter Peram & Conſtantinopolim ita intumuit, ut mœnia Conſtantinopolitana excederet;

petiêre in urbe tredecim millia. *Sur. in hiſtor.* In novo orbe in Gangona valle, mare ad quatuor paſſuum millia præter morem eſt egreſſum, ingruente ingenti procella, non modo ædificia ſubruta, ſed etiam arbores eradicatæ præmaximæ & tranſlatæ, ac ſi arboribus plueret. *Martyr in Summar. India.* Anno 1604. haud minor jam enumeratis in Britannia accidit, quam quia *Illuſtris Thuanus lib.* 138. ſufficientiſſime deſcripſit, verbis ejus exprimo. Briſtoliæ (inquit) civitati maritimæ, quæ ſecundum Londinum, & Eboracum in Regno primaria eſt opibus & commercio frequenti, & quo nuper Hybernia advectæ ad nundinas proximas, quæ in VIII. Kalend. Februarii incidunt merces corruptæ, horrea frumento & ſtramine plena, huc illuc diſſipata, equi & alia jumenta aquis merſa, & ædificiis vi fluctuum magnam partem collapſis, homines qui in culmina domorum confugerant, una obruti, plerique in agro deprehenſi, dum domum ſubito remeant, ut rebus ſuis convaſatis saluti ſuorum conſulant, tum rapido impetu mare, decem fere milliarum ſpacio excurrit, ut vix rebus ſuis relictis ſatis habuerint; quo ſe periculo eriperent. Sed omnium maxima diluvies fuit in Sommerſettenſi provincia ad viginti milliaria in longitudinem, in latitudinem quinque aquis effuſis, quæ Hunsfeldiam oppidum, Granthanium, Kenhuſium. Briandoum, & Kingſonium pagos cum multis ædibus per convalles ſparſis merſerant. Videre erat ruſticos & homines in agro deprehenſos, tignis dirutarum domorum inſidentes, ubique fluitare, ad quos ſcaphæ tandem immiſſæ, quæ pleriſque in tempore præſto fuere, fœnum in cumulos, ut fit, congeſtum, & trabibus ligneis impoſitum, undis innatare ubique cernebatur, & columbæ, cum aliunde paſtus deeſſent, ſuibus immiſtæ ariſtis frumenti in pyramides coacervati inſidentes, granis fortè oblatis veſcebantur; quin & cuniculi è foveis vi aquarum excluſi, in tergo ovium conſidere, & donec cum ovibus ipſis mergerentur diu fluctibus innatare viſi. Fidem ſuperant, quæ de tempeſtate illa Tragica, imo Poëtica ſcripſere, qui res eas narrant. Iuxta

Marc-

Marclandiam in Norfolcienſi agro non minus illa ſæviit, ubi ut in ſubito & inopinato caſu à furibus in agro deprehenſis, vix expergefacti oppidani, ingenti & confuſa orta comploratione, cum bonorum abjecta cura, quæ prima ſubierat, filii, patres, & matres, invicem fratres, alii quiſque caritates ſuas, ut in Trojano excidio memoratur, ſecum traherent, aut humeris portarent, qui in montem Trichilum ſeſquimilliari inde diſtantem, trepida fuga evaſerunt, quo & armenta & greges ex agris ſe receperant. Alii qui in oppido aut pigritia, aut infirmitate remanſerant, cum poſtridie urbem aquis merſam ex feneſtris ſuperiorum conclavium aſpicerent, fruſtra opem divinam panſis in cœlum manibus implorabant. Ad eum montem qui milliare circiter ambitu capiebat, cum aditus tanquam ad arduum ſcopulum, & in cacumine ſentibus & ericetis impeditum non eſſet, ad ſummam deſperationem cuncti in eo redacti erant, jam deficiente pecori gramine & inedia tantam multitudinem premente: cum è longinquo (nam aquæ ad ſedecim milliaria excurrerant) commiſeratione excitati vicini, ſcaphas pane & aqua onuſtas, ſummo ſcopuli labro admovent, & operibus complanata per ſentes & ericeta via, ad miſeros pervenerunt, & non ſolum viatico in præſens recrearunt, ſed ſalutis in futurum ſpe impleverunt. Tantum *Thuanus*: nos cum eo.

CAPUT IV.

DE FÔNTIUM ORIGINE.

INnumeros in hac inferiore orbis ſphæra inveniri fontes, eoſque miros præcedentia oſtendere, dignum ut unde oriantur diligentius indagemus. Ab aquis pluvialibus ſcaturiginem fontium voluere nonnulli, ex terra in aquam mutata ſcripſit Seneca, ex aëris vaporibus in terram concluſis, & eorum frigore condenſatis, ſenſit Ariſtoteles. Credere vix ſecurum. Quantum enim ad primum; Nulla infra pedes decem terram ma-

deficit pluvia, & illa ſatiata, ſi quid præter ceciderit, excludit. *Seneca. l. 3. natur. cap. 7.* In ſicciſſimis vero locis, puteis in altum actis, per ducentorum & trecentorum pedum ſpatia uberes aquarum inveniuntur venæ. Quoad ſecundum; Facilius poteſt aqua in terram mutari, & denſitas in cauſa eſt; Nec fieri poteſt, ut tertium tangamus, tantâ aërem celeritate corrumpi, quantâ fluunt aquæ, nec tanti ſuppeditari vapores. Nam decuplum oportet eſſe aërem, cui nullus locus. Dicendum igitur per ſubterraneos canales, fontes de mari manare. Solum certè mare talibus ſufficit ſcaturiginibus, & dum illud nequicquam fluminum augeri videmus affluxu, per occultos ad ſuum fontem illa redire meatus, oſtenditur. Sed & de modo aſcenſionis eſt controverſia. Succuſſationi adſcribit *Socrates*; ſpiritui *Plinius l. 21. c. 65.* terræ ponderi aquam propellenti *Bodinus l. 2. theatri*, maris moli *Scaliger*, vaporibus in ſe reflexis cæteri. Arduum eſt omnibus definire, nobis etiam non conſultum. Quia verò acutiſſime de hac materia ſcripſiſſe videtur *Thomas Lydiat. Anglus*, ſententiam ejus in paucas propoſitiones redactam, hic apponemus.

I. *Succuſſatio aquæ ſurſum deorſum non eſt ejuſdem aſcenſus ad terræ ſuperficiem cauſa:* Nulla enim ejus agitationis cauſa. & cur non tandem in æquilibrio ponitur? II. *Spiritu agi non eſt cauſa*; 1. Non videtur enim certo naturæ ordine in mari excitari, ſed per modum tempeſtatum. 2. Canales ſunt tortuoſi, ad latera potius, quam ad ſuperficiem terræ propelleretur. 3. Si contrarius ventus tantum in aqua quacunque facere nequit; quid hic ſpiritus? Receptacula etiam ſurſum compulſarum, ſi qua eſſent, ut Valleſius ait, à foſſoribus inventa fuiſſent. III. *Terræ pondus aquam propellens non eſt cauſa.* Nec enim terra in aquam incumbit, ſed vice verſa. Canales ubi non ſunt pleni, non inferiorem partem vacuam habent, ſed ſuperiorem. IV. *Nec maris moles.* Arbitratur enim Scaliger compreſſam in Canalibus aquam, ab incumbente mari, egreſſum quærere: Exemplum lapidis in vaſe; ſed hic duo ſumuntur. 1. Eandem eſſe ubique gravitatis rationem, atque vim lapi-

lapidis. 2. Partem aquæ marinæ plurimam eſſe extra ſuum locum, V. *Nec vapores in ſe reflexi attrahentes, nec ſpongioſa terræ natura, nec terræ venæ, quibus aquæ humor prolectetur.* Nam 1. vires attractrices magis campeſtribus locis convenirent, quàm montanis. 2. Si traherent, eò eſſet ut fruerentur: Vnde verò talia flumina? 3. Non reperiuntur aquarum venæ ita plenæ, ut illa ratio ſive ſanguinis in animalibus, ſive in ſyphunculis requirit. VI. *Eadem ratione aqua è cavernarum fundo elevatur ad capita fontium, quâ è mari elevatur ad mediam aëris regionem.* VII. *Elevatio verò hæc fit vi caloris aquam in vapores reſolventis.* Opus eſſe calore ipſe Ariſtoteles innuit, ad id verò, ut aqua ex vapore fiat, non opus eſt frigore, ſed tantum remiſſiore calore. VIII. *Calor terræ non provenit à calore ſolis, terræ nimirum intra viſcera ſua.* Nam 1. non niſi ad duos paſſus penetrat, ideo Troglodytis non profundiores cavernæ. 2. In ſummis æſtibus palus ligneus, unam aut alteram unciam craſſus non penetratur. 3. Interiora terræ ad octo vel decem paſſus frigidiora, æſtate quam hyeme inveniuntur. IX. *Frigidi aëris in terræ ſuperficie antiperiſtaſis nil ad rem facit.* 1. Mollius enim eſt quam terræ ſolidæ frigus: 2. quicquid intus caloris à Sole genitum per poros meat & evaneſcit. 3. Petit obſeſſus ab utroque frigore, ad quod non habet proportionem. X. *Terræ in viſceribus ſuis calor à duplici eſt cauſa.* In partibus enim ſuperficiei vicinioribus eſt à radiis ſolaribus, in intimis verò viſceribus ab aliis. Ille per poros æſtate à Sole apertos permeat, & ideo evaneſcit; cum alias remotus, à principio originis ſuæ, ſit imbecillior: hyeme verò, frigore conſtringitur. XI *Calor terræ in viſceribus ex caliditate aquarum cognoſcitur. Hæ autem nec à Sole calidæ, nec à ſulphure, vel viva calce in canalibus, ſed à ſolo igne ſubterraneo.* Non à Sole; Nam 1 non poteſt eò penetrare. 2 ſi inde eſſent, æſtate id maximè fieret. Non à ſulphure & calce: ſulphur enim non niſi actu calefactum calefacit, & viva calx tum demum cum ab aqua reſolvitur: Ejus etiam immenſa copia brevi tempore reſolveretur, & mutationem in cana-

canalibus efficeret. Ab igne verò ſubterraneo calefieri, aliquot modis intelligi poteſt. 1 ut actu ſit, & ſic canales, quia lapidei, ferre non poſſent. 2 ut remotior, ſed per fiſtulas, vaporem quemadmodum in balneis emittat: ſic etiam non. Nec enim vapor tantarum eſſe poſſet virium, ut ebullire faciat. 3 Vt aqua ignem ardentem in alveis bituminoſis interfluat. Sed ſic etiam quæri poſſet; quare non egerat bitumen? quemadmodum in urbe Comagenes Samoſata ſtagnum quoddam emiſiſſe limum flagrantem, autor eſt *Plinius l. 2. c.* 104. *&* 107. nec non ignem ad aquas Scantias exiviſſe. 4. *Quartus modus eſt verus; Ars imitatur aliquo modo naturam; in vaſis autem diſtillatoriis aqua vi caloris in vaporem reſolvitur, & ſurſum vapor aſcendit; in tectu ubi hæret, & ab intenſo calore remotior revertitur in aquam. Sic etiam in viſceribus terræ,* XIII. *Fontes autem æſtuantes, non videntur eſſe de numero aquarum manantium, ſed ſtantium:* putei ſcilicet terræ motibus olim aperti, quos mari continuos eſſe mirum non eſt. In parva Inſula contra Timavum amnem fontem calidum, ſcribit *Plinius l.* 2. *c.* 103. eſſe affluentem, mari affluente, refluentem refluente. In Gadibus è contra. *Plin. l.* 2. *c.* 92. Si vero ex æſtuantibus aliqui ſunt manantes, de illis obſervandum, canales eorum ita ſitos, ut mare æſtu accedens in illas ingrediatur, aut ſi antea ingreſſum, magis effundat. Et ſic vel proportionatus erit ignis calor, & major exhalatio, vel non, & ſic minor. XIV. *Quod autem de bituminoſis, & ſaporem redolentibus, ſcribit Agricola, propinquitati attribui debet, evaneſcere verò ob diſtantiam juſtam,* quemadmodum id in aquis ſtillatitiis arte comparatis animadvertitur, ut evaneſcat tempore intercedente empyreuma. XV. *Quia vero ignis hic per terræ motum multa poteſt in ſuperficie, majora in ſuo regno poterit.* Poterit igitur obſtruere canales veteres, aperire novos, in aliis atque aliis cavernis præter egeſtionem materiæ incenſioni aptæ, vel ignis propagatione, vel ſpiritus conflictu nova excitare incendia; unde novi fluvii poſſunt generari. Solet tamen interdum etiam extingui, vel

ita

ita in profundum demergi, ut vires ſuas ad ſuperficiem extendere nequeat. Hæc Lydiati ſententia, quam prolixius expoſuimus, ut meliùs cognita exactius expenderetur.

CAPUT V.
DE THERMIS.

Thermarum calorem variè naturalium ſcriptores explicavêre. Ariſtoteles à fulmine provenire putavit: ſed falſum. Fulminis enim vis peſtifera; cognoſcet quiſquis vinum attactum inſpexerit, aut exanimes, aut amentes reddit. At ſalubres has communis eſt experientiæ. Quid quod multa loca, quæ nunquam fulminum perſenſere ictum? Nunquam enim quinque pedibus altius deſcendit. *Sennerto* (*ſcient. Natural. l.* 4. *c.* 10.) placet fieri à duabus aquis ad tactum frigidis in concurſu ob ſpirituum repugnantiam incaleſcentibus; quod animadvertitur in oleo Tartari, & ſpiritu Vitrioli, item aquæ fortis & tartari, butyri Antimonii & ſpiritus Nitri; quæ etſi ad tactum ſunt frigida, tamen ſi miſceantur, incaleſcunt, & quidem ita, ut ſi repente aquæ forti, in qua ferrum ſolutum eſt, oleum tartari infundatur, non ſolum ebulliat, ſed & flammam miſtura concipiat, quod etiam accidit, ſi butyro antimonii dicto confertim ſpiritus Nitri infundatur. Quidam calori terræ nativo, ſeu ſpiritui cuidam calido, ita ut bis calidis ſpiritibus & exhalationibus non violento motu ſed natura calefacientibus, in quibuſdam locis terræ meatus calefiant, ut parietibus concavitatum. calor ejuſmodi communicetur, cujus ratione calor ſufficiens & perpetuus ipſis thermis communicari poſſit; quemadmodum ex Clibano calefacto, flamma omni remota, panem nihilominus ſufficienter aſſari videmus. *Horſtius de naturâ Thermar.* Alii igni ſubterraneo adſcribunt; an bene? ex præcedentibus patuit. *Bartholin. de aquis.* Exemplo inſuper declarari poteſt. Aqua ſalſa argillæ miſceatur, fiatque ex argilla vel limo globus, qui intus excavetur, orificiumque iterum argilla ob-

ſtruatur, in quod fiſtula anguſta indatur, globuſque igni admoveatur, ut fiſtula ab igne avertatur; Vbi globus incaluerit, ex globo per fiſtulam aqua calida effluet. *Sennert. l.* 4. *ſcient. natural. cap.* 10. Saporem thermæ à permiſſione ſortiuntur terrarum, adde & quæ in terris ſunt. In terra ϰ̀ γλυκὺ, ϰ̀ ὀξὺ, ϰ̀ πικρὸν ineſſe ſcribit *Hippocrates* (*l. de natura humana*) inque illius viſceribus, varias eſſe facultates, humoreſque multiplices) *l.* 4. *de morbis* Trahere unumquodque de terra alimentum, quale etiam ipſum exiſtit. Hinc in Ionia & Peloponneſo, etſi calor Solis ſit ſufficientiſſimus, ſilphion minime naſci, etſi ſeminetur, ob defectum nimirum talis humoris, quo alatur. Inſunt autem illi terræ & ſucci, non tantum quoad ſpirituoſam, ſed & quoad humidam & ſolidam ſubſtantiam. Concreti ſucci ab aquis liquantur, liquidi miſcentur, terræ diſſolvuntur, metallicaque ramenta inveniuntur. Salubritas illarum interdum variat: quia ſolis calore æſtate perfuſæ attenuatæque, optimæ, minus fractæ autumno, quia illi vicinior: tum vere, aperitur enim terra, purificantur aquæ, ſalutare Solis accedit lumen. Hyeme peſſimæ; graviores enim, craſſiores, halitibus ſubterraneis conſpurcatæ evadunt. Mutationes ſubire varia docent exempla. *Fallop. de Thermis c.* 11. Savanarola balneum de aquis in agro Piſano graves inferre pororibus noxas air, huncque effectum prævidere incolas. Nam cum aquam menſe Martio, Aprili, aut Majo luteo ringi colore, turbidamque fieri cernunt, pernicioſam fore præſagiunt. *Aleardus Veronenſis Medicus*, qui de balneis Calderianis ſcripſit, Apponitanam aquam quandoque lethalem eſſe dicit, exemplo cujuſdam nobilis Galeatii, qui ex potu illius cum genero, & aliquot famulis obiit. Acidulæ Alſariæ aliquando tam acres ſunt, ut dyſenteriam commoveant, nonnunquam effœtæ, & priſtino vigore privatæ. *Sebizius de Acidulis diſſ.* 50. *ſect.* 1. Cauſæ ſunt variæ; inter ordinarias, pluvioſa, nebuloſa, caliginoſa, auſtrina, & peſtilens cœli conſtitutio, æſtus nimius, inundationes, & terræ motus. Mirum verò

quod

quod de Thermis quibuſdam Germaniæ ſcribitur, eas vectigali impoſito exaruiſſe. *Camerar. horis ſubciſ. Cent. 2. c. 69.* Simile quid in conchis accidit Sluſæ. Cum enim harum collectioni vectigalis genus quiddam impoſitum eſſet, evanuerant; rediere, ablato. *Iacob. Meier. in Annal. Flandriæ.*

CAPUT VI.

DE MARI.

ARTICULUS I.

De diviſione, & nominibus maris.

MAre aquarum eſt ſalſa & maxima collectio, quæ univerſam hanc quam incolimus terram ambit. Vtrum verò terras velut vinculum circumfluat, an in ſuum colligatum orbem, & in hos, per quos navigatur ſinus. quaſi ſpiramenta quædam exæſtuet, ambigebant veteres. *Fab. Suaſor.* 1. Cenſuerunt quidam ſuum diſtinctumque globum facere, & duntaxat hæc noſtra maria exiguam ejus partem, *& velut lacinias eſſe, imò nec ſolem ambire, & tenebras in extremis ejus, & horridum ſecretum habere.* Fuit & hæc veterum ſententia; terram cum mari rotundam eſſe, ſed ipſam duplici dividi Oceano, & velut decuſſari. *Plin. lib. 2. c. 67.* Nobis unus eſt Oceanus, qui poſtea nominibus & locis differens, in varia maria ac ſinus varie diſtribuitur. Ac primò quatuor appellationes, ex quatuor mundi regionibus, accipit. Ab Oriente Eous dicitur, ab Occidente Occiduus, à Meridie Notius, à Septentrione Septentrionalis. Poſtea prout quamque regionem perfundit, diverſa à littoribus ſuis trahit vocabula. Hinc Sarmatici, Scythici, Hyperborei, Cronii, Concreti, Amalchii, Serici, Indici, Gangetici, Arabici, Perſici, Aſperi (id circa Inſulam Madagaſcar) Æthiopici, Atlantici &c. nomina. Sinus ejus quinque à veteribus nominantur. Codanus ſeu mare Suevicum, & Balthicum, Perſicus, Arabicus, Hyrcanus ſeu Caſpius, & Mare mediterraneum. Hoc præ cæteris celebrius, & oritur ex Oceano Atlantico, qui ab-

ab occaſu ſolis per fretum Gaditanum irrumpit, ſciſſis utrinque (id veteres credidere) Calpe & Abila. Diffunditur in varia nomina, prout regionum littoribus adfunditur. De his apud Geographos præſertim *Cluverium in introduct. in univerſam Geographiam.*

ARTICULUS II.
De Navigatione maris.

NOſtro tempore & avorum memoria, totum hunc circumnavigatum orbem, Hiſtoriis demonſtratur. Nota Americi, Veſputii, Franciſci Draci, Thomæ Candiſchii, Olivarii del Nort, & aliorum geſta. A veteribus an id factum fuerit, quæri non immerito poſſet. Oceanum quidem Atlanticum, qui eſt intra Europam, Africam, & Americam, quando primum cœperint navigare mortales, haud facile dictu. Notam fuiſſe Ægyptiis, Græciſque terram Americam, eoque Carthaginenſes navigaſſe, in ſequentibus patebit. Medio mundi ſeculo de ejus circumnavigatione narrat *Plinius l.* 2. *c.* 67. A Gadibus, columniſque Herculis, Hiſpaniæ & Galliarum circuitu, totum ſua ætate navigatum occidentem. Septentrionalem autem Oceanum majori ex parte auſpiciis Divi Auguſti perluſtratum, Germaniam claſſe circumvectam uſque ad Cimbrorum promontorium, & inde immenſo mari proſpecto, aut fama cognita ad Scythicam plagam, & humore nimio rigentia, quod Tiberii ductu factum, ex *Vellejo* perſpicitur. Idem *Plinius* auctor eſt, Alexandri Magni Victorias majorem Meridionalis Orientaliſque Oceani partem perluſtraſſe, uſque ad Arabicum ſinum, in quo etiam poſtea res gerente C. Cæſare Auguſti filio, ſigna navium ex Hiſpanienſibus naufragiis fuiſſe agnita. Carthaginis verò potentia florente, Hannonem circumvectum, à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidiſſe ſcripto, ſicut ad extera Europæ noſcenda miſſum eodem tempore Himilconem. Præterea *Cornelius Nepos autor eſt* apud Plinium, Eudoxum quendam ſua ætate, quum Lathyrum Ægyptii Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum

Gades uſque pervectum, multoque ante eum *Cælius Antipater* ibidem affirmat, vidiſſe ſe, qui navigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam, commercii gratia. Idem tradit, Qu. Metello Celeri Galliæ proconſuli Indos à Rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii cauſa, navigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam delati. Hodie ea navigatio tentata, ſed cum ſummo vitæ periculo, perpetua glacie & diuturnis tenebris obſiſtentibus. Si hæc vera ſunt, jam totus hic noſter orbis circumnavigatus fuit. Quæritur adhuc, An per mare Septentrionale in Regnum Sinarum & Moluccas detur aditus? Ex Demetrio Moſcuo ſe audiſſe narrat *Iovius*, Duinam multiplici ſtipatum fluvio, ingenti ad Aquilonem ferri curſu, mareque ibi patere, ita, ut legendo dexteri littoris oram, (niſi terra interſit) navibus Cathajum peti poſſit. Ad extremam enim orientis plagam, & Thraciæ parallelum, Cathaini pertinent, Luſitanis in India cogniti cum ad coëmenda aromata, per regionem Sinarum & Malaccam ad auream navigaverint Cherſoneſum, veſteſque ex Sebellinis attulerint pellibus. *Petrus Bertius* vir de re literaria bene meritus, male de Eccleſiaſtica, refert *in deſcript. novæ Zemblæ*, ſe vidiſſe tabulam à Ruſſis delineatam, in qua Ruſſorum, Samogetarum & Tingœſorum littora cum vicino Arctoo mari & Inſulis aliquot craſſiore depicta Minerva. In ea Duina fluvius maxime erat occidentalis, ſequebantur autem Orientem verſus cùm alii, tum imprimis Peiſa, Perchora, Obii Ieneſeja & Peiſida. Patebit igitur iter ab Obii flumine ad Peiſidam. Hiſtoriæ Ruſſorum narrant Moſchos & Tingœſios, cum curioſa flagrarent cupiditate luſtrandi ulteriores Orientem verſus regiones, emiſiſſe exploratores, qui terreſtri itinere ſuperato fluvio Obii & Ieneſeja, ad Peiſidam uſque delati inciderant in homines cultu, moribus & ſermone à ſe mutuo differentes, auditus illic Campanarum ab Oriente delatus ſonitus, ſtrepitus hominum, hinnitus equorum percepti, conſpecta vela, & quidem qualia Indorum, quadrata; viſus, locus menſibus Aprili ac Majo omnigenere florum luxurians. Innotuit hæc res poſtea Mo-

ſchorum Duci & exploratio facta; ſed intervenit ducis fatum, & nobile impedimentum paſſum negotium. Suſpicio eſt, loca illa Indis vicina eſſe: ac proinde ſi ſuperari Peiſida fluvius poſſit, non fore difficilem ad Cathajam & Sinas tranſitum.

ARTICULUS III.

De profunditate, congelatione, coloribuſque Maris.

DE profunditate maris diverſæ ſunt diverſorum ſententiæ. Burgenſis profundius terra aſſerit *ad cap.* 1. *Geneſ. Plinius* (*l.*6.*c.*22.) & *Solinus* (*c.*54.) multis locis imperſcrutabile eſſe. Sed hi loquuuntur de certo mari Indiæ Orientalis, & loquuntur pro conditione ſuorum temporum, quibus non tanta navigandi peritia. *Priſcianus* refert à Iulii Cæſaris exploratoribus quindecim numerata ſtadia. Alii triginta largiuntur. Qui autem hodie navigando obeunt omnia, Angli, Luſitani, Belgæ duo Italica cum dimidio milliaria numerant. *Olaus Magnus* (*l.* 2. *Hiſt. Septent. c.* 10.) ad littora Norvegiæ tantæ profunditatis ſcribit, ut nullis explorari poſſit funibus; ſed id fit propter littora cavernoſa, & hiatibus undique plena. Quamvis autem in mari tantus ſit aquarum impetus, certum tamen glaciari interdum. *Strabo*; *l.* 2. *Geograph.* tradit in Oſtio Mæotidis, tantum gelu viſum, ut quo loco Mithridatis Dux hoſtem in gelu vicerat, eodem claſſe ſuperaret. Conſtantino Copronymo imperante Ponti Pelagus ad centum paſſuum millia ita concretum erat, ut lapidum præ ſe ferret duritiem, & craſſitie triginta ſuperaret cubitus. *Vincent. l.* 23. *c.* 158. *Olaus* vero *lib.* 11. *c.* 25. de mari Septentrionali, pugnas ibi cieri, prælia committi, machinas bellicas trahi, emporia erigi. Mira autem ibidem glaciei conſtitutio. In littus extractum, mox illud deſerit nemine promovente. *Ziglerus l.* 2. *c.* 8. In Iſlandia aſſervatam evaneſcere; quandam in lapidem abire affirmat. Color maris varius eſt. *Andreas Curſalius* juxta Indos Orientis incolas, lacteum mare in trecenta millia paſſuum patens reperiri ait, *atteſtatur & Martyr in*

Sum.

Sum. Indi. Quod Inſulam Cabaquam alluit, cum alias vireat, quodam anni tempore rubeſcit. Oſtreæ enim paſſim fundunt ſanguinem. *Petrus Hiſpanus.* Mare vero rubrum quamvis ita dicatur, quod ſit roſeis undis infectum; non tamen talem naturam habet qualem oſtendere videtur: ſed vicinis littoribus vitiatur gurges. Omnis enim quæ circumſtat terra rubra eſt, & ſanguineo proxima colori. *Iſidor. l. 13. c. 17.* Solet autem mari frequens colorum accidere mutatio. Cauſam dat *Aulus Gellius noct. Atticar. l. 2. c. 30.* Apertiſſimis, inquit, rerum Philoſophis obſervatum eſt, Auſtris ſpirantibus mare fieri glaucum & cæruleum, Aquilonibus obſcurius atriuſque &c. Tempore caniculæ turbidum eſt; Soli id adſcribunt, qui radiis ſuis maris penetrat interiora, craſſioreſque partes commovet non abſumit. Hoc verò admirabile, quod traditur; mare Parium, quod novum orbem alluit, tot herbis virentibus implicitum eſſe, ut navigari non poſſit obſidentibus retium more, longiſſimis herbarum ramuſculis. Tantam enim illud pelagus pratorum refert ſimilitudinem, ut quo vertuntur ipſi fluctus, eodem germina omnia convertantur, ut herbarum magis quàm undarum videantur procellæ. Hinc periculum navigantibus, primum Columbo. *Ovetan. l. 2. c. 5.* Nam ramuſculorum flexibus ne converti poſſint implicantur navigia. Profundum illius vehendis ſufficit triremibus: herbæ tamen ab imo exſurgunt, in ſuperficie coaleſcunt, ſuperant interdum palmis quindecim. In mari rubro, *refert Plinius l. 13. c. 25.* ſylvas virere, laurum maximè & olivam ferentem baccas, & ſi pluat, fungos, qui Sole tacti, mutantur in pumicem. Fruticum ipſarum magnitudo ternorum eſt cubitorum, caniculis referta ut vix de navi reſpicere tutum ſit, remos plerunque ipſos invadentibus. Qui navigare ab Indis Alexandri milites, frondem marinarum arborum tradidere in aqua viridem fuiſſe, exemtam, Sole protinus in ſalem areſcentem verſam. *Polybius* etiam narrat in mari Luſitanico gigni quercus, quarum glande Thynni veſcantur & pingueſcant. *Athenæus lib. 7.*

ARTICULUS IV.

De maris ſalſedine.

Mira hæc DEI in natura opera: ſed duo maxima, quæ mari tribuuntur mira, ſalſedo & reciprocatio. Traditur equidem in Meridionali Oceano Inſulam eſſe, cujus mare quo illa alluitur dulceſcit, quod & *Diodorus Siculus* teſtari videtur; & de mari Scythico aſſerere *Plin. l. 6. c. 17.* Sed id nimio fluviorum affluxui tribuitur, & quantulum hoc ratione reliqui maris. Cæterum de cauſa ſalſedinis inter Philoſophos diſceptatur. *Ariſtot lib. 2. meteor. c. 1.* Maris naturam & Solis efficaciam in auxilium vocat. Aqua enim marina propter commiſtionem terræ ex fundo & littoribus fit craſſior; Sol verò calore ſuo partes in ſuperficie tenues educit, & in vapores reſolvit, qui calore aduſti, & aquæ permiſti ſalſedinem ei conciliant. Subſidium diſcurſui corpus humanum præbet, in quo calor nativus dulciſſimos cibos in ſalſum reſolvit humorem, qui in renibus collectus egeritur. Accedit & experientia, quæ ſalſius æſtate mare quam hyeme, ad Orientem & Meridiem, quam alibi oſtendit. Non placet ſententia *Lydiato*, ſed aliam affert: ut juventus percipere exactius ſenſum viri queat, paucis incluſum propoſitionibus, hic etiam damus. I. *Vehementia ardoris Solis non incoquit ſalſedinem mari.* Nam 1. cur non idem fit in aquula in pelvi? 2. Eadem cauſa ſalſedinis magis deberet agere in ſubjectum cum minori reſiſtentia. II. *Exhalatio calida. ſicca, terrea, pluviis in mare delata, non eſt cauſa ſalſedinis.* Cur enim id non fit in fontibus? 2. Pauca eſt nimis. 3. Cur ſalſa eſt non tantum in ſuperficie, ſed & in profundo? Quamvis enim id *Scaliger exerc. 51.* neget, exploratam per urinatores dulcedinem aſſerens; tamen Patricius compertum id ait, freto medio inter Creticum & Ægyptium, cum mare ſtaret placidiſſimum. Teſtis eidem *Philippus Mocenicus.* III. *Mare ſalſum eſt propter ei alicujus admiſtionem.* Id patet, quia omnis ſapor miſti eſt. IV. *Id quod mari admiſtum eſt exhalationis calidæ & ſiccæ naturam.*

turam obtinet. Id patet 1. quia mare eſt tale, Flammas enim vix extinguit, & ipſum facile inflammatur. 2. qui eo lavantur citius reſiccantur. 3. Inſulæ ſunt calidiores, ut Britannia calidior Gallia. V. *Mare non tantum eſt ſalſum, ſed & amarum, inde ſæpius mare quam ſalum dicitur.* VI. *Maris ſalſedo & amaritudo eſt ab igne ſubterraneo bituminoſo.* 1. Bitumen enim deprehenditur, guſtu adeo amarum, ut primum illius ſubjectum intelligatur. 2. Bitumen gignendo ſapori amaro & ſalſo vim magnam habet. Lacus Paleſtinæ bituminoſus, tam eſt amarus & ſalſus, ut nullus piſcis in eo naſcatur. Veſtes detergit, ſi quis madefactas bene excuſſerit. 3. Narrat Plinius aquam bituminoſam ſimul & ſalſam Babylone è puteis in ſalinas ingeſtam, & flagrantiſſimo Sole coctam, denſari partim in bitumen, partim in ſalem. VII. *Salſa exhalatio ab illis gurgitibus procedens facile per corpus marinum diſpeſcitur.* Quemadmodum enim pollen aut quidvis aliud injectum in liquorem in olla bullientem, ab ebullitionis loco ad cætera diſpergitur, ſi ab uno latere ad alterum, ſi in medio quaquaverſum; perinde bituminoſa exhalatio inde ubi maximè æſtuat, fervetque mare, in illud univerſum disjicitur & diſpellitur. *Hæc Lydiat.*

ARTICULUS V.

De Maris fluxu & refluxu.

Alterum magnum naturæ miraculum fluxus eſt & refluxus maris. Cauſam ejus cum inquireret Philoſophus ad deſperationem adductus eſt. *Poſidonius* tres marini æſtus apud *Strabonem. l. 3. Geograph.* refert circuitus, Diurnum, Menſtruum, Annuum; Primo quando Luna ſigno Zodiaci uno ſupra Horizontem attollitur, vel ſubter Horizontem deprimitur, mare intumeſcere, quouſque ad cœli medium ſuperum vel inferum perveniat: inde ea declinante mare paulatim abſcedere, donec uno ab occaſu vel ortu ſigno diſtet; tunc motum ejus ſiſti. Et hactenus ſuffragatur *Plinius*, æſtum nimirum duabus ferè horis æquinoctialibus poſt ortum vel occaſum Lunæ incipere, ac

re, ac deſinere etiam tanto ante ejus vel occaſum vel ortum tempore. Secundum juxta Synodicum menſem ſtatuit, cum ait, maximos & celerrimos refluxus contingere circa Novilunium, & Plenilunium, minores circa Lunam dimidiam. Et approbant id nautæ, dum ob majores & celeriores affluxus, & refluxus Luna novâ, & plenâ, mare vivum vocant; dividuâ propter minores & tardiores mortuum. Addit *Poſidonius* Seleucum quendam à rubro oriundum mari diverſum ab hoc & ipſum menſtruum æſtus circuitum obſervaſſe, ſcilicet ſecundum Lunæ menſem, quem vocant periodicum. Animadvertiſſe enim, Luna in æquinoctialibus ſignis hærente, æqualiter æſtus fieri; in ſolſtitialibus autem, & quantitate & celeritate inæquali, eamque inæqualitatem in cæteris locum habere pro eo atque unumquodvis eorum ad proximè dicta accedit. Annuos denique circulos ait *Poſidonius*, ſe à Gaditanis didiciſſe. Ita enim illos tradere, circa æſtivum ſolſtitium acceſſus receſſuſque maris maximè augeri: ſe verò conjecturam facere, eoſdem inde ad æquinoctium uſque diminui, rurſuſque ad brumam uſque accreſcere, ab hac ad vernum æquinoctium decreſcere, porroque augeſcere uſque ad ſolſtitium æſtivum. Contrarium ſtatuit ratione Æquinoctii *Plinius*. *Patricius* verò teſtatur in Liburnia menſe Ianuario magnam littorum partem denudari ſolitam, & ſiccam remanere per aliquot dies. Idem *Plinius l. 2. c. 97.* per octonos quoque annos æſtus ad principia motus, & paria incrementa centeſimo Lunæ revocari ambitu, animadvertit; ſcilicet Luna & Sole tum demum redeuntibus ad conjunctionem in eodem ſigno & gradu, quo ante octo annos conjuncti erant. Cæterum æſtus diurni varia etiam apud ſcriptores ratio. In mari Siculo die bis & bis nocte fluxus fit & refluxus. Euripus in Ægeo ſinu ſepties die reciprocat motus, & nonnunquam ex altiſſimis montibus videtur dejici, adeo præceps ut nulla navigia ibi tuta ſint. *Baſil. in hexemero.* In Anglia ad Briſtoliam æſtus bis quotidie tantus, ut naves, quæ intra mare erant, ipſo refluxu in ſicco hæreant, biſque in mari rurſum ſint, bis in ſicco. Pitheas Maſſilienſis, teſte *Plinio l. 2. c.*

97. o-

97. octogenis cubitis ſupra Britanniam intumeſcere ſcribit. In meridionali novi orbis plaga, mare æſtuans effluit ad binas Leucas. *Ovetan. ſumm. c. 9.* In Aquilonari verò pelago quodam à maritimis fluctibus nullus in littus vel excurſus vel recurſus animadvertitur. *Petrus Hiſpan. p. 5. c. 1.* Non procul à Cuba promontorio, & juxta littora inſulæ Margaritæ & Pariæ, mare ſponte fluit; nec ulla ratione etiam vento ſecundo navigia fluctibus obſiſtere poſſunt, nec per intervallum diei mille trajici paſſus *Petrus Martyr. in ſumm. India.* In mari Adriatico olim ingens excurſus fuit, ſummo diluculo mari in continentem ita egreſſo, ut tantum quantum robuſtus vir uno die curſu abſolviſſet, occuparet. *Procop. l. 1. belli Gothici.* Singularis vero eſt æſtus ille, imo ſummum mundi miraculum, quem Alexander vidit. Meminit ejus *Iohannes Hugo Linſchottus* in Americanis, & *Caſparus Balbyus* in Hodœperico in Syriam. Is cum ab Emporio Indico D. Thomæ in regnum Peguanum, quod eſt in India extra Gangem, contenderet, confecto decem dierum itinere, venit ad lacum Maccareo (ita enim vocat) eſtque oſtium fluminis illius Indici, quem navigavit Alexander. In eodem libro vocantur, fauces iſtæ Maccareo Sirian, qui eſt portus maris, in cujus littore ſunt gradus lignei viginti quos allabens æſtus & decedens nudat omnes, ubi maximum eſt Mundi miraculum. Aqua ibi mirabiliter creſcit, decreſcitque adeo, ut imperito ultra fidem humanam videatur. Naves appellentes Martavano (eſt ora littoralis in eodem tractu; mare quod ibi eſt, vocatur mare de Bengala) creſcente jam aqua velocius jaculo propelluntur, idque quouſque æſtus in terras infertur. Hoc recedente in ſicco deſtituuntur. Æſtus exuperat omnium arborum ſummitates. Naves cum ſe illi permittunt, roſtris in mare proſpicientibus retro feruntur. Venit autem cum magno ſtrepitu & aſpergine, ut totæ madefiant. Oppoſitus eſt ille locus Taprobanæ Inſulæ in meridie exiſtenti, non procul à promontorio iſtius prolixi dorſi in mare protenſi. Sed jam accedamus ad cauſam & unde hic oceano fluxus conſideremus. Vulgata opinio

nio eſt Lunæ id fieri radiis mediante aëre, qui tumet & radios Lunæ excipit, & ſecum intra undas marinas defert, ita ut radii aquam marinam quodam afficiant tepore, tepor autem iſte rarefaciendo, flatibus plenum mare reddit, ut tumeſcat. *Keckerman. de navigatione. Libavius* (*lib. 5. de orig. rerum*) non negat ſolem aliquid conferre poſſe, uti & Lunam ſpirituoſum illud ſydus; tamen in his nec primam principalemque cauſam eſſe, nec ſolitariam, verum aliqua ſaltem adminicula, & occaſiones quibus cauſæ inſitæ moveantur, & in actum veniant, aſſerit. Mare enim iſtam potentiam habuiſſe, antequam iſta ſydera conderentur, certum videri, nec ullibi legitur propter æſtus reciprocantes, ea facta eſſe, ſed ut eſſent in ſigna, tempora, dies & annos, lucerent in firmamento cœli, tenebras & lucem diſcernerent, gubernarentque dies & noctes. Quadruplex autem videtur *Libavio* maris æſtus. Primus ab ortu in occaſum præter littus Æthiopicum, & in Boſphoro & Helleſponto, ubi pontus rapide prætervehitur littora Thraciæ & Aſiæ; qui fluxus primi cœli potius motum ſequitur, quam Solis & Lunæ, uti & aër ipſe; quod maxime notatur ſub Ecliptica, ubi iſte fluxus aëris cum marinis halitibus vaporibuſq; eos ventos facit, quos Bryſenes vocant, quibus adverſantur illi, qui ſpirant extra Tropicos Vedavales dicti. Alter fit à belluis in mari degentibus, Balænis præſertim. Tertius Euriporum particularium, quem faciunt voragines quibus ſorbentur & removentur aquæ alternis. In Charybdi, Syrtibus, Chalcyde circa Eubœam id accidere veriſimile eſt. Æſtum verum hic repræſentat, & ſpiritibus è cavernis terræ eructantibus, aquaſque protrudentibus, vel obviis fluctibus iterum recedentibus & ſidentibus acceptus. Quartus, æſtuatio vera eſt, quæ nec in ortum fit, nec occaſum, ſed ab umbilico maris incipit, indeque ſurſum ebullit, & dum ita ſurgunt aquæ, plus minus pro vehementia cauſæ in littora effunduntur: niſi quid impediat, cujus cauſa in imo quærenda. Et certè nautæ in anguſtiis Magellanicis, in quibus mare Auſtrale ab Aquilonari notabili ſeparatur diſcrimine, diligenter utriuſque maris notando

tando

tando æſtus, id obſervarunt quod in vaſto non potuere ſpacio; nempe eodem tempore utrumque mare non accipere principium æſtus, à cauſa externa, nec à cœlo, imo nec inferri ab ortu vel occaſu, ſed fundo commoveri, indeque exæſtuare, ſuperfluitate poſtea excurrente in littora varie, prout tumor magnus eſt vel parvus, littora vel alta vel humilia, cauſaque ab imo ſurſum movens valida aut imbecillis. Hoc ipſum confirmat aquarum natura, quæ à fundo egerit, quicquid abſorbuit, ſi præ gravitate poſſit. Ideo evenit ut omnia plenilunio maria purgentur, non quod Lunæ tractio ſit cauſa, ſed ſpiritus qui interim in ſubterraneis collectus ſurſum contendit, vel circa putredines maris cumulatus prorumpit. *Lydiat. de origine fontium*, igni ſubterraneo attribuit, ut fundamenta ſententiæ ſcias propoſitionibus paucis incluſam, adjicio.

I. *Æſtus maris non eſt propter Lunam propinquitate ſua lucis & mutuatitiæ præſertim exhalationes gignentem, quibus turgeſcens exundat.* Nam in plenilunio obverſa eſt illa lux terris: cum tamen ſit ſat magnus in eo æſtus. II. *Sol & Luna radiis ſuis non cient æſtus marinos.* 1. Cum enim æſtuat in altero hæmiſphærio, utroque luminari verſante in altero, unde id eſt cauſæ. Nec enim pares vires in utroque habet. 2. Si Sol ac Luna marinos æſtus cient, cur alibi etiam in ipſo Oceano & quidem intra Zonam torridam, ubi eorum vires ſunt potentiſſimæ, leves aut nulli ſunt refluxus? III. *Cum de æſtu marino quæritur, ſupponendum eſt.* 1. *Inſignem aquæ in terra finibus eſſe copiam.* 2. *Illam aquam quæ in terræ finibus, non ſolum ſibi, ſed & huic quæ conſpicitur, in mari continuatam eſſe, ac cohærere per terræ canales ſive hiatus.* Primum ex eo veriſimile eſt quod ſit pars ejuſdem corporis: deinde ſunt indicio gurgites maris qui nondum ſunt explorati. 3. *Cum duæ vaſtiſſimæ continentes, hinc quidem Aſia, Africa, Europa, illinc America totum ferè Oceanum in duas oppoſitas mundi partes diſpeſcant, eumque duplicem faciant: fieri ut illorum gurgites præcipui & voragines, fere in directum oppoſitæ, & è regione alteræ alterarum conſtitutæ ſint, quantum intellectu com-*

prehen-

prehendimus, non videtur abſonum. Quandoquidem unus quidam maximus maris gorges à Platone agnitus & in ſacris Ebræorum literis Geneſ. 7. Abyſſus magna appellatus videatur. IV. *Poteſt Luna cum Sole apud antipodes conſtituta, per aquam in noſtro mari fluxus ciere.* Aqua enim corpus rarius eſt & tenuius, ejuſque imperio obnoxium. V. *Magis id poteſt cum igne ſubterraneo, ſeu limo flagrante, quem in gurgitibus ſupponimus.* Nam magis gliſcit & æſtuat, dum radiis illorum fovetur, quo hi magis directi in gurgites inciderint; directi ſunt magis, cum perpendiculares quam cum obliqui. Æqualiter autem in utroque hemiſphærio foveri patet. 1. quia fulmine ocyus ab hemiſphærio altero ad alterum per terræ perterebratæ diametrum vis radii trajicitur, ut in pyrio pulvere longo ordine diſpoſito, ſi ſcintilla prima accenſa fuerit. 2. Bituminis natura ultra quam quis credat apta ad efferveſcendum. Nam Naphtha nondum accenſa eminus conſpectum ignem ad ſe trahit. 3. Aſtrum ſimili ſubſtantia eſt præditum. Nam ignis & cœleſtis & ſubterraneus viſcidus eſt. 4. Inter Lunam aqueam & ignem bituminoſum, & aqueum eſt etiam cognatio, ſic & inter Solem. *Agricola enim lib* 10. ſcribit, lapides metallicos ex parte nimirum bituminoſos, igne accenſos, in Sole demum ardere; quo minus mirum eſt bituminoſum ignem in nativo ſubjecto liquido ſcilicet, à radiis cognatis ipſius Solis ac præſertim Lunæ, facillime ad ipſum, propter emiſſas ejus ad aquæ ſuperficiem exhalationes, pertingentibus, totum magis fervere. Hunc modum confirmant ea, quæ de freto Siculo & gurgitibus circa Meſſanam tradunt. *Strabo* æſtum eorum motibus Oceani conſentire ſcribit. VI. *Major fluxus & refluxus in conjunctionibus & oppoſitionibus Solis & Lunæ.* Vis enim unita fortior; in illis autem Sol & Luna ſimul oriuntur atque occidunt ſuper gurgites illos. VII. *Tradiderunt nonnulli Oceanum æquinoctiis maxime intumeſcere.* Id vero fit, quia Solis ac Planetarum perigæa ſint in æquinoctiis, & apogæa in utroque Tropico: 2. quia certus reſpectus Solis ad quædam ſydera, in æquinoctiis virtutem ejus auget. Nam &

Luna

Luna idoneum habens reſpectum ad quoſdam Planetas, ut ad Venerem, majores æſtus ciere dicitur. VIII. *Æſtuante ubicunque mari aqua circum illius abyſſos, bituminoſo igne oppletas, fervere atque ebullire exiſtimatur*: Cujus ebullientis intumeſcentia, illa, quæ verſus ipſius ſuperficiem eſt aqua, in continentis littora, fluminumque oſtia ingeratur. Actu verò calida non neceſſe eſt ut ſit, cum longè à loco ebullitionis abſit. IX. *Euboicus Euripus non ſepties de die temporibus ſtatis reciprocat; ſed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verſo mari velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur*. X. *Non omne mare quod ſalſum æſtuat*: Facilius enim & citius & longius diffunditur exhalatio, quam movetur æſtus, quemadmodum coctis in liquore carnibus prius aſcendit ſpuma, quam ebullit æſtus XI. *Majorem habet vim mare ingruens quam recedens*. Hunc æſtum *Strabo* comparat reſpirationi & exſpirationi; ſed ſimilior eſt cordis & arteriarum pulſui, per cujus Diaſtolen in univerſum mare diſtribuitur, halitus ſalſus pro anima, ne putreſceret. Hæc ex *Lydiato*. Tu perpende, & quem vis, ſequere.

CAPUT VII.
DE TERRA.
ARTICULUS V.
De novo Orbe.

QVicquid ultra Atlanticum, occidentem verſus, conſpicitur, ignotum primoribus fuiſſe quidam autumant. *Columbus* primus detexit. Hunc ſecuti *Americus Veſputius*, *Magellanus*, *Dracus*, *Candiſchius del Nort*, & alii, quorum unuſquiſque aliquem illius aperuit angulum, ut interim taceam *Raleghum* qui in Gujanam, *Forbiſcherum*, & *Hollandos* qui in Septentrionem vela fecere ſua. Inde apud Philoſophos quæſtio, Quomodo eò devenerint homines? Stricta & condemnatoria in Epiſcopum Virgilium ferula, quod *Antipodas dixiſſet*; quamvis excuſat *Baronius alio cœlo & Sole frui addidiſſe*. At notam fuiſſe veteribus

bus novam illam terram judicant alii. Nota *Seneca in Medea* prædictio.

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, novoſque Typhis detegat orbes:
Atque ingens pateat tellus,
Nec ſit terris ultima Thule.

Ciceronem vide; ἀντίχθονας appellat ab oppoſito nobis axe, Antichtonas. Mela quaſi adverſam terram. Eſt & in Platonis Timæo memoria Atlantidis inſulæ, quam Aſia & Africa ampliorem aſſerit. Verba addo. *Traditur Athenienſis Civitas, reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copiis, quæ ex Atlantico mari profecta, prope jam cunctam Europam, Aſiamque obſederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore & quaſi veſtibulo ejus inſulam, quam Herculis columnam cognominant, ferturque Inſula illa Lybia ſimul & Aſia major fuiſſe, per quam ad alias proximas Inſulas patebat aditus, atque ex inſulis ad omnem continentem è conſpectu jacentem vero mari vicinam. Sed intra os ipſum portus anguſto ſinu fuiſſe traditur.* &c. *Poſt hæc ingenti terræ motu, jugique diei unius & noctis illuvione factum eſt, ut terra dehiſcens omnes illos bellicoſos abſorberet, & Atlantis Inſula ſub gurgite mergeretur. Ariſtoteles* vero refert *lib. admirand. c.* 8. in mari extra Herculis columnas, Inſulam à Carthaginenſibus inventam, quæ ſylvas haberet & flumina apta navigiis, diſtaſſe verò per plurium dierum itineris ſpacium. Cum autem plures Carthaginenſes felicitate loci illecti, incolis immiſcerentur, mortis pœnam conſtitutam à Ducibus, addit iis, qui eo adnavigaſſent. Audiamus & *Senecam* (*l.* 7. *quæſt. c.* 31.) *Multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſeculis tunc futuris, cum memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat, omnis mundus habeat.* Et alibi *quæſt.* 5. *cap. ult. Vnde ſcio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma? An paret Claſſes ignota moliens? Vnde ſcio hic mihi an ille ventus*

bellum

bellum invehet? Quidam imaginantur Auguſtum eo uſque extendiſſe ſuum imperium. *Marinaus Siculus* auctor eſt, repertum in novo orbe nummum aureum veterem cum effigie Auguſti, eumque Romam ad Pontificem fidei ergo miſſum, per Iohannem Ruſſum Epiſcopum Conſentinum. Magis mirum quod, ſcribunt Hiſpani; in valle quæ Cautem dicitur in Chili provincia, oppidum eſſe, quod Imperiola ab hac cauſa nominant: quoniam in pleriſque domibus & portis repererunt Aquilas bicipites formatas, ut hodie videmus in Romani Imperii ſignis. Haud diſſimile notat *Ammianus lib.* 17. in obeliſcis Ægyptiorum ſculpta conſpici volucrium ferarumque etiam alieni mundi genera multa. Quid nos jam ad hæc? Noviſſe dicimus vix calcaſſe. At ſi vera quæ à *Platone* dicuntur, de quibus & apud *Tertullianum Apolog. c.* 39. atque *Marcellinum lib.* 17. invenies; Et hoc adjicimus; Prædictio *Senecæ* de Inſulis potius ſonat Britannicis, in gratiam Claudii. Falſum, quod de Auguſto. Acta hujus Divi habemus omnia; ſi quid ſilentium involvit, humile illud eſt. Facile verò novitas antiquitatis acquirit nomen, fraus ſupponentis ſi acceſſerit.

ARTICULUS II.

De quarundam terrarum miraculis.

REfert Plinius, nos ex illo. Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quandam aream non impluit. *Plin. lib.* 2. *cap.* 96. Iuxta Harpaſa oppidum Aſiæ, cautes ſtat horrida, uno digito mobilis: eadem ſi toto corpore impellatur, reſiſtens. In Taurorum Peninſula in civitate Paraſino terra eſt, qua ſanantur omnia vulnera. In agro Ardano frumentum ſatum non naſcitur. Ad aras Murtias, in Vejente & apud Tuſculanum, & in ſylva Ciminia, loca ſunt, in quibus in terram depacta non extrahuntur. *Plin. l.* 2. *c.* 94. In Cruſtumino natum fœnum ibi noxium, extra ſalubre eſt. Quædam verò terræ ad ingreſſum tremunt; ut in Gabienſi agro non procul urbe Roma, jugera fermè ducenta, equitantium curſu; ſimiliter in Reatino.

Pulvis in Puteolanis collibus maris fluctibus opponitur merſuſque protinus fit lapis unus inexpugnabilis undis, & fortior quotidie. utique ſi Cumano miſceatur cæmento. *Plin. l.* 35. *c.* 13. Eadem eſt terræ natura quæ qualibet magnitudine exciſa, & demerſa in mare, lapidea extrahitur. In fonte Guidio dulci intra octo menſes terra lapideſcit. Ab Oropo etiam aulidem uſque quicquid terræ attingitur mari, mutatur in ſaxa. Terræ cultura quondam magni apud Romanos pretii. Serentem invenerunt dati honores Serranum, unde cognomen. Atanti quatuor ſua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato Viator attulit Dictaturam, & quidem ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiamnum ore. Cui Viator, *vela corpus*, inquit, *ut proferam ſenatus populique Romani mandata.* Hinc *Plinius lib.* 18. *c.* 3. ad quæſtionem unde tanta tum ubertas? reſpondet. *Ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (ut fas eſt credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſive illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eadem diligentia arva diſponebant, qua caſtra, ſive honeſtis manibus omnia latius proveniunt, quoniam & curioſius fiunt.*

CAPUT VIII.
DE INSULIS.

ARTICULUS I.
De ortu & interitu Inſularum.

INſulæ portiones terræ ſunt, Oceano cinctæ. Ortus varia habent principia. Emerſere quædam ex mari, à continenti avulſæ quædam, aggeſta nonnullis ortum dedit materia. Nata ſpectante *Seneca quæſt. l.* 6. *c.* 21. in Ægeo mari una: avorum ſuorum tempore aliam emerſiſſe apponit. *Spumabat*, inquit, *interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. Nam demum prodebat ignem non continuum, ſed ex intervallo emicantem fulgurum more, quoties ardor inferius jacentis ſuperum pondus evicerat. Deinde ſaxa convoluta, rupeſque partim illæſa,*

quas

quas ſpiritus antequam verterentur expulerat, partim exeſa & in levitatem pumicis verſa; noviſſime cacumen aduſti montis emicuit &c. *Strabo lib.* 1. *Geograph.* ſcribit inter Thetam & Theraſiam primo flammas è mari toto quatriduo, quaſi arderet mare, emicuiſſe; poſtea ſenſim emerſiſſe Inſulam quandam patentem ad ſtadia duodecim, totam conſtantem ex lapidibus ignitis. Atalanta civitas Locris adhærens contigua, repentino maris impetu abſciſſa, atque deſolata in Inſulam eſt. *Oroſius l.* 2. *cap.* 18. Sub Imperatore Leone Priſcus Hiſtoricus. (*Evagrius l.* 2. *c.* 14.) prodidit, Conſtantinopoli & in Bithynia tam ingentem pluviam extitiſſe, ut in Beana lacu qui non longè abeſt Nicomedia, ob crebram ſordidi cujuſque materiam in eum conjectam, factæ ſint Inſulæ. Ad hunc modum cœpit Tyberina Inſula. Violata enim à Tarquinio Lucretia cum Brutus regia bona diripi, & in Tyberim mergi conſuluiſſet, Inſula facta eſt. Sic *Livius lib.* 2. *hiſtor. Forte ibi tum ſeges farris fuiſſe dicitur matura meſſi; quem campi fructum quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem, magna vis hominum ſimul immiſſa corbibus fudere in Tyberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus ſolet eſſe, ita in vadis hæſitantis frumenti acervos conſediſſe illitos limo. Inſulam inde paulatim & aliis quæ fert temerè flumen invectis, factam.* Deſiiſſe verò etiam quaſdam Inſulas autor eſt *Plin. l.* 2. *c.* 89. Autiſſa primò Inſula juncta eſt Lesbo, Zephyrus Halicarnaſſo, Æthuſa Myndo, Matthecuſa Parthenio promontorio. Hybanda quondam Inſula Ioniæ, ducentis nunc à mari abeſt ſtadiis. Sytien Epheſus in mediterraneo habet.

ARTICULUS II.

De quarundam Inſularum miraculis.

UT eſſe Inſulis natura dedit, ſic ſingularem nonnullis largita eſt prærogativam. In quodam lacu circa Nili ortum Inſula eſt, lucos, ſylvas & grande ſuſtinens ædificium; natat, tamen, & quocunque

venti agunt, impellitur. *Mela lib. 1. c. 5.* In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca ſylva, quæ nunquam die ac noctu eodem loco viſitur. *Plin. l. 2. c. 95.* De poſteriore *Macrobius l. 1. ſatur. c. 7. inſulam Pelagi in lacu Cutilienſi enatam invenerunt. Ampliſſimus enim caſpes, ſive ille continens limus ſeu paludis fuit, coacta compage virgultis & arboribus in ſylvæ licentiam comptus, jactantibus per omne mare fluctibus vagabatur; ut fides etiam ex hoc Delo facta ſit, quæ celſa montibus, vaſta campis, tamen per maria migrabat.* In Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolum, ſed etiam contis, quo libeat impelluntur, multorum civium Mithridatico bello ſalus. *Plin. lib. 2. c. 95.* In Tarquinienſi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam nunquam. In Gatumna verò fluvio Hiſpaniæ Atros Inſula aquis increſcentibus pendet & attollitur. *Mela lib. 3. cap. 1.* Sunt denique & in Nymphæo parvæ Saltuares dictæ, quoniam in Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. Præter hæc in Fortunatis ferulæ ad arboris excreſcunt magnitudinem. *Solin. c. 58.* In Madera quatuor palmis propendent uvæ, acini ſucco referti carent nucleo, Martio menſe excerpi poſſunt: *Cadamuſtus* Hiſpaniolam Inſulam cum Columbus inveniſſet, Frumentum Februarii ſatum initio, maturum trigeſima Martii meſſuit. Hoc brevi intervallo in tantam amplitudinem crevere ariſtæ, ut hominis brachio magnitudine longitudineque æquari poſſent. Duo enim granorum millia ſingula complectebantur. *Petrus Martyr. in ſum. India.* Pepones ſingulis anni partibus habentur recentiſſimi. *Ovetan ſum. cap. 81. Hiſtor. l. 11. c. 1.* tantæ magnitudinis ut vix humeris unius ferri poſſint; fœnum quoque abſciſſum, quinta die ad cubiti proceritatem adoleſcit. Tyles Indiæ Inſulæ terra omnes hoc miraculo ſola vincit, quod quæcunque arbor in ea naſcitur, nunquam careat folio. *Solin. c. 53.* In Ormutio Inſula nullum animal reperitur, imo nec ullius fontis aqua: Manna nocturno rore decidit. *Polus lib. 3. c. 4.* Inſulam Arabiæ felicis Sygaron canes non-

non intrant, expoſiti errando moriuntur. *Plin. l. 6. c.* 28. In Ithaca lepores aliunde allati vivere nequeunt. *Ariſt. hiſt. animal. l.* 8. *c.* 28. Ebuſus inter Baleares una, omnino ſerpentes non habet. *Plin. lib.* 10. *c.* 29. In Creta nulla eſt noctua, quin ſi infertur, moritur; in eadem nullum animal maleficum præter phalangium araneum eſt. Cyprus adeo olim tumulorum impatiens, ut mandata ſibi de die corpora nocte proxima rejiceret. Primum *Ericum Daniæ Regem*, Hieroſolyma ventorum cauſa eo profectum & mortuum recepit. *Saxo Gramm. l.* 12. In Cephalonia Inſula amnis eſt, cujus citra alterum latus, cicadarum ingens copia, nullæ ultra alterum. *Ariſt. hiſt. anim. l.* 8. *c.* 28. In Cumana Novi Orbis Inſula aranearum telæ tanta firmitate nexuntur, ut rumpi nequeant. *Hiſpan p.* 5. *c.* 15. Ferrum quod in Ilva effoditur liquari ibidem non poteſt. *Bertius in deſcript. Ilva.* Tandem ut concludamus in Æſtuario Forthæ eſt Inſula Magotia. In hac aves anſerum ferinorum ſpecie nidulantur, tanto numero, ut præſidiarii centum, qui Caſtellum Baſſum dictum tenent, non alio cibo, quam recenti piſce in horas ab his avibus delato, nec ligno aliunde petito quam arborum fruſtis, quæ nidis illæ conſtruendis comportant ad frigus pellendum, utantur. *Bellovadius* & ex eo *Thuan. in hiſtor.*

CAPUT IX.
DE MONTIBUS.

ARTICULUS I.
De Montium quantitate & qualitate.

MOntes partim ab initio extitiſſe, partim poſtea enatos credendum eſt. Vnicus id in Italia Modernus teſtimonio ſuo comprobare poterit. Multi vero hi in orbe & amplitudinis mirandæ & ſtupendarum qualitatum. Olympus & Athos tam alti ut in eorum cacuminibus relicti toto anno cineres, nec ventis difflentur, nec eluantur imbribus. Et in Veſuvii vertice conſiſtentes, proximas quaſdam nubes pa-

ri cum monte altitudine diſtare à terra animadvertiſſe, nonnullas etiam ex alto deſpicere potuiſſe referunt. *Keppler. lib. 1. Aſtronom. p. 3.* Suffragatur illud quod ſcribit *Zabarella de regione aëris c. 8. Aſcendi*, inquit, *ad ſummitatem uſque montis Veneris, in agro Patavino, ibique per totum diem habui aerem ſereniſſimum, ſed infra circiter medium montis videbam nubes quæ me viſione vallium prohibebant. Veſperi autem poſtquam de illo monte deſcendi, inveni factam eo die in infera parte magnam pluviam, cum in montis cacumine nihil pluiſſet.* Idem ſibi per Alpes & Apenninum iter facienti accidiſſe *Picolomineus ſcribit de Meteor. cap. 11.* In Seleucia mons eſt Antiochiæ proximus, cujus è vertice vigilia adhuc quarta Solis conſpicitur globus, & brevi corporis circumactu, radiis caliginem diſſipantibus, illinc nox, hinc dies cernitur. *Solin. cap. 37.* Ambitus ad Cacumen XIX. M. paſſuum eſt, altitudo per directum quatuor. In provincia novi orbis quinquaginta millia quidam excedunt, quidam tam alti ut triduano deſcenſu valles apprehendi nequeant. *Martyr. in ſum. & Polus l. 2. c. 43.* In Teneriffa, qui pyramidali conſtat figura, ſexaginta Italicis conſtat milliaribus. *Cadamuſtus.* Qualitates ſi ſpectes, lacubus miris quidam ſcatent, ignes exhalant quidam; alii alia, quæ admiratione digna æſtimes. In monte Nohæ Arabiæ felicis admiranda ciſterna, colligendis pluvialibus aquis viſitur, quæ centum millibus ſufficere poſſet. Doffrinii in Suecia nivibus teguntur æſtate etiam tantis, ut decurrentes de ſummitate globi in radicibus ita excreſcant, ut pagos obruant. *Olaus lib. 3. c. 23.* In nova Hiſpania montis cujuſdam fumus ſemper occupat verticem globi rotunditatem ſervans, nullis diſpergitur ventis aſcendens, & ſagittæ motum celeritate æquare dicitur. *Corteſ. relat. 2.* In Helvetia prope Lucernam mons eſt, in hoc Pilati lacus; Tempeſtates cientur, lapidem ſi immiſeris, & judicis ibi (ſi credendum) ſingulis annis ſpectatur Pilatus habitu. *Ioachimus Vadianus in Melam.* In Hiſpaniæ Alpibus ex ſale mero, montes ſunt, quantum demas, tantum accreſcere ſcripſit Cato Major. *Gellius lib. 2. c. 22.* In provin-

vincia Cyrenaica rupes eſt ac fons Solis quæ cum hominum attingitur manu, fons exurgit; nec minor tumeſcentis ſævitia, quam ſi mare ſuo aſſurgeret furore, *Mela lib.* 1. *c.* 4. Denique duo montes juxta flumen Indum ſunt; alteri natura eſt, ut ferrum omne teneat, alteri ut reſpuat. Itaque ſi ſint clavi in calceamento, veſtigia avelli in altero non poſſunt, in altero ſiſti. *Plinius l.* 2. *c.* 96.

ARTICULUS II.

De Ætna & Hecla montibus.

Ætna mons eſt in Sicilia Catanæ urbi, & omni huic littori imminens, Plinio, Melæ, Ptolemæo, Straboni, Solino memoratus. Vulgari nunc appellatione accolis dicitur Monte Gibello. Habet duos crateres; quorum alter in putei rotunditatem anguſtus, emiſſis veluti gemina ſponda undiquaque ſaxis, tum exuſtis; tum verſicoloribus; lapidea eum planities anguſto ambitu continet; alter ambitu ſtadiorum viginti quatuor; non uſque in imum deſcendit eodem hiatu, ſed alvum ſibi intus paulatim adſtringit, eatenus quoad in ejus medio ad evomenda montis incrementa, ſatis amplo ore foraminantur. Fumus è duobus illis crateribus perpetuo emergit; ſereno cœlo candidiſſimus, inſtar nubis ignes nulli apparent, niſi incendio aliquo erumpente. *Bembus in Dialogo.* Lapides inde ejectos per ſexaginta millia paſſuum ab utraque urbis Catanæ parte invenit *Cluverius Sicil. Antiq. l.* 1. *cap.* 8. qua à Leontinis itur Tauromininum; maxime verò ad ipſam Catanam in radicibus Ætnæ littoreis, qua Taurominium itur; ubi ſpecie magnarum aſperarumque rupium, ſpectaculum tranſeuntibus triſte atque horrendum præbent. Fragor illius aliquando tam magnus fuit, ut ad Gemellos audiretur colles; favillæ tam pingues, ut uſque ad Catanam pervenirent ferventes, oppidumque incendio vaſtarent. Cineres aliquando tam copioſi, ut vi ventorum ad centum milliaria agitati omnia opplerent, fumus adeo denſus, ut tantas tenebras

luci offunderet, ut per biduum nemo poſſet cernere. Incendia hujus montis varia diverſis fuere temporibus. Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono, Iulii Idibus circa occaſum Solis, ex inferioris montis parte, ex inopinato hiatus ac paulo poſt in eodem agro duo alii ſunt aperti, ea vi, ut ex quatuor crateribus, parvo inter ſe intervallo diſſitis, ingentium lapidum congeries una egeſtæ, profundas valles & nemorum ſaltus in montes arduos extulerint. Fluebat enim ex quadruplici voragine, rivus igneus, inſtar metallorum ex fornace liquentium, occurrentem tellurem, arbores, ſaxa non tantum comburens, ſed etiam abſumens; terra ipſa quæ antea calcabatur incanduit, ac veluti ſpumis aquarum, ad ſcopulos è fluctibus eliſarum, latè profluvio igneo inundata, ac diſperſa eſt. Poſtquam vero igneus torrens per plura montis ſpacia evagatus eſt, tribus tandem alveis ſeſe diviſit, duo orientem verſus plures decurrerunt dies, tertius contra Catanam ſe direxit, quem priuſquam fines ipſos invaſiſſet, velum Divæ Agathæ à Sacerdotibus, è mœnibus urbis objectum, exſtinxit. Dum hæc in inferiori montis regione geruntur, in ſummo vertice non minori conflictum eſt rabie. Vnde tantus cinerum per Catanenſium regionem imber, ut agri & montes occultarentur; ac flante tum Borea, ad Inſulam uſque Melitam, quæ centum ſexaginta paſſuum millibus à cratere diſſidet, eorum copia ac ſulphureus odor ſit abductus. *Inter maxima profluvia longè memorabile illud eſt, quod paulo ante noſtram ætatem* (verba ſunt Bembi *in dialogo de Ætna*) *uſque intra Catanam decurrens, non parvam urbis partem in incendio depopulavit.* Quin etiam portum eum, de quo Virgilius;

Portus ab acceſſu Ventorum immotus & ingens
Ipſe, ſed horrificis juxta tonat Ætna ruinis.

Ita implevere fluenta Ætnea, ut jam erraſſe Virgilium putes, quod portum ibi eſſe ingentem dixerit, qui penè nullus ſit. Anno verò 1537. Kalendis Maji Sicilia tota diebus ferme duodecim tonare cœpit, crebrique ſonitus ac ingentes quales ex tormentorum bellicorum ictibus eſſe ſolent. Non ſolum Catanæ & vicinis agris,

ſed

ſed Panormi quoque Lylibæi, Saxæ, Agrigenti, & tota prope Inſula ſunt auditi; è quibus parvo terræ motu facto, domorum concuſſa tecta ſimul & parietes nutabant. Hi ſonitus mugituſque cum increbreſcerent. 3. Idus Maji, hiatus quidam inſoliti in Ætna ſunt aperti, è quibus tanta materiæ igneæ egeſta moles, ut quatriduo quindecim millium iter conficiens, obvia quæque ſternendo exuſſerit, ac ad cœnobium uſque D. Nicolai de Atenis defluxerit; (ubi monaſterio intacto) Nivolaſum & Monpelavium pagos, invaſit & fere obruit. Crater montis ſupernus, non multo poſt tantam nigri cineris per triduum molam efflavit, ut ad Calabriæ Conſentiam interjacentia oppida cineribus operta ſint, maria adeo ſuperfuſa; ut trecentis paſſuum millibus à Sicilia diſtantes naves, cinere à ventis disjecto fœdatæ ſint. Ætna poſt magno fremitu mugire cœpit, & inter mugitus ſummus apex abruptus à cratere abſorptus eſt. Quamvis vero tam hortendi Ætnæi ſint ignes, tanta tamen ibi fœcunditas, ut quod de Campania dicit *Plinius lib. 3. c. 6.* id nos de vicino poſſemus dicere tractu. *Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis ſucco per omnes terras inclyto, atque (ut veteres dixere) ſummum Liberi patris cum Cerere certamen.* In nemoroſa regione ſpatioſi tractus inquit *Fazellus rer. ſic. dec. 1. l. 2. c. 4.)* qui ſunt in ea, lætiſſimas ferunt ſegetes. Adeò præterea pabuloſa apparet, ut pecuariis niſi frequenter ex auribus ſanguis extrahatur ipſa ſatietas fit periculo. Cæterum egeſtæ ex Ætnæ incendio, materiæ fluxus, ita concreſcit; ut ad juſtam altitudinem, ſoli ſuperficiem in lapidem convertat, quam qui nudare velint, opus habeant lapides ſcindere. Etenim ſaxo in Crateribus ſive faucibus colliquato, ac deinde ſurſum egeſto, humor vertici ſuperfuſus, cœnum eſt nigrum per montem deorſum fluens: deinde ubi concrevit, lapis fit molaris, eodem ſervato, quem fluens habebat, colore. Sed & cinis fit ita aduſtis lapidibus, ut fit crematis lignis. Sicut ergo ruta cinere ligneo alitur, ita ſimilem eſſe Ætneo cineri, cum vitibus adfinitatem credibile eſt. Hactenus Ætna.

Hecla eſt mons in Iſlandia, haud procul à mari, interdum flammam, aliquando ignitam aquam, poſt nigrum cinerem, & pumices tantâ copiâ ejicit, ut Solem obſcuret interdum: tamen mira eſt in monte tranquillitas; præſertim ubi Zephyrus ſpirat. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio, die XIX. Novembris, circa meridiem noctis, in mari juxta Heclam flamma apparuit, quæ totam Inſulam illuſtrabat; poſt horam Inſula contremuit, inde ſecutus horribilis fragor, ut ſi omnia bellica tormenta exploderentur, nihil ad hunc terrorem eſſet. *Totam mundi fabricam corruituram poſtremumque adeſſe diem credidimus*, ſcribit, *Dithmarus Bleſkenius*. *Camer. Horar. ſubciſ. cent.* 3. *cap.* 17.) At compertum eſt poſtmodum, mare ad duo milliaria retroceſſiſſe in illo loco atque exſiccatum eſſe. Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo, tanto fragore ignes eructavit, ut inde ad octoginta milliaria, grandiores machinæ bellicæ explodi putarentur. Vulgus credit damnatorum animas ibi torqueri. *Georgius Bruno in Theatro Mundi.*

THAU-

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS TERTIA.

In quâ

METEORORUM ADMIRANDA.

Quid ergo? Honeſtius judicas dejectione animi perire quam fulmine? Eo itaque fortior adverſus cœli minas ſurge: & cum mundus undique exarſerit, cogita te nil habere de tanta mole perdendum. Seneca, quæſt. natur. l. 2. cap. 59.

SYLLABUS CAPITUM ET ARTICULORUM

CLASSIS TERTIÆ.

CAP. I. *De exhalationibus ſubterraneis.*

CAP. II. *De Cometis.*
Art. 1. *De Cometarum natura & quantitate.*
Art. 2. *De Cometarum ſignificatione.*

CAP. III. *De Igne Fatuo, Caſtore & Polluce.*

CAP. IV. *De Igne Lambente.*

CAP. V. *De Fulgure, Fulmine & Tonitru.*

CAP. VI. *De Ventis.*
Art. 1. *De origine Ventorum.*
Art. 2. *De generibus & effectis Ventorum.*

CAP. VII. *De Terræ motu.*
Art. 1. *De ortu Terræ motus.*
Artic. 2. *De Terræ motuum loco, tempore, effectis.*

CAP. VIII. *De Pluvia.*

CAP. IX. *De Nive & Grandine.*

CAP. X. *De Rore, Manna & Melle.*

CAP. XI. *De Iride.*

CAP. XII. *De admirandis quibuſdam Meteoris.*

AD-

ADMIRANDA METEORORUM.

CAPUT I.

DE EXHALATIONIBUS SUBTERRANEIS.

Exhalationes pro materia habent Meteora. Sol & Sydera cætera illas eliciunt, ignisque ſubterraneus haud paucarum artifex. Nil de illis dicemus; harum ſalubres quaſdam, quaſdam noxias dari pluribus comprobari poteſt exemplis. Ad radices montis Trituli Halveati exiſtunt aquæ, à quibus per quadraginta tres gradus, ad ſudationis aſcenditur locum: hujus verò longitudo tria paſſuum millia continet. Quo magis attolleris, magis cales; minus, quo magis te demiſeris. Ex membris hæ pituitam evocant, & capitis medentur deſtillationi. Iuxta calidas, quæ ad paludem Agnani exiliunt, viſitur Caldarium. Foſſæ ſunt ceſpite conte&ae, & lapidibus amotis, calidus emittitur vapor, qui movet excipientibus ſudorem. Ex lacu Campaniæ Averno, antequam ſylvis quibus veſtiebatur cæſis, aërem feciſſet Agrippa perflabilem, adeo ſpiſſæ exhalationes prodibant, ut advolantibus avibus mors eſſent. Ad paludem Agnani in Italia mons eſt, in quo ſpelunca anguſta, clementer deorſum vergit, longitudinem pedum octo continens. Solum ejus pede vel manu tentatum, reliquo ſentitur calidius. Injectum animal, peſtifero exanimat halitu, ſenſu & motu privat, ſtatim ſi extraxeris: Vicinæ vero confeſtim injectum paludi, vitæ (mirum!) reſtituitur. *Camer Cent. 7. Mirab. mem. 50.* In Ebuſo Inſula adeo exhalationes inficiunt terram, ut in collubrariam illatas, peſtiferæ beſtiæ ferre nequeant. In maximis Bajani ſacticiolis ſcrobs eſt, cujus aqua tam calidos exhalat vapores, ut cera liqueſcente extinguantur candelæ; tam lethiferos, ut homines correpti, mortui repentè concidant. Apud Babylonem eſt etiam

etiam ſpelunca, ex cujus ore tam peſtilens emittitur ſpiritus, ut omnia, quæ eum hauriunt, interimat. Plutonium denique exiguo in colle montoſæ regionis, os habet ita moderatum, ut hominem capere poſſit, ipſum valde profundum. Cingitur ſeptis quadratis, & quidem tantis, quanta dimidium ambiant jugerum; quæ nebuloſæ & craſſæ caliginis adeo plena ſunt, ut ſolum vix cerni poſſit. Eos qui circa appropinquant ad ſepta, aër non lædit, utpote purus ab ea caligine, cum non flaverint venti. Animanti verò intra eunti mors confeſtim parata eſt. Tauri etiam introducti cadunt, mortui extrahuntur. Ad Hierapolim denique Syriæ, ſcribente *Dione in vita Trajani*, eſt tetri ac lethalis odoris ſpecus. Quicquid eum animantium haurit, interit. Soli Eunuchi maleficii illius & noxæ ſunt expertes. *Scalig. Exerc.* 277. *ſect.* 4.

CAPUT II.

DE COMETIS.

ARTICULUS I.

De Cometarum natura & quantitate.

COmetarum ortus & natura variè ſapientes torſit; nec adhuc inventum judicium, quod decideret. Perpetui quibuſdam videntur: circa Solem, Veneris & Mercurii inſtar volvi, plerumque latere: de novo creari nonnullis, nec in ſublunaribus cathedram figere, ſed in æthereis. Illuſtrium mentes judicavit Democritus, quæ poſtquam innumerabilibus in terris viguere ſeculis, extremos obituræ peragunt Triumphos. *Bodinus* fatetur ignorantiam: huic tamen accedit, inque ſtellas fixas tandem abire innuit. Cauſa. Omnes ſine occaſu evanuiſſe veteribus cognitum. Duplices alii poſuere, Æquivocos qui in æthere conſedere; Veros qui de ſupremæ regionis prædicavere ſuggeſtu. Quicquid ſit, abdita hæc, & quia cœleſtia, difficiliora. Qui anno 1456. fulſit, plus quam duo cœli occupavit ſigna; qui 1472. toto menſe ſumma celeritate, à Libra retro, totum,

tum ſuo curſu confecit Zodiacum, initio quadraginta partes, centum & viginti poſtea in ſingulos dies. *Sennert. l. 4. Epitom. cap. 2.* Tantum annus 1556. vidit, *ut non tantum exſpirationes leviſſima & arida, ſed nec omnes quidem ſylva ac nemora, quotquot erant, ubique terrarum, pabulo bimeſtri, quo luxit, ſufficere potuiſſent.* Verba ſunt *Bodini lib. 2. Theatri.* Anno 1543. viſus eſt cum cauda verſus Aquilonem ingens; Ex eo flamma draconis inſtar devolavit, rivum exhauſit, agri fructus abſumſit. *Sennert. l. c.* Attalo regnante tantus erat, ut in immenſum extenſus, cœli plagam, cui lactea nomen eſt, æquaret. *Senec. quaſt. natur. l. 7. c. 15. Ariſt. 1. Meteorol. c. 7.* Tempore Anaxagoræ ingens 75 dies arſit; tanta ventorum inſecuta tempeſtas, ut lapidem vehiculi magnitudine avulſum, in ſublime turbo ferret, & in Ægeos Thraciæ dejiceret flumen. *Nicephor. L. 12. cap. 1.* Anno vero 1511 in Lombardia ignei pavonis inſtar per aëra volitavit, & evanuit: tres lapides demiſit, quorum unus centum ſexaginta, alter ſexaginta, tertius viginti libras pendebat. *Sueſſanus,* Theodoſii denique ſenioris tempore meridie noctis circa Luciferum apparuit inſolens; ingens ad eum vis aggregabatur ſtellarum, quæ lucem mutuo quaſi emittebant concurſu; hæc in unam abiit flammam, ancipitis gladii inſtar. Ipſo die, menſe Iulio, viſum referunt Hiſpani ſibi & navibus exitialem. Vel ob aëris ſubtilitatem, vel ob ſplendoris collectionem, vel diei obſcuritatem accidere ſcribit *Cardanus l. 4. de varietat. cap. 63.* Idem in comm. ſupra quadr. Ptolem. l. 2. tract. 54. de quodam inquit. Volo narrare oſtentum, quod oſtendi cum juvenis eſſem atque ſtuderem. *Apparuit Cometes, cujus pars ſolida erat rotunda figura, triplo major Venere, cujus claritate totus orbis illuſtrabatur, eratque lux ejus, quanta ſi quarta pars Luna luceret.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De Cometarum ſignificatione.

PRæcurſorem autem calamitatum, ſi ſpectemus judicium & dicunt & compertum eſt. Veſpaſiano mortem prædixit, Romæ ab Alarico captivitatem, miſerum Mauritii fatum, Mahumetis perniciem, exitioſam *ϰαισυϱοπαπτωίαν* nunciavit. Carolo M. ultimum diem, Tartarorum in Sileſiam impetum, & auricularum abſciſſionem, indixit. Memoriæ produnt, Carolum M. cum illum vidiſſet, attonitum cum Eginharto diſſeruiſſe, principis evocari vitam. Cumque is ne triſtitia afficeret, illud, *A ſignis cœli nolite timere*, protuliſſet. Non alium timere debemus, adjeciſſe, niſi qui noſtri & ſyderis creator eſt; ſed ejus clementiam laudare tenemur, qui noſtram inertiam talibus admonere dignatur ſignis. *Alſted. in Chronol.* Vnus fauſtus putatur, qui cum Auguſtus ludos Veneri genitrici appararet, apparuit. Hinc verbo ipſius *Plin l. 2. c. 25. Iis ipſis ludorum meorum diebus ſydus crinitum per 7. dies in regione cœli, quæ ſub Septentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſydere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter DEORUM immortalium nomina receptam: quo nomine id inſigne ſimulachro capitis, quod mox in foro conſecravimus, adjectum eſt.* In antiqui Romani denarii altera parte, *ſpectatur Cæſaris effigies cum his literis: Imp. Cæſ. Divi. III. Vir. R. R. C.* in altero vero *Templi Veneris anterior facies cum ſtella. Cæſaris ſtatua augurali habitu & ara ad quam ſacrificare, vota ſuſcipere, & controverſias dirimere, interpoſito jurejurando, per Cæſarem ſolebant, cum his litteris: Divo Iul. Dalechamp. ad l. 2. Plin. cap. 25.*

CA-

CAPUT III.
DE IGNE FATUO, HELENA, CASTORE, POLLUCE.

CIrca ſepulchra & patibula, ignis degit fatuus. Viſcoſa enim & pingui exhalatione, tanquam patente gaudet. Nocturni aëris ἀντιπεριστάσει accenditur, & ad motum aëris variis cietur agitationibus. Accedentes viatores fugere videtur, recedentes ſequi. Cauſa in aëre eſt. Propellitur in curſu, propellit & iſtos, in fuga ſequitur, comitantur & ipſi. Hinc viatorum ſæpe pericula. Pagorum dum eſſe exiſtimant lumina in paludes conjiciuntur. Tria ſequentia in mari apparere ſolent; *Graves ſunt*, inquit, *Plinius l. 2. c. 37. hæ ſtellæ, ſi ſolitaria venere, merguntque navigia, & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ, quarum adventum fugare illam diram ac minacem Helenam ferunt.* Ob id Polluci & Caſtori illud numen aſſignant, eos in mari invocant, navibus tanquam duces tutelares aſſignant. *Actor.* 28. *cap.* 11. De Helenæ ſydere: ſic *Cardanus lib. 2. de ſubtil. Ejuſdem ferme generis eſt Helena ſydus, circa malum navis, quod cadens etiam ænea vaſa colliquat, certus ſubmerſionis nuncius.* Nam ſolum in gravibus exiſtit tempeſtatibus, nec niſi craſſiſſimo ſpiritu, & magna ventorum vi, vapor ille cogi poteſt in navi, & ardere ſimul; unde etiam imminentem nunciat perniciem.

CAPUT IV.
DE IGNE LAMBENTE.

IGnis lambens ex ſubtili & pingui exhalatione oritur, & animalium pilis ac veſtibus adhæreſcit, imo calidioris ſi fuerit temperamenti, ex ſudoribus illorum accenditur. Tale quid de *Aſcanio Virgilius* 2. Æneid.

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli

Lam-

Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Refert *Cardanus* cuidam amico ſuo *lib. de variet.* 10. *cap.* 49. cum hora prima noctis veniſſet, in pallii conſueta depoſitione, ſcintillas à dorſo petaſi proſiliiſſe: intra dies autem 15 veneficii accuſatum, ſuaſu amicorum in exilium iviſſe. Servio Tullio etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuiſſe, domeſtici oculi annotaverunt. Quod prodigium Priſci Tarquinii Regis uxor Tanaquil admirata, Servium ſervâ natum, in modum filii educavit, & ad regium faſtigium evexit. *Valer. Max. l.* 1. *c.* 6. *Livius lib.* 1. Ex L. etiam Martii ducis duorum Exercituum, quos interitus Pub. & Cn. Scipionum in Hiſpania debilitaverat, capite concionantis eluxit. Paulo ante mortem Iulii Cæſaris viri capitibus ardentibus paſſim diſcurſare viſi ſunt. *Suetonius.* Cum Bamba Gothonia Rex inungeretur, oleum minutiſſimas de ſe ſparſit flammulas. *Funccius in Chron.* & in prima ſancti Martini Turonenſis Miſſa, ex hoſtia flamma emicuiſſe dicitur. *Sabel. l.* 1. *c.* 4. Ienæ puer detracta per occipit interula ſcintillas copioſas una deterſit. *Libav. l.* 1. *de Origine rerum.* Caumontiæ Heroinæ, in mediis tenebris capillus dum pectitur, ignem vomere viſus eſt. *Equum ad Cataphracti uſum è Calabria candidum habuimus*; inquit *Scalig. Exerc.* 174. *Is in tenebris ubi ſtrigili fricaretur, ſcintillas ejaculari videbatur.* At cauſam ponunt refractionem luminis in ſubjecto lævi, ſicut in aëre rotante, guttulæ ſunt, quaſi ſingula ſpecula, ita in capite piloſo, pingui, viſcido, ſquammoſo pili vel ſquammæ. Sed & in inſectis aliquid ignei apparere dicitur. In Inſula enim Solebe tam excellenter ſingulis muſcæ ſplendent noctibus, ut ſingulæ appareant faces. *Libav. l. c.* Vermis figura ſtellæ reperitur, qui noctu lucet ut ſtella. (fors eſt ſtella marina, ex cujus liquore Chymici pollicentur lucidum) Ex vermium quorundam in Hiſpaniola Inſula juncturis, lux emicat plurima, pruinam imitatur fulgore. Sunt & alii qui non minori quam centum paſſuum interſtitio lucem emittunt: neque tamen à toto corpore illa, ſed juncturis. In Hiſpania novi orbis muſca fertur ſcarabei magnitudine, vagini-

vaginipennis, Cocujus nomine; cujus oculi noctem illuminant, ut cerea candela pro lucerna ſit noctu ambulantibus, pro ellychnio in cubiculis, ad cujus lumen legi ſcribique poſſit; nec tantum vivæ ſed & mortuæ. Quidam enim funiculos ex iſtis candelis faciunt, colloque appenſis ſibi prælucent ad iter faciendum. Cauſa vero non in ignem lambentem conjicitur, ſed in humoribus animalium in repercuſſionem; quædam in ſe luceris aliquid habere creduntur. Certè cicindulæ incluſæ pugno, ſi per rimam in maxime tenebricoſa nocte aſpexeris, lucem emittunt. *Reiſchius* ait, Piſces ſquammis partes comprehendere igneas, quarum beneficio luceant. Delphini exemplum comprobare videtur. Nocte enim aureus apparet, cum in tergo ſit cæruleus, in lateribus viridis, ventre albus. *Reiſchius in Margarita Philoſoph.* Claudat hoc caput portentum quod anno M. XCIII. accidit. Eo enim pridie nonas Aprilis circa diluculum ſtellæ perplures ſimul cecidiſſe in terram viſæ ſunt. Inter has cum unam Maximus quidam in Francia ſtuperet, & notato loco aquam ſuperfudiſſet, fumum cum fervoris ſono inde exire magis ſtupuit. *Lycoſt.*

CAPUT V.

DE FULGURE, FULMINE & TONITRU.

GEnerationem Tonitru penitius qui inſpicere voluerit, Chymicos conſulat. Quoties enim cunque Sali petræ Sulphuris acceſſit portio, ingens editur ſtrepitus: & aurum fulminans majore ferri impetu dicemus. Notum etiam ex Nitro, Sulphure, Calce viva & Bituminibus ſi fiant miſturæ, humidi aſperſione accendi poſſe. Similis hic res agitur. Nam ubi vapores ſulphurei & nitroſi tempore æſtivo, à calore Solis, flantibus præcipue ventis meridionalibus, ſurſum elevantur, à ventis oppoſitis uniuntur atque denſantur, ob peculiarem accenduntur repugnantiam hinc & ſonus oritur & coruſcatio. Cœlo ſereno audita fuiſſe Hiſto-
riæ

riæ tradunt. *Senec. natural. l.* 2. *cap.* 30. Ætna aliquando multo igne abundavit: ingentem vim arenæ urentis effudit. Involutus eſt dies pulvere, populoſque ſubita nox terruit. Illo tempore ajunt plurima fuiſſe tonitrua & fulmina: quæ concurſu aridorum facta ſunt non nubium, quas in tanto aëris ardore nullas fuiſſe veriſimile eſt. Fulmen in terram uſque interdum fertur, tum quia vehementi è nube ejicitur impetu, tum quia benè cohærente & compacta conſtat materia: nunquam tamen quinque pedibus altius deſcendere in terram auctor eſt *Plinius l.* 2. *c.* 55. Effectus ejus miri. Dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto. Aurum & æs & argentum liquantur intus, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ſigno ceræ. *Plin. l.* 2. *c.* 51. Expertus id Lucius Scipiò, cum aurum in viminea ciſta haberet. Marcia Princeps Romanorum icta gravida partu exanimato, ipſa citra aliud ullum incommodum vixit. Cauſa in raritate & craſſitie ponitur. Facilius illa penetrat, hæc quia difficilius magis lædit. *Ariſt.* 3. *Meteoral. c.* 1. Fracto interdum dolio ſtat vinum; cauſa eſt, quia calor fulminis exteriores vini condenſat partes, ut vinum quaſi pelli incluſum ſtare videatur; *Sennert. l.* 4. *Epitom. c.* 2. triduum hunc non durare rigorem. *Senec. quæſt. natur. l.* 2. *c.* 1. author eſt. Maxime mirandum quod refert *Meurerus in Comment. Meteorol.* Miniſtrum quendam ita ſubito ex oculis hominum, in via qua Lipſia itur Torgam abreptum, ut nunquam apparuerit poſtea. Mox tangendi adeò hebetantur, ut nec tonitru, nec horrendos perſentiſcant fragores. Id in Germanicis bellis Equitum magiſtro Severo, imperante Iuliano uſu venit. Acer primo & inſignis fato urgente commacruit. Laurum, vitulum marinum, aquilam non tangi tradit. *Plinius*, ficum *Rhodiginus* adjungit, & amaritudini acceptum refert. *Rhodig Antiq. lect. l.* 3. *c.* 29. Ideo Tiberius Cæſar, ut habet *Suetonius in ejus vita* tonitrua metuens turbatiore cœlo, Coronam lauream capite geſtabat, & ob id tradente *Columella* gallinæ cubanti laureæ ramulos ſubjiciunt. Ideo tentoria Imperatorum ex pellibus vituli marini

fieri

fieri ſolebant. Et ſcribit *Suetonius* Auguſtum adeo expaviſſe fulmina, & tonitrua, ut eaſdem ſemper ſecum portaret. Severo Imperatori ex eadem materia lectica ad eoſdem uſus. Narrat tamen *Vicomercatus ad 3. Meteor. c.* 10. Laurum aliquando de cœlo tactam. *Conimbricenſes* vero fictitiam hanc immunitatem exiſtimant, niſi quod naturæ quodam inſtinctu fulmina prædicantur ab illis. De Lapide fulmineo ſub tectis aſſervato, herbis & candelis celebrioribus feſtis luſtrali aqua expiatis, Campanarum pulſu, non eſt opus, ut multa dicam. Superſtitioſa hæc eſſe quis non viderit? Quidam eorum dicunt (*Remig. l.* 1. *Dæmonol. c.* 26.) irritum & inefficacem eſſe campanarum ſonum, ſi quæ ex illis cum luſtratur, ex Sacerdotis concubina fuerit nuncupata. Quod ſi ſonitus ille aërem rarefacit (quod tamen abſolute dictum falſum eſt: nam nec nebulas nobis propinquiores diſſipat, nec recta furſum volat, ſed per feneſtras certis in locis oblique cogitur, nec ad nubem pervenit) ſatius eſſet tormenta explodi, majoreſque campanas tantum moveri. Feles, Canes & Capras magis illorum obnoxios ictibus, obſervatio dedit ſedula. Hinc, ſi in patente cum homine canis verſetur campo, territus ipſius implicatur pedibus. Cauſam in halitus ex animalium horum corporibus exhalantes conjicit Cl. Bartholinus, quos tanquam materiam cognatam, & nutrimentum aliquod fulminei ſpiritus, fores præſertim ſi pateant, ut libere in aërem ferantur, ſequuntur. Hinc feles in limine tanguntur ſæpiſſime. Canes autem odoros eſſe, odoras & capras, quis eſt qui neſciat? Feles in tanta copia per poros effundere eoſdem, ut & homines quidam ad illorum præſentiam deliquium patiantur, & generoſiores equi ſi in curru abſcondantur, ſudorem anxie emittant, experientia ipſa nos docuit. Hyeme raro fiunt Tonitrua. Paucæ enim & ferè nullæ calidæ attolluntur exhalationes: meminit tamen tempore Alexandri *Curtius lib.* 8. *de Alex. Erat prope*, inquit, *continuus cœli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur. Tum repente imber grandinem incutiens, torrentis modo effunditur. Imbrem vis frigoris concreto gelu aſtrinxerat. Olaus lib.* 1. *cap.* 6. In Septen-

Septentrionali plaga vehementiora judicat. Nam homines exanimant: & in Tartaria regni Mongul mixtis cadunt nivibus. In Braſilia vero raro demittuntur fulmina; at tanta fulgura, ut Solem ſuperare videantur. *Ioſeph. Acoſta anno* 1560. Tempore Marci Antonini Philoſophi, fulmine ad legionis Chriſtianæ preces percuſſos hoſtes legimus. Vnde Chriſtianorum Legio Fulminatrix dicta. *Confeſtim* (inquit Imperator de illis in Epiſt.) *ut procubuerunt in facies & preces fuderunt ad ignotum mihi DEVM, deſcenderunt de cœlo, in nos quidem frigidiſſimus imber, in noſtros vero hoſtes, grando mixta fulminibus, ut ſine mora ſentiremus, præſto eſſe invictam opem DEI potentiſſimi.*

CAPUT VI.

DE VENTIS.

ARTICULUS I.

De Origine Ventorum.

VEntorum cauſam Solem innuit *Ariſtoteles* 2. *Meteoror. cap.* 4. humorem, qui per ſumma terræ reſidet attrahentem, & terram ipſam calefaciendo exſiccantem. Non placet ſententia *Lydiato*. Nam terra irrigata & exſiccata, parca eſt Ventorum materia. Terra enim non plus imbibit pluviæ, quam ut ſuam expleat ſitim, & in ſiccam permutet naturam; inde nulla exhalatio. Ex eodem demenſo, in pluvias abire permittit, ejus non parva copia. Quid igitur pro ingentibus relinquitur ventis? Internus ergo ſubſtituitur calor. Et certe temporibus hybernis, fumoſam terra exſpirat exhalationem; ex nivibus in Auſtralibus partibus oriuntur venti: ex paludibus & ſtagnis aura aſſurgit; ex mari quamvis tranquillo procellæ. Vnde niſi quia exhalat terra vaporem, qui per profundas aquas foras erumpit? Rem hanc Chymicorum oſtendit inſtrumentum, quo loco follis utuntur. *Sennert. lib.* 4. *Epitom. c.* 3. Paratur ex cupro globus, ita ut aqua repleri, claudi repletus poſſit. Fiſtula anguſti orificii, ex una paratur parte, aqua igni admovetur repletus,

pletus, fiſtula alteri loco follis. Vbi globus incaleſcit, & aëreſcit aqua, continuo aër exſpiratur, & donec aqua tota abſumta ſit, follis loco fungitur. Procreantur autem tum venti, cum calor madidam urit terram. Sol exſiccatione poros aperit, aër agitatione accedit. Si verò in mari oboritur, mare primò tranquillum ſecum murmurans, exhalationem venti materiam jam tum in viſceribus ejus gigni ſignificat, piſces nonnulli laſciviunt, ad ſaxa ſe affigunt nonnulli: tum parum intumeſcens mare, exhalationem modò genitam exitum moliri oſtendit: poſt bulliens ad ſuperficiem uſque penetraſſe, ſed parva adhuc mole: tandem ſublatum ante ſe fluctum, flatuum irruptiones toto inſequentes impetu ventum atque tempeſtatem faciunt.

ARTICULUS II.
De generibus & effectis Ventorum.

MVlta vero ventorum genera, quæ navigatio præcipue invenit; ſecundumque flatuum & proprietatum diverſitatem, operationes. Nubes ad ſe trahit Cæcias, Circejus ne plantarum odore miſceatur Aquilo, impedit; & tanta ei vis, ut hominem Cataphractum facile proſternat, naves ab aquis extractas in ſublime tollat, molendina cum lapidibus, recto & hominibus aliò tranſportet. *Plin. l.* 2. *c.* 47. *Gell. l.* 2. *c.* 22. *Olaus l.* 1. *c.* 4. Et 2. *c.* 3. In Iaponiam è Sinarum regione navigantibus tantas ciet Typhon procellas, ut nonniſi miraculo effugiatur naufragium. In regione S. Vincentii, ſylvas extirpat: in Hiſpaniola ad ſtadii intervallum, ſublatos transfert homines. In Inſula Ormutio ſi excitentur, fervore interimunt obvios, occiſorumque carnes, quod aqua ferventi fieri videmus, ab oſſibus disjungunt. Periculum ut effugiant, corpora in aquis occultantur ad caput. *Ovetan. l.* 6. *Polus l.* 1. *c.* 5. Obverſis Auſtro genitalibus mire afficiuntur fœminæ libidine, Boream generationi percommodum produnt; quo fit ut morientes ſpiritu excitare credatur. *Rhodig. l.* 14. *c.* 4. & *lib.* 15. *c.* 23. In Lesbo apud Mytilenem Auſtro flante ægrotant homi-

mines, Coro tuſſiunt, Septentrione in integrum reſtituuntur. In Tercera ferrum & lapides arrodit. *Bertius in Geographia.* Inter cæteros ſunt & Eteſiæ, ſed præinſignis modeſtiæ venti. Singulis annis biduo poſt exortum Caniculæ ſpirare quadraginta diebus ſolent. Moderantur flatu ſuo calorem, æſtatem frangunt, & à menſium ferventiſſimorum gravitate defendunt. A tertia diei oriuntur horâ; (unde ſomniculoſorum nomen) noctu deſinunt. Gigni à calore magno, nives in locis ſeptentrionalibus adhuc reliquos colliquante, veriſimile videtur. Veriſimile exoneratas nive terras rerectaſque ſpirare liberius. Antiqui Sacris placabant ventos. Structum Boreæ apud Iliſſum à Græcis Templum, author eſt Herodotus. Bureaſmos Athenis nuncupabant, qui Boreæ feſta ducerent. Romæ ædem tempeſtatis fuiſſe P. Victori credimus. *Rhodig. l.* 20. *c.* 25.

CAPUT VI.

DE TERRÆ MOTU.

Articulus I.

De ortu terræ motus.

AQuarum ſubter in terrarum cavernis undantium fluctibus terram moveri, antiquiſſimi exiſtimabant; inde Neptunum ἐνοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellavere, *Gell. l.* 2. *c.* 28. Alii ventum in ſuperficie terræ, in ejus refluentem concava concutere. Alii Solem vapores intra Terram concludere, hos quærentes exitum, graſſari cum non invenerint. Contra ratio ſtatuit & experientia. Eſt in Occidentali Hiſpaniæ parte viſendæ mons altitudinis, multis concavis ſpecubus. *Scalig. Exerc.* 38. Tanto in iis aquæ præcipitantur fragore, ut quinque milliarium ſonitu impleant ſpacium, nihil tamen terræ motus ibidem. Nec ventus aut aër tamen ſubiens multus eſt; per canalium amplitudinem, & diverticula diſſipatur, longius provectus impetum admittit. Oſtendunt id metallicæ operæ. Immanens enim fabricantur folles; ut aërem attrahant ne pigro ſuffocentur. Pugna ventorum nil facit. Illa namque ad la-

tus potius tendit, aut ſurſum ſua levitate aſpicit; ad primumque obſtaculum turbinis inſtar à terra reſiliunt. Mare an occludat meatus, incertum. Raræ tantæ ad maria cavernæ. Nec unico impetu illud ingredi poteſt, quin iterum emittat. Sol non facilius vim ſuam in terram exerere poteſt, & exhalationem progignere, quam elicere progenitam. Radii enim Solares non agunt abſque reſiſtentia. Dum ſiccant & calefaciunt, aperiunt eadem; quia fortius in propinquum exhalationes aſcendunt. Vna, ratione continuitatis, ſequitur alteram. Quin quoquo modo ingreſſæ terram facillime regrediuntur, facilius quam ut concutiant. Nam & in cuniculis, ubi minimam pulvis rimam invenerit, accenſus fruſtraneam facit operam. Exhalatio igitur ab igne ſubterraneo genita, terræ coërcita viſceribus, terræ motum cauſatur. Id vel ſignum oſtendere poteſt. Futuro terræ motu puteorum aquæ non modo ebullire, ſed & turbidiores fieri incipiunt, ſulphurei efflantur odores. Vnde? Similes in terræ cavernis vibrantur ſpiritus. *Plin. lib. 2.*

ARTICULUS II.

De terræ motuum loco, tempore, effectis.

OBnoxia ſunt Terræ motui, quæ ventum facile poſſunt capere. Solida eum non recipiunt, facile diſſipant arenoſa limo concreta, receptaculis carent venti capacibus; carent campeſtria cavernis. Tota tamen terra nunquam concutitur. Spiritus enim incluſi nullam ad ejus globum proportionem habent. Si accideret, divinæ adſcribendum revera potentiæ, quod natura ſibi vendicare videtur. Durationem ſi ſpectes, diverſam diverſa facit reſiſtentia. Pauci Spiritus citius diſcutiuntur, tardius copioſi, diutiuſque tumultuantur. *Senec. Natural. l. 6. cap.* 30. Campania per plures tremuit dies. Principio anni quo L. Cornelius & Q. Minucius conſules fuerunt, tam crebros terræ motus fuiſſe tradit Livius ut non tantum rei ipſius, ſed & feriarum ob id indictarum tæderet homines. Idem narrat per dies duodequadraginta terræ motum fuiſſe, biennii duraviſſe ſpacio, & repe-

repetitis rediiſſe vicibus teſtantur alii. *Liv. l. 44. idem l. 45. Ariſt. l. 2. Meteor. c. 8. Plin. l. 2. cap. 82.* Effectuum talis eſt conditio, ut terrorem auditoribus incutiat, ſpectatoribus mortem. *Sæpe non ſolum domus aut urbes ſingulas aut familias haurit, ſed gentes totas regioneſque ſubvertit, & modo ruinis opprimit, modo in altam voraginem condit; ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat quod non eſt, ſaltem fuiſſe. Senec. l. 6. nat. c. 1.* Sed ſupra nobiliſſimas urbes, ſine ullo veſtigio prioris habitus ſolum extenditur, cum nimirum impulſæ, quaſſatæque ſpiritu, maximæ terrarum cavernæ corruunt. Sæpe in mari patefacto hiatu aquæ abſorptæ ſunt, in terra flumina, ut piſces & naves in eadem conſtiterint. Sæpe contrà terra in tumorem elevata; in continenti montes, in mari produxit Inſulas. Fluviorum interdum mutatur curſus, ſublato ea in parte, in quam antea fluebat, tumore. Calamitatum plenæ hiſtoriæ. Supremo Neronis anno prata oleæque intercedente via publica, in contrarias, in agro Marrucino tranſivere ſedes. L. Marcio, Sexto Iulio Coſs. in agro Mutinenſi duo concurrere montes, maximo aſſultantes crepitu. *Plin. l. 2. & l. 16. c. 40.* Multæ tum eliſæ villæ, animalia quæ intra fuere exanimata ſunt. In Parthia locus eſt ῥάγαι à rimis dictus. Ibi multa oppida & pagorum duo everſa ſunt millia. Cajetæ in Italia mons eſt ad meridiem, cujus partem ſic quondam terræ motus diviſit, ut arte hominum effecta videatur diviſio, ſub eo magno fertur mare ſonitu. *Agricola in reb. quæ effl. ex terra.* Helices & Buræ oppidorum in ſinu Corinthiaco ædificia in alto apparuerunt. In Ænania Inſula ita hauſtum eſt oppidum, ut ne veſtigium quidem apparuerit. Non longe à Ptolomaide fluctus maris in altum ſublati, adeo ſe erexerunt, ut montis excelſi præ ſe ferrent ſpeciem: qui poſtea ad terram devoluti, Tryphonis exercitum ſubmerſere. Cnejo Octavio, & C. Scribonio Conſſ. pontes amnis Velini diſturbavit, ripas ejuſdem fluminis in aquas conjecit, ſaxa quibus fori ſolum ſtratum erat, diſcuſſit; in oppido & in agris ædes ſacras commovit, quæ paucis poſt diebus concide-

runt

runt. Terræ motu Lacedæmoniorum urbs, cum mons Taigetus rumperetur, tota corruit. Bello Mithridatico ad Apamæam Phrygiæ urbem, lacus, paludes, fontes & fluvii terræ motu emerſerunt, pleriſque veterum abſorptis: & ex his unus ſalſus innumeram piſcium & oſtrearum effudit copiam; cum tamen Apamæa longe abſit à mari. *Nicolaus Damaſcenus.* Bello verò Punico ſecundo tanti in Liguria & finitimis extitere motus ad Tyrrhenum mare, ut flumina in contrarias fluxerint partes. Maxime mirandus terræ motus, qui in Angliæ Provincia Herefordia, anno ſalutis poſt ſeculum decimum quintum, ſeptuageſimo primo accidit; à Cambdeno his verbis deſcribitur. Anno ſalutis poſt ſeculum decimum quintum, ſeptuageſimo primo, XII. Cal. Martii, veſperi hora ſexta, in Orientali Comitatus parte terra deceſſit, monſque cum ſubjecta caute (ingenti mugitu primum & ſtridore ut à vicinis exaudiretur) tanquam ſi ex diuturno ſomno conſurrexiſſet, ſe extulit, & in ſuperiorem locum, relicto cubili profundo, aſcendit, ſecum una deferens arbores infixas, caulas & ovium greges. Arborum quædam terra obrutæ jacuere, aliæ monti accedendo adjunctæ, ita coaluerunt, ac ſi eo loco primum radices egiſſent. Quo loco diſceſſerat, hiatum 40. pedes latum, longum 80. ulnas reliquit. Ager omnis 20. jugerum plus minus erat; inter eundem Sacellum obvium evertit. Taxum in cœmiterio ſitam ab Occidente in Orientem tranſtulit. Eadem vi publicas vias cum caulis, ſepibus & arboribus inſitis protruſit. Ex culta paſcuam, ex paſcua rurſus cultam effecit. Terram eminentiorem, cui obviam occurrit provolutam, & vi majori actam, in montem celſiorum tanquam aggere facto redegit. Ita cum à Veſpere die Saturni, uſque ad meridiem die Lunæ obambulaſſet, ſubſtitit. Genus terræ motus Phyſici βρασματίαν vocant. Huc denique refer, terræ motum in Apulia, qui anno 1627. contigit. Patuit ſupra ducenta milliaria, & maximam partem urbis S. Severo, Sarræ, Capreolæ, Dragonoræ, S. Lyandri Procinæ evertit. Corripuit Aſſolum, Bovinium, Trojam, Andriam, Tranium, Foggitam, Campum marinum,

Remitium Iriſtonium, Francam villam, Aſanum, Conſilinum, &c. 17. denique hominum interfecit millia. Non præſentia autem tantum ferre mala certum eſt: ſed & futurorum eſſe prodromos. Nunquam Romam tremuiſſe, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium eſſet, ſcripſit *Plinius l. 2. c. 84.* diſcordias in religione portendere, reliquit *Socrates.* Quapropter quod Romani olim ferias edicto imperando faciebant, id nos faciamus. Metuendum illis erat, ne DEUM alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent: notus nobis eſt DEUS, cujus movetur terra potentiâ.

CAPUT VIII.

DE PLUVIA.

MAgna pluviarum in copia, tempore & aliis diverſitas, maximeque miranda. Non minor certe quam in diebus varietas: majorem fere, extraordinaria ſi inſpexeris, conſpicies. Non pluit per triennium Achabi tempore, nunquam in Cyrenaica. ea ibi ſola meſſis eſt, quæ celeritate proventus per naturam Solis aut aëris, ventorum caſu evadere ſolet; fertur à die ſeminis triceſimo matureſcere. *Majolus Colloquio* 1. Iuxta Vrabam novi orbis urbem, maxima parte anni deſcendit: hinc perpetuo ſtillicidio arbores viſuntur. *Hiſpal. p. 5. c. 26.* Nunquam apud Tartaros hyeme, ſæpiſſime æſtate. In regione vero Mexicana tanto impetu guttæ ruunt, ut homines interficere dicantur. Subſtantiam ſi ſpectes aqua in communi eſt; id ejus fert materia: alterius tamen fuiſſe ſæpius generis, exempla demonſtrant. Sanguinem aliquando pluiſſe in Boruſſia *Thuan. l. 27.* In Inſula Pelagia aurum; Ferrum in Lucania, ante bellum Parthicum, quo Craſſus eſt occiſus. *Amian. l. 17.* Annonam in Carinthia horarum duarum ſpacio, ad duo amplius milliaria, ex qua panis pinſebatur. *Thuan. l. 5. de anno* 1548. Lapides ovorum Gallinaceorum magnitudine, in quibus hominum vultus & diademata. *Lintur. ad faſcic. anno* 1496. Cinerem tempore Leonis, qui palmæ minoris

noris altitudine in tegulis jacuit. *Niceph. l. 15. c. 20.* In Sylvis Neuholem ferream maſſam recremento ſimilem ex aëre decidiſſe; ſunt qui affirmant, eamque multorum pondo, adeo ut nec deportari propter gravitatem, nec curru devehi propter invia potuerit. *Agricol. obſ. Metall c. 8.* In Ægypto perparvulis guttis, ut plurimum pluit. Mures ex illis naſcuntur, qui ſpicas circumrodere, & ſegetes ſuccidere ſolent. *Ælian. l. 6. c. 40.* Quin & in Thebaide, cum grandine pluit, mures in terra apparere dicuntur, qui partim cœnoſus exiſtunt limus, partim carnis poſſident ſubſtantiam. *Ælian. l. 2. c. 56.* Maxime vero mirum, modo non ſit fabuloſum, quod *Olaus. l. 18.* & *Ziglerus in Norvvegia* de Septentrionalibus. Et ex illis *Scaliger Exerc. 192. ſect. 3.* *Lemer beſtiolæ*, inquiunt, *quadrupedes, ſoricis magnitudine; pelle varia per tempeſtates & imbres decidunt, incompertum an ex remotioribus Inſulis, an ex nubibus fæculentis. Statim atque deciderint, reperiuntur in eorum viſceribus herba cruda nondum concocta. Hæ more locuſtarum depaſcunt omnia virentia. Vivit hæc peſtis donec non guſtaverint herbam renatam. Conveniunt gregatim quaſi hirundines evolaturæ, ſtato tempore, aut moriuntur, aut ab aliis beſtiolis Lefrat conſumuntur.* At in Amelandia, quæ ranam nullam patitur, ranis pluiſſe, ex *Præceptore noſtro Clariſſimo Domino Menelao Vinſemio Med. D. in alma Friſiorum Profeſſ. accepimus.* In Velauniis denique tantum erucarum una nocte decidit de cœlo, ut eas in domo reptantes, biduo toto accenſa palea, urere neceſſum fuerit; vix ad id ſufficiente hominum mulierumque turba. *Dalechamp. ad l 2. Plin. c. 56.* *Sennertus* animalia quæ ex putredine gigni poſſunt, vel ex materia aliqua pluviis irrigata gigni, vel in terræ cavernis latentes evocari exiſtimat: perfectiora & lapides aliunde venire; ad ſuperiores tamen cauſas plurima ex his referenda eſſe arbitratur.

CAPUT IX.
DE NIVE ET GRANDINE.

INgens Hyeme Nivis apud nos copia; nulla in alto mari. *Plin. l. 2. c. 103.* nec ejus in Æthiopia quicquam; *Alvaretz. de reb. Æthiop.* At major in Septentrione. Obtectis aliquando ſummis arboribus in ramis tota continuè conſiſtit, & ne aër ad inferiora deſcendat, impedit, fornicatam quaſi faciens porticum. Vrbem obtriviſſe dicitur in Dofriniorum montium attacta cacumine: pilæ primo referens formam, ingentis tandem globi acquiſivit vires. *Olaus l. 19. cap. 15. & l. 2. c. 13.* Vix pauciorem Caucaſi montis habent vertices. Hyeme enim adiri non poſſunt: præcipuè in Cambizena tanta ejus condenſatur quantitas, ut hominum opprimantur catervæ. *Strabo l. 11.* Eadem Armeniorum ratio. Nam per montana pergentes repente montium cooperiuntur grumis; ut non emineant: id verò ſæviente bruma. *Rhodig. l. 18. cap. 29.* At in Tartaria æſtate etiam ingruit. Immenſum frigus, denſiſſimæ nives; à vento abripiuntur omnia. *Hiſpal. p. 4. cap. 23.* In eadem, campeſtria Pamer, adeo ingens frigus alunt, ut ignem reptimat. Nec enim lucere poteſt, nec eo coqui aliquid. *Polus l. 2. c. 28.* In Moſcovia vero ubi è ſpecula aqua demittitur, congelatur priuſquam attigerit. *Surius ad ann. 1501.* Rubentes in Armenia inveniuntur. Id loca μελτώδη ſeu minio ſcatentia faciunt, inde vi exhalationum inficiuntur. Nec hoc abſurdum: ſanguinis enim copia rorem reddit cruentum. Factum apud Trojam indicat Homerus cum ψιάδας. αἱματοέσσας dicit. Ex eo hirta pilis & rubida producuntur animalia, vermes nuncupat Apollonius, Theophanes teredines montanos. Humor in illis concipitur, in potu gratus gentibus. *Euſtat. in Homer. Ariſt. 5. anim.* Cognata nivi grando de qua nihil habemus, magnitudinem ſi excipias. Nam Valentis tempore lapidibus magnitudine

inuſi-

inuſitata ſimilis deſcendit Conſtantinopoli. *Socrat. hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 10.* Vrbe ab Alarico capta, ſaxis manuariis major, & octonarum circiter librarum pondus habens, deferri viſa eſt. *Majolus in Canicul.* In Gallia Paſchali Pontifice, unum fruſtum 12. pedum decidit longitudine. *Bonfinius.* Apud Auguſtodunum 16. longitudine, 7. latitudine, altitudine duorum. *Sigebertus.* Vix minor Bergomatis tempore. Ovo enim Struthionis comparatur, & unciarum 12. fuiſſe ſcribit *Bonfinius.* Trium librarum pondere Bomelæ in Geldria die duodecimo Iunii, hujus anni cecidiſſe ajunt. Aliquando miras formas præ ſe tulit. Humanas anno 1395 exhibuit facies, viriles cum barbis, muliebres cum peplis & crinibus Chriſti Cremonæ anno 1240. cum crucis ſigno. Sed ſæpe fallimur, & imaginatio exiſtere fatetur, quod recta negat ratio. Mirabilia interim opera DEI.

CAPUT X.

DE RORE, MANNA ET MELLE.

ROs ex tenui oritur vapore, frigiditate noctis in aquam reſoluto. In plantarum foliis & floribus, levibus imprimis & ſpiſſis, invenitur; & interdum ultra duos vix elevatur cubitos. Iovis & Lunæ quidam fingunt filiam Διὸς θυγάτηρ ἔρσα. τρέφει καὶ σελήνας δίας. Nam ut Plutarchus inquit πανσέληνος δροσοβόλος ἐστὶν ac ideo canes pleniluniis ἥκιστα ἰχνοσκοπίαις ἐπιτυγχάνουσιν, quoniam roris frigiditas odorem abolet, nec ἰα ῥεῖν τὰς τῶν ζώων ἀποφορὰς, quæ cauſa eſt cur διαθηρέκτος ſit ἡ ὥρα τοῦ ἔαρος: *Plutarchus* tradit obeſas mulieres, rore pannis aut mollibus velleribus collecto ac excepto, pinguedinem minuere ac conſumere. ἐν φυσικοῖς αἰτίαις. *Mannam* parvarum quarundam apum culicibus craſſis ſimilium opus eſſe ſcribit Chriſtophorus Vega, à quibus gregatim arboribus inſidentibus, guttatim quaſi ſudor defluat. *Sennertus l. 4. c. 8.* vero ſimilius exiſtimat,

mat, dulcedine potius Mannæ allici, quam eam efficere. An illud Ebræorum idem fuerit cum vulgari, quæritur inter doctos. Convenire plurima videmus: at diſcrepare in eo, quod ex eo mola fracto aut in mortario trito fiebant placentulæ. Liqueſcit omne Sole; etiam Orientale, niſi præveniatur. Vſum ejus pro ſaccaro legimus ad ſitim in potu aqua ſoluto. Nomadicis paſtoribus, qui Targæ colunt ſolitudines. *Scalig. Exer.* 164. Inter illas quæ ex frondibus colliguntur, Calabrienſis præſtantiſſima cenſetur, illa præſertim quæ ex Oenotriæ quodam loco, in quem ſingulis æſtatibus deſcendit & ab omnibus excerpitur, defertur. *Braſavol. in exam. ſimplic.* Hunc locum Reges Neapolitani olim occluſerant, ne quis ſine vectigali aſſumeret. Occluſo loco deſiit manna, nec deſcendit. Eo recluſo & vectigali remoto, iterum deſcendere cœpit. Sed rurſum clauſo & recluſo, & poſtea clauſo ceſſavit, ita ut Reges poſtea liberum locum reliquerint, & omnibus colligere permiſerint. Idem ſcribitur de Tragaſæo ſale in Epiro, cui cum vectigal injunxiſſet Lyſimachus, evanuit, mox dempto, ſuccrevit. *Cælius. Rhodig. l.* 9. *c.* 1. Mel mannæ affine eſt. Venit hoc ex aëre: & maxime ſyderum ortu, præcipueque ipſo Sirio ſplendeſcente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. *Plin. lib.* 11. *c.* 12. Itaque cum prima aurora folia arborum melle roſcida inveniuntur: ac ſi qui matutino ſub dio fuere, unctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt. Hic ros poſtea ab apibus colligitur, in veſiculis intra ipſas alteratur, in cellulas puri liquoris inſtar refertur, in quibus poſtea fervet, & calore naturali coquitur. Viceſimo die craſſeſcit, mox obducitur tenui membrana, quæ fervoris ipſius ſpuma concreſcit. *Plin. l. c.* 13. A veſpis quoque fieri ex Ariſtotele *Plinius* docet. A Moluccarum quibuſdam muſcis in arboribus, quæ formicis minores ſunt, Hiſpanicæ referunt navigationes. Copiam præcipue Lituania & Moſcovia habent. Nota de ruſtico in cavitatem quercus melle repletam delapſo ab Vrſo extracto, hiſtoria. De melle id accepimus quod de vino raſili ex Ariſtotele: adeo nimirum

craſ-

craſſeſcere, ut nonniſi deraſum bibatur. Sic in Troglodyticæ parte quæ dicitur Belgada, mel candidum adeò, ut ne nivibus quidem cedat: durum verò quaſi lapis *Scalig. Exerc.* 19. *ſ.* 1. Solidum etiam in Calicut, ita ut in Sportis contineatur. Melle ſervantur multa, multa etiam intereunt. Humor enim ei innatus non imbecillis. Quare ipſum ſibi incorreptum corrumpit aliena. Iuglandes quidem in eo ſervant naturam. Peculiari enim humiditati reſiſtunt oleagine; at Ficus Perſica, Pyra, Mala, tabo fluida fiunt. *Scaliger. Exerc.* 179.

CAPUT XI.
DE IRIDE.

THaumantis filiam dixere Iridem Poëtæ; demiſſis ad terram cornibus, aquam haurire credidit vetuſtas. Hinc illud *Virgilii* 1. *Georg. verſ.* 138.

Et bibit ingens
Arcus.

Propertius verò lib. 3.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?

Colores ejus tam exacti, ut vix artificis poſſit exprimere manus. Cœruleus aquæ indicium quod præteriit exprimere dicitur, igneus alter, quod futurum eſt. *Strabo citante Rhodig.* Tres & aliquando plures in ea fieri poſſe exiſtimat Albertus. Dum fit in Meridie, à nobis conſpici nequit. Nec enim Iridem videt aliquis ultra tria millia paſſuum. Nuſquam fit aſcendente nube, ſemper vergente ad imum. Illo enim modo non rorat, ſed cum defluit. *Rhodig. l.* 22. *l.* 12. *c.* 7. A Lunaribus radiis fieri negat *Cælius*, comprobat *Scalig. Exer.* 80. *ſ.* 11. *In Inſula S. Thomæ*, inquit, *ſi anteceſſerit pluvia, fieri à Luna Iridem cujus color ſit quaſi alba nebula.* Talem *Combachius* anno 1609. menſe Iunio Oxoniæ vidit; anno verò 1599. media æſtate poſt ingentia fulgura Wittebergæ. *Sennertus l.* 4. *Epitom. c.* 9. Quantum ad influxum ab iridis incubatu odoratiores reddi plantas tradunt nonnulli. *Scalig. Exer.* 81. *ſ.* 7. Damnat Cardanus: ſed tamen vix ridendum:

tum viſum, & duo Dracones ignem vomentes. Vnicæ deinde & ampliſſimæ urbis effulſit imago ad lacum poſitæ, claſſeque & terreſtribus obſeſſæ copiis. Crux ſuper hanc ſanguinei coloris, converſi paulatim in atrum. Prodiit item alius Eques, igneo flagrans colore, Imperatorium in capite diadema geſtans; quem inſecutus ſine ſeſſore equus. Poſtea in ampla planicie duæ ardentes enituerunt arces, alto vicinæ monti ad quam grandis aquila dimidium ſui corporis poſt montis abſcondens latus: aliquod ibidem pulli aquilarum, candido nitidi colore apparuere; item Leonis ſupini caput inſigniti corona: Gallus gallinaceus roſtro feriens fodienſque caput tantiſper, donec à trunco corporis delaberetur ſolutum & evaneſceret, corpore diu conſpicuo. Adſtiterunt & alii Leones, & juxta Apri caput, Monoceros paulatim in Draconem converſus, aliaque plurima inuſitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arſit & in celſa rupe arx duobus cincta exercitibus, & viſa eſt integra regio, frequentibus oppidis arcibus & vicis referta. Sed mox totus tractus in quo hæc ſteterant, igne conflagravit correptus, & ruinas vaſtæ terræ ſtagnum ampliſſimum obruit, exſtantibus tantum turribus in eo loco, in quo antea magna illa urbs apparuerat. Ad ripam lacus grandis, Camelus bibenti ſimilis conſtitit. *Anno vero* 1545. altero poſt Pentecoſten die, viſæ hæ in Sileſia imagines. Duxit ab Oriente inſtructam Vrſus aciem cui, ab occaſu, armata manu Leo occurrit: intra exercitum utrumque lucidiſſima emicuit ſtella: mox inter ſeſe congreſſi, dimicarunt acriter, ut deſtillare ex ſauciatis ſanguis & exanima corpora decidere viderentur. Inter præliandum Aquila ſeſe ſupra copias Leonis, de alta rupe, alarum libravit remigio. Diremto quaſi certamine, Leo inter ſuas fulſit cohortes, nullum Vrſi veſtigium, ſed proſtrata jacuerunt cadavera, qua alter conſtiterat exercitus, quibus canitie venerandi aſtiterant ſenes. Finito prælio reduxit exercitum ad occaſum Leo, quo aliquouſque progreſſo, quidam albo & ornato vectus equo, ad pugnæ locum à copiis rediit, atque in eum equum juvenem Cataphractum, ibi ſtantem collocavit,

 vit,

vit, & verſus ortum procedentem comitatus, cum cæteris ſpeciebus evanuit. Sed quid priſca recenſeo? vidit & ætas noſtra mirabilia, hic ipſe vidit annus. Anno enim ſeculi vigeſimo ſeptimo, duo in Pomerania viſi confligere exercitus, victor Septentrionalis evaſit. Trabs hunc procedentem ignea ſecuta eſt. *Mercurius Gallobelgicus*. Menſe vero 1629 anni Martio, duæ in Miſnia in infima aëris regione concurrere acies. Ex nebula illæ ita formatæ erant, ut videri vultus & ora potuerint. Victoriam minor obtinuit, cæſus fugatuſque major eſt. Futurorum hæc forſan præſagia, quæ ut eveniant animitus optamus, voto claſſem hanc tertiam concludemus. Vtinam! Vtinam!

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS QUARTA.

In quâ

FOSSILIUM ADMIRANDA.

Hoc argumentum opum, hæc vera gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire. Nec hoc fuit ſatis tuba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices: ac temulentiæ cauſâ tenere Indiam juvat: & aurum jam acceſſio eſt. Plin. l. 33. Hiſtor. Natur. in præf.

noris altitudine in tegulis jacuit. *Niceph. l.* 15. *c.* 20. In Sylvis Neuholem ferream maſſam recremento ſimilem ex aëre decidiſſe; ſunt qui affirmant, eamque multorum pondo, adeo ut nec deportari propter gravitatem, nec curru devehi propter invia potuerit. *Agricol. obſ. Metall c.* 8. In Ægypto perparvulis guttis, ut plurimum pluit. Mures ex illis naſcuntur, qui ſpicas circumrodere, & ſegetes ſuccidere ſolent. *Ælian. l.* 6. *c.* 40. Quin & in Thebaide, cum grandine pluit, mures in terra apparere dicuntur, qui partim cœnoſus exiſtunt limus, partim carnis poſſident ſubſtantiam. *Ælian. l.* 2. *c.* 56. Maxime vero mirum, modo non ſit fabuloſum, quod *Olaus. l.* 18. & *Ziglerus in Norvvegia* de Septentrionalibus. Et ex illis *Scaliger Exerc.* 192. *ſect.* 3. *Lemer beſtiola*, inquiunt, *quadrupedes, ſoricis magnitudine; pelle varia per tempeſtates & imbres decidunt, incompertum an ex remotioribus Inſulis, an ex nubibus faculentis. Statim atque deciderint, reperiuntur in eorum viſceribus herba cruda nondum concocta. Ha more locuſtarum depaſcunt omnia virentia. Vivit hac peſtis donec non guſtaverint herbam renatam. Conveniunt gregatim quaſi hirundines evolatura, ſtato tempore, aut moriuntur, aut ab aliis beſtiolis Lefrat conſumuntur.* At in Amelandia, quæ ranam nullam patitur, ranis pluiſſe, ex *Praceptore noſtro Clariſſimo Domino Menelao Vinſemio Med. D. in alma Friſiorum Profeſſ. accepimus.* In Velauniis denique tantum erucarum una nocte decidit de cœlo, ut eas in domo reptantes, biduo toto accenſa palea, urere neceſſum fuerit; vix ad id ſufficiente hominum mulierumque turba. *Dalechamp. ad l* 2. *Plin. c.* 56. *Sennertus* animalia quæ ex putredine gigni poſſunt, vel ex materia aliqua pluviis irrigata gigni, vel in terræ cavernis latentes evocari exiſtimat: perfectiora & lapides aliunde venire; ad ſuperiores tamen cauſas plurima ex his referenda eſſe arbitratur.

CAPUT IX.
DE NIVE ET GRANDINE.

INgens Hyeme Nivis apud nos copia; nulla in alto mari. *Plin. l. 2. c.* 103. nec ejus in Æthiopia quicquam; *Alvarez. de reb. Æthiop.* At major in Septentrione. Obtectis aliquando ſummis arboribus in ramis tota continuè conſiſtit, & ne aër ad inferiora deſcendat, impedit, fornicatam quaſi faciens porticum. Vrbem obtriviſſe dicitur in Doſriniorum montium attacta cacumine: pilæ primo referens formam, ingentis tandem globi acquiſivit vires. *Olaus l.* 19. *cap.* 15. *& l.* 2. *c.* 13. Vix pauciorem Caucaſi montis habent vertices. Hyeme enim adiri non poſſunt: præcipuè in Cambizena tanta ejus condenſatur quantitas, ut hominum opprimantur catervæ. *Strabo l.* 11. Eadem Armeniorum ratio. Nam per montana pergentes repente montium cooperiuntur grumis; ut non emineant: id verò ſæviente bruma. *Rhodig. l.* 18. *cap.* 29. At in Tartaria æſtate etiam ingruit. Immenſum frigus, denſiſſimæ nives; à vento abripiuntur omnia. *Hiſpal. p.* 4. *cap.* 23. In eadem, campeſtria Pamer, adeo ingens frigus alunt, ut ignem reprimat. Nec enim lucere poteſt, nec eo coqui aliquid. *Polus l.* 2. *c.* 28. In Moſcovia vero ubi è ſpecula aqua demittitur, congelatur priuſquam attigerit. *Surius ad ann.* 1501. Rubentes in Armenia inveniuntur. Id loca μελτώδη ſeu minio ſcatentia faciunt, inde vi exhalationum inficiuntur. Nec hoc abſurdum: ſanguinis enim copia rorem reddit cruentum. Factum apud Trojam indicat Homerus cum ψιάδας αἱματοέσσας dicit. Ex eo hirta pilis & rubida producuntur animalia, vermes nuncupat Apollonius, Theophanes teredines montanos. Humor in illis concipitur, in potu gratus gentibus. *Euſtat. in Homer. Ariſt.* 5. *anim.* Cognata nivi grando de qua nihil habemus, magnitudinem ſi excipias. Nam Valentis tempore lapidibus magnitudine inuſi-

inuſitata ſimilis deſcendit Conſtantinopoli. *Socrat. hiſt. Eccleſ. l.* 4. *c.* 10. Vrbe ab Alarico capta, ſaxis manuariis major, & octonarum circiter librarum pondus habens, deferri viſa eſt. *Majolus in Canicul.* In Gallia Paſchali Pontifice, unum fruſtum 12. pedum decidit longitudine. *Bonfinius.* Apud Auguſtodunum 16. longitudine, 7. latitudine, altitudine duorum. *Sigebertus.* Vix minor Bergomatis tempore. Ovo enim Struthionis comparatur, & unciarum 12. fuiſſe ſcribit *Bonfinius.* Trium librarum pondere Bomelæ in Geldria die duodecimo Iunii, hujus anni cecidiſſe ajunt. Aliquando miras formas præ ſe tulit. Humanas anno 1395 exhibuit facies, viriles cum barbis, muliebres cum peplis & crinibus Chriſti Cremonæ anno 1240. cum crucis ſigno. Sed ſæpe fallimur, & imaginario exiſtere fatetur, quod recta negat ratio. Mirabilia interim opera DEI.

CAPUT X.

DE RORE, MANNA ET MELLE.

ROs ex tenui oritur vapore, frigiditate noctis in aquam reſoluto. In plantarum foliis & floribus, levibus imprimis & ſpiſſis, invenitur; & interdum ultra duos vix elevatur cubitos. Iovis & Lunæ quidam fingunt filiam Διὸς θυγάτηρ ἔρσα τρέφει καὶ σελήνας δίας. Nam ut Plutarchus inquit πανσέληνος δροσοβόλος ἐστὶν ac ideo canes pleniluniis ἥκιστα ἰχνοσκοπίαις ἐπιτυγχάνουσιν, quoniam roris frigiditas odorem abolet, nec ἰαρεῖν τὰς τῶν ζώων ἀποφοράς, quæ cauſa eſt cur διαθηγέκτος ſit ἡ ὥρα τοῦ ἔαρος. *Plutarchus* tradit obeſas mulieres, rore pannis aut mollibus velleribus collecto ac excepto, pinguedinem minuere ac conſumere. ἐν φυσικαῖς αἰτίαις. *Mannam* parvarum quarundam apum culicibus craſſis ſimilium opus eſſe ſcribit Chriſtophorus Vega, à quibus gregatim arboribus inſidentibus, guttatim quaſi ſudor defluat. *Sennertus l.* 4. *c.* 8. vero ſimilius exiſtimat,

mat, dulcedine potius Mannæ allici, quam eam efficere. An illud Ebræorum idem fuerit cum vulgari, quæritur inter doctos. Convenire plurima videmus: at diſcrepare in eo, quod ex eo mola fracto aut in mortario trito fiebant placentulæ. Liqueſcit omne Sole; etiam Orientale, niſi præveniatur. Vſum ejus pro ſaccaro legimus ad ſitim in potu aqua ſoluto. Nomadicis paſtoribus, qui Targæ colunt ſolitudines. *Scalig. Exer.* 164. Inter illas quæ ex frondibus colliguntur, Calabrienſis præſtantiſſima cenſetur, illa præſertim quæ ex Oenotriæ quodam loco, in quem ſingulis æſtatibus deſcendit & ab omnibus excerpitur, defertur. *Braſavol. in exam. ſimplic.* Hunc locum Reges Neapolitani olim occluſerant, ne quis ſine vectigali aſſumeret. Occluſo loco deſiit manna, nec deſcendit. Eo recluſo & vectigali remoto, iterum deſcendere cœpit. Sed rurſum clauſo & recluſo, & poſtea clauſo ceſſavit, ita ut Reges poſtea liberum locum reliquerint, & omnibus colligere permiſerint. Idem ſcribitur de Tragaſæo ſale in Epiro, cui cum vectigal injunxiſſet Lyſimachus, evanuit, mox dempto, ſuccrevit. *Cælius. Rhodig. l.* 9. *c.* 1. Mel mannæ affine eſt. Venit hoc ex aëre: & maxime ſydetum ortu, præcipueque ipſo Sirio ſplendeſcente fit, nec omnino prius Vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. *Plin. lib.* 11. *c.* 12. Itaque cum prima aurora folia arborum melle roſcida inveniuntur: ac ſi qui matutino ſub dio fuere, unctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt. Hic ros poſtea ab apibus colligitur, in veſiculis intra ipſas alteratur, in cellulas puri liquoris inſtar refertur, in quibus poſtea fervet, & calore naturali coquitur. Viceſimo die craſſeſcit, mox obducitur tenui membrana, quæ fervoris ipſius ſpuma concreſcit. *Plin. l. c.* 13. A veſpis quoque fieri ex Ariſtotele *Plinius* docet. A Moluccarum quibuſdam muſcis in arboribus, quæ formicis minores ſunt, Hiſpanicæ referunt navigationes. Copiam præcipue Lituania & Moſcovia habent. Nota de ruſtico in cavitatem quercus melle repletam delapſo ab Vrſo extracto, hiſtoria. De melle id accepimus quod de vino raſili ex Ariſtotele: adeo nimirum

craſ-

craſſeſcere, ut nonniſi deraſum bibatur. Sic in Troglodyticæ parte quæ dicitur Belgada, mel candidum adeò, ut ne nivibus quidem cedat: durum verò quaſi lapis *Scalig. Exerc.* 19. *ſ.* 1. Solidum etiam in Calicut, ita ut in Sportis contineatur. Melle ſervantur multa, multa etiam intereunt. Humor enim ei innatus non imbecillis. Quare ipſum ſibi incorreptum corrumpit aliena. Iuglandes quidem in eo ſervant naturam. Peculiari enim humiditati reſiſtunt oleagine; at Ficus Perſica, Pyra, Mala, tabo fluida fiunt. *Scaliger. Exerc.* 179.

CAPUT XI.
DE IRIDE.

THaumantis filiam dixere Iridem Poëtæ; demiſſis ad terram cornibus, aquam hautire credidit vetuſtas. Hinc illud *Virgilii* 1. *Georg. verſ.* 138.

Et bibit ingens

Arcus.

Propertius verò lib. 3.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?

Colores ejus tam exacti, ut vix artificis poſſit exprimere manus. Cœruleus aquæ indicium quod præterit exprimere dicitur, ignis alter, quod futurum eſt. *Strabo citante Rhodig.* Tres & aliquando plures in ea fieri poſſe exiſtimat Albertus. Dum fit in Meridie, à nobis conſpici nequit. Nec enim Iridem videt aliquis ultra tria millia paſſuum. Nuſquam fit aſcendente nube, ſemper vergente ad imum. Illo enim modo non rorat, ſed cum defluit. *Rhodig. l.* 22. *l.* 12. *c.* 7. A Lunaribus radiis fieri negat *Cælius*, comprobat *Scalig. Exer.* 80. *ſ.* 11. *In Inſula S. Thoma*, inquit, *ſi anteceſſerit pluvia, fieri à Luna Iridem cujus color ſit quaſi alba nebula.* Talem *Combachius* anno 1609. menſe Iunio Oxoniæ vidit; anno verò 1599. media æſtate poſt ingentia fulgura Wittebergæ. *Sennertus l.* 4. *Epitom. c.* 9. Quantum ad influxum ab iridis incubatu odoratiores reddi plantas tradunt nonnulli. *Scalig. Exer.* 81. *ſ.* 7. Damnat Cardanus: ſed tamen vix ridendum:

tum viſum, & duo Dracones ignem vomentes. Vnicæ deinde & ampliſſimæ urbis effulſit imago ad lacum poſitæ, claſſeque & terreſtribus obſeſſæ copiis. Crux ſuper hanc ſanguinei coloris, converſi paulatim in atrum. Prodiit item alius Eques, igneo flagrans colore, Imperatorium in capite diadema geſtans; quem inſecutus ſine ſeſſore equus. Poſtea in ampla planicie duæ ardentes enituerunt arces, alto vicinæ monti ad quam grandis aquila dimidium ſui corporis poſt montis abſcondens latus: aliquod ibidem pulli aquilarum, candido nitidi colore apparuere; item Leonis ſupini caput inſigniti corona: Gallus gallinaceus roſtro feriens fodienſque caput tantiſper, donec à trunco corporis delaberetur ſolutum & evaneſceret, corpore diu conſpicuo. Adſtiterunt & alii Leones, & juxta Apri caput, Monoceros paulatim in Draconem converſus, aliaque plurima inuſitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arſit & in celſa rupe arx duobus cincta exercitibus, & viſa eſt integra regio, frequentibus oppidis arcibus & vicis referta. Sed mox totus tractus in quo hæc ſteterant, igne conflagravit correptus, & ruinas vaſtæ terræ ſtagnum ampliſſimum obruit, exſtantibus tantum turribus in eo loco, in quo antea magna illa urbs apparuerat. Ad ripam lacus grandis, Camelus bibenti ſimilis conſtitit. *Anno vero* 1545. altero poſt Pentecoſten die, viſæ hæ in Sileſia imagines. Duxit ab Oriente inſtructam Vrſus aciem cui, ab occaſu, armata manu Leo occurrit: intra exercitum utrumque lucidiſſima emicuit ſtella: mox inter ſeſe congreſſi, dimicarunt acriter, ut deſtillare ex ſauciatis ſanguis & exanima corpora decidere viderentur. Inter præliandum Aquila ſeſe ſupra copias Leonis, de alta rupe, alarum libravit remigio. Diremto quaſi certamine, Leo inter ſuas fulſit cohortes, nullum Vrſi veſtigium, ſed proſtrata jacuerunt cadavera, qua alter conſtiterat exercitus, quibus canitie venerandi aſtiterant ſenes. Finito prælio reduxit exercitum ad occaſum Leo, quo aliquouſque progreſſo, quidam albo & ornato vectus equo, ad pugnæ locum à copiis rediit, atque in eum equum juvenem Cataphractum, ibi ſtantem collocavit,

 vit,

vit, & verſus ortum procedentem comitatus, cum cæteris ſpeciebus evanuit. Sed quid priſca recenſeo? vidit & ætas noſtra mirabilia, hic ipſe vidit annus. Anno enim ſeculi vigeſimo ſeptimo, duo in Pomerania viſi confligere exercitus, victor Septentrionalis evaſit. Trabs hunc procedentem ignea ſecuta eſt. *Mercurius Gallobelgicus*. Menſe vero 1629 anni Martio, duæ in Miſnia in infima aëris regione concurrere acies. Ex nebula illæ ita formatæ erant, ut videri vultus & ora potuerint. Victoriam minor obtinuit, cæſus fugatuſque major eſt. Futurorum hæc forſan præſagia, quæ ut eveniant animitus optamus, voto claſſem hanc tertiam concludemus. Vtinam! Vtinam!

THAU-

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS QUARTA.

In quâ

FOSSILIUM ADMIRANDA.

Hoc argumentum opum, hac vera gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire. Nec hoc fuit ſatis tuba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices: ac temulentia cauſa tenere Indiam juvat: & aurum jam acceſſio eſt. Plin. l. 33. Hiſtor. Natur. in præf.

ADMIRANDA FOSSILIUM.

CAPUT I. DE FOSSILIBUS IN GENERE.

HActenus fuere in ſuperius orbis elevata culmen; in ipſo abſcondita receſſu jam conſiderabimus; quæ, quia ope eruuntur humana, foſſilia ſapientes dixere, & terrarum, ſuccorum, lapidum, metallorum incluſere nominibus. Gigni quidam à calore ſubterraneo exiſtimant; Creata, primo à Deo, ſeminali quodam ſe propagare principio, alii ſentiunt. Et certe ex vaporibus quibuſdam fieri metalla, veritati haud abſonum. In Perſide non ſemel ærea Corpora hamatis ſagittis ſimilia, cœlo coruſcante decidiſſe narrat *Avicenna*. In Hiſpania verò maſſa lapidea venis metallicis infecta è nubibus lapſa eſt. *Lydiat, de fontibus cap. 6.* Poſterius ſcriptorum quorundam confirmat teſtimonium. Nam aurum Corbachii in Weſtphalia ſingulis quadrienniis creſcit & recreſcit in cumulis. Vena plumbi in Sclavonia in argentum quadrageſimo tranſit anno. Squamma æris ſicca, anno in aurum. Ferrum in Sileſia ad Saganum decimo refoditur anno. In Suecia limus ruber paluſtris, uno anno Soli expoſitus in bonum ferrum abit. Feſſulatum mons in Hetruria lapides plumbarios habet, qui ſi exſcindantur brevi temporis ſpatio, novis inſtaurantur incrementis. De ferro quod in Ilva Tyrrheni maris Inſula effoditur, refert *Cæſalpinus l. 3. de Metal. cap. 6.* terram metalli inanem quæ eruitur, dum vena effoditur, totam procedente tempore in venam converti. In India denique mons eſt Oromenus, in quo lapidicinarum modo, ſal cæditur renaſcens. *Cæſalp. l. 1. de Metal. c. 1.* Inſigne verò illud eſt quod *Garzias ab Horto de* Adamante ſcribit *Simpl. Indiæ l. 1. c. 47.* *Adamantes,*

mantes, inquit, *qui altiſſime in terra viſceribus multiſque annis perfici debebant, in ſummo fere ſolo generantur, & duorum aut trium annorum ſpatio perficiuntur. Nam ſi in ipſa fodina hoc anno ad cubiti altitudinem fodias, adamantes reperies. Poſt biennium rurſus illic excavato, ibidem invenies adamantes.* Cæterum quomodo id fiat, difficile dictu eſt. *Nulli poteſt facilius eſſe loqui, quam rerum natura pingere, laſcivienti præſertim & in magno gaudio fertilitatis tam variè ludenti. Plin. l. 21. præfat.* Haud tamen videtur abſurdum, ſpiritum cum materia idonea coaleſcere, illam nondum bene excoctam aliis dimittere, hoc modo perpetuari. Certe fluxus venarum analogum quid vegetabili oſtendunt naturæ, & relatio à Fribergenſi Medico in foſſorum Metallicorum pulmonibus, apertis poſt mortem cadaveribus, ea ipſa metalla concreta reperta, in quibus laboravere vivi; idem innuere videtur *Sennertus de conſenſu & diſſ. Chymic. & Galenicorum.*

CAPUT II.

DE MARGA ET TERRA RIGULORUM.

M*Arga* eſt terra ſpiſſa & pinguis: at interdum ita fluida & alba, ut medullæ oſſium in animatis non abſimilis videatur. Sæpius eſt dura, quæ pota ſanguinis per ora venarum profuſionem ſiſtit; omninoque quas Samia vires habet. Effoditur multis in locis, apud Saxones præſertim. Goſlariæ duplex, quarum una cinereo eſt colore, altera candidior; ex qua fiunt formæ, in quas hi qui metalla figurant, ea liquida infundunt. Vtramque frigus acre in tenuiſſimas bracteas dividit: tametſi prior antequam vim frigorum acceperit, ex craſſis conſtet cruſtis. *Figulorum* terra ſpiſſa, mollis, rara eſt. Ex pinguibus & ſpiſſis finguntur opera, quæ vis ignium non cito frangit. Ex iiſdem fiunt vaſa, quæ nec ſorbent nec excoquunt liquores: in quibus liquor qui aurum ab argento ſeparat, & conficitur & conſervatur. Opera figulina varias

rias nobilitarunt regiones. Aſiam, illa quæ fingebantur Pergami, quæ Trallibus, non ignota Coa, Samia, Aretina etiam mirifica. *Plin. l.* 35. *cap.* 13. Noriberga mittit forſaculas fictiles, in quibus venæ & metalla coquuntur. Ex argilla effoſſa ad arcem Rotenburgam fiunt catini, in quibus conficitur Orichalcum. Hi ex igne unà cum Orichalco ejecti non rumpuntur, ſed vitri candentis modo torquentur & trahuntur. *Agricola de illis qua effodiuntur ex terra.*

CAPUT III.

DE TERRA LEMNIA, ARMENIA, ET SILESIACA.

TErra Lemnia ſigillata alias dicitur. Hanc enim Sacerdos Dianæ patrio ſumens honore, hordeo & tritico piamenti loco redditis, in urbem comportabat, aqua maceratam, ac in luti formam redactam deſiccabat, ut mollis ceræ acciperet conſiſtentiam; qua accepta ſacro Dianæ muniebat ſigno. *Gal. l.* 9. *ſimpl.* Hodie quotannis non abſque ſuperſtitione effoditur ſexto tantum Auguſti die. Qui fodiunt Græci ſunt; puteus ſuavem emittit odorem. Foditur à Solis exortu ſex horis & in una reconditur parte; nec lucem videt priuſquam annus effluxerit. Exempta poſt eluitur, elota ſacco injicitur, manibus miſcetur, in globos fingitur, ſigillo imperatorio notatur. Siccatur tandem & in ſcrinio obſignata Conſtantinopolim ad Imperatorem mittitur. *Stephanus Albacarius in Epiſt. ad Busbequium.* Ad lethalia prodeſt medicamenta; tentavit in lepore marino & Cantharidibus Galenus & expertus eſt. Idem de ea teſtatur, in colle quodam juxta Epheſtiorum urbem, in quo nulla planta vivit, ſolo veluti combuſto, effodi. *Armenia* terra ex ea Armeniæ parte quæ Cappadociæ confinis efferebatur. Contra diſpnœam juvare aſſerit Galenus, ita ut quos non juvet, intereant. Bibitur ex vino conſiſtentia tenui modice diluto, ſi aur plane febri careat, aut leviter ea tentetur, ſi graviter, aqueo. Hodie habetur *Bolus Toccavienſis* in Hungaria, qui inſtar butyri contra

cathar-

catharrum valet, ita ut Armeniæ præferatur *Crato in Epiſt. Sileſiaca* Striegenſis Lemniæ etiam præfertur. *Sennertus Scient. Natur. l.* 5. *c.* 1. Inventor ejus *Iohannes Montanus Sileſius*, qui ſcriptum de illa edidit; Converſum eſſe aurum, Dei providæque naturæ ordinatione, in præeminentem præparatum Medicinam tranſmutatumque, peculiariter adverſus venena utilem, non minus quam Medicamenta, quæ magnis ſumptibus ex auro Vngatico conficiuntur.

CAPUT IV.
DE SALE.

SAl vel fit, vel gignitur. Fit è ſalſis fontibus, quorum aqua diu excocta tandem in ſalem vertitur. Gignitur varie. Siccatur in lacu Tarentino æſtivis Solibus, totumque ſtagnum non excedens. In Bactris duo lacus vaſti, alter ad Scythas verſus, alter ad Arios ſale æſtuant. Sed & ſumma fluminum denſantur in ſalem, amne reliquo veluti ſub gelu fluente, ut apud Caſpias portas, quæ ſalis flumina appellantur. Sed & in deſertis Podoliæ lacus eſt, cujus aqua ſereno ſole in ſolidum ſal concreſcit, tantæ craſſitiei ut jumenta & homines ſuſtineat, & in plura fruſta diſſectum, avehatur. *Thuan.* l. 56. Apud Bactros amnis Ochus & Oxus ex appoſitis montibus deferunt ſalis ramenta. Sunt & montes nativi ſalis, ut Indis Oxomenus, in quo lapicidarum modo cæditur renaſcens, majuſque Regum ex eo vectigal, quam ex auro & margaritis. Non procul Aſtracano duo ſunt ingentes, tanta ſalis copia, ut quamvis ſingulis diebus viginti millia fruſta illius ligonibus vel ruttis decuterent; tamen ne minima quidem pars detracta eſſe videretur. imò quo plus aufertur, eo in majori quantitate accreſcit. *Petrus Petrejus in deſcriptione Ruſſiæ.* Idem de monte quodam ſalifero in Hiſpania Tarraconenſi *Iohannes Gerundius* affirmat. Et *Marineus Siculus l.* 1. *de reb. Hiſpan.* ſunt montes nativi ſalis in Hiſpania apud Ribagorciam, in quibus lapidicinarum modo ſal ferro exſcinditur, arborum modo repul-

repullulat. Effoditur & è terra humore denſato in Cappadocia. Ibi quidem cæditur lapidum ſpecularium modo. Invenit & juxta Peluſium Ptolomæus Rex cum caſtra faceret. Quo exemplo poſtea inter Ægyptum, & Arabiam, cœptus eſt ſub arenis inveniri: qualiter & per Africæ ſitientia, uſque ad Ammonis oraculum. Is quidem creſcens cum Lunæ noctibus. *Plin.* Ad mare tenuis quidem gignitur. Cum enim fervet æſtus ſpumas agit, eaſque ad littora appellit & ſcopulos. Hæ autem abſciſſæ & in illis depoſitæ atque exſiccatæ, nonnullis in locis in ſalem convertuntur. *Dioſcor.* Lacuſtris in Sicilia tanti eſt ſplendoris, ut quod tradit *Plinius*, recipiat imaginem. Colomeus guſtum commovet ovi toſti ſapore. Qui in Cypro ex certa terra in monte Olympo extrahitur formam & colorem ſanguinis concreti habet. Ruber ex Alepo: ſanguineus ex Barbaria: Croceus ex Hiſpania verſus Majoricam venit, naturamque Halonitri & Aluminis obtinet. *Vnzer c.* 17. *de Sale.* Compactus in igne crepitat & exilit: at reſolutus non item, ut nec ille, qui in lacubus ardore Solis exſiccatus gignitur. Agrigentinum in aqua exilire refert *Plinius.* Torrefactus nihil aut minimum de amplitudine ſua deperdit: & humefactus perdit. Attamen ſalis acervi, qui ab Afris juxta Vticam conſtruuntur, tam alti ut collium habeant ſpeciem, Solis caloribus adeo obdureſcunt, ut imbribus non liqueſcant, ferro difficulter cædantur. Obſervatum verò eos qui ad febres putridas diſpoſiti ſunt, cibis liberius ſale conditis, ab illis præſervari. *Matth. de febr. peſtil.* Agros etiam illius conſperſu feraces redditos animadverſum: obeſæ verò mulieres, moderato illius in condimentis uſu, fœcundæ fiunt. Abſtergit enim uliginem, matricemque plus ſatis udam exſiccat, ut ſemen cohæreat. Viris quoque Lumbos incitat, & movet tentiginem. *Lemnius de Occultis l.* 2. *cap.* 36. Hinc Ægyptii ſale non uſi. Fœcunditati auxiliari, murium in navibus copia, & continentes mulierum ſalinarium pruritus argumento eſſe poſſunt. Nutriri & cum cæteris in ſubſtantiam verti ſentit *Libavius Tom.* 3. *ſingul. l.* 5. Cum videamus ex nullo non corpore ſalem extrahi. Gene-

ratio

tanio pretioſiſſimatum in mari perlarum & corallii ex intimis ſaxis emergentis in brachia & ramos, veluti arboris divaricati, ſali adſcribitur. *Quercetan. de Medic. priſc. Phil.* 2. Ad hæc ad os Epilepticorum admotus eos excitat. In Lipothymia cum ex reſolutione ſpirituum, tum ex eorundem oppreſſione, ſi labia eo fricentur, præſentiſſimum remedium eſt. Ore detentus vel deglutitus, ne in ventriculum aſcendant Lumbrici, prohibet. Denique ſitis & famis Antidotum eſſe, Caroli V. in obſidione Tunetana exercitus teſtatus eſt. Periiſſet, niſi unuſquiſque unum aut alterum granum linguæ ſuppoſuiſſet. *Bicker. in præfat. lib. de ſanit. conſt.*

CAPUT V.
DE ALUMINE ET NITRO.

Aluminis concreti variæ ſunt figuræ. Sciſſum gleboſi flos, vel aſſerum inſtar compreſſum eſt, vel ſingulatim canorum capillorum inſtar effloruit. Rotundum bullarum modo intumeſcit, vel foraminum fiſtulis, ſpongiæ quandam gerit ſpeciem. Liquidum quiddam ſua ſponte exſpirat, quod ita ignem olet, ut lapides, quando eorum attritu idem elicitur. Cum in carbones ardentes poſitum, vel ollæ incluſum ſuccenſis torretur ignibus, in bullas tumet, & aliquid de ſua deperdit ſubſtantia. *Plin. l.* 31. *cap.* 10. Flavum eſt illud & inſtar butyri molle, quod in foro Vulcanio propè Neapolim foditur. Matthiolus refert ſe illud vidiſſe, contrectaſſe, guſtaſſe, nec quicquam unquam magis adſtrictorium percepiſſe. Liquidum illud & luteum quod in Ilva maris Hetturii inſula repetitur tractatum manibus ita molleſcit, ut fere fluat. Saccharinum ex alumine Rochæ, albumine ovorum, & aqua roſarum, in maſſæ turbinatæ formam, ſacchari inſtar effingitur. Nitrum in Clytis Macedoniæ optimum eſt, Calaſtricum vocant, candidum proximumque ſali. Lacus eſt nitroſus exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum circa canis ortum novenis diebus, totidemque ceſſat, ac rurſum innatat, & deinde ceſſat. Mitum eſt & illud,

& illud, ſcatebra foniculi ſemper emicante, lacum nec augeri nec effluere. Iis autem diebus quibus gignitur, ſi fuere imbres, ſalſius nitrum faciunt, Aquilones deterius, quia validius commovent limum. Aqua Nili ſi diu in convalle ſteterit, ſalſuginoſa & nitroſa evadit, quandam ad ſe ſubſtantiam ex profundo & ſalſam materiam evocans, quæ poſtea ſalis inſtar, calore ſolis concreſcit, duriorque ipſo ſale redditur. *Fuchſ. l. 1. de Compoſ. Medic. cap.* 17. Procreatur & ex urina animalium quæ in bonam ac umbroſam terram continuo cadit. *Ang. Salic. Vinc. ſ.* 1. *aph* 28. Viſui apparet candidum, tactui frigidum: in ſe tamen continet ſpiritum rubicundiſſimum, calidiſſimum, & maxime inflammabilem. *Sennert. l.* 5. *Epitom. ſcient. natur. cap.* 2. Nullum odorem per ſe exſpirat uſtum, qui ſenſu percipi poſſit; calce tamen inſperſa adulteratum vehementem. Ægyptii ſuo nitro raphanos aſpergebant, non aliter ac nos ſale. Macedones aliquid de Calaſtræo ad farinam addunt, cum eam ut faciant panem, ſubigunt. Tenuiſſimæ Nili arenæ, quæ ut videtur, nitroſæ erant, ad dealbanda corpora Batrobio Neſonis liberto advehebantur. Nitrum etiam ex quo fit Halinitrum, eſt Serveſtæ & Bernburgi. *Georg. Agricola.* Terra illa imbres ultra cubitum non admittit. Huic ſimile eſt, quod lapidei parieres, cum in cellis vinariis, tum in locis opacis & tutis ab imbribus, qui ipſum ſolent eluere, ita exudant, ut polline videantur conſperſi.

CAPUT VI.
DE CHALCANTO SEU VITRIOLO.

OPtimum Romanum & Vngaricum; bonitas probatur cultro ubi affricueris. Si enim cupreo eum inficit colore laudatiſſimum habetur. *Quercet. de Capit. affect. cap.* 36. Conſtat, in occultis ſuis cuprum continere. Antiqui 31. pondere intra corpus accipiebant, vermes ſic necabant, & venena fungorum. *Sennert. l.* 5. *Epit. Scient. Natur. cap.* 2. Albi portiuncula in aqua ſoluta, in pruritu ruboreque oculorum, feliciter

citer illis inditur, *Plater. de dol. p. 313.* Spiritum illius cauſticum dicit *Riolanus* ut vitrum, in quo inſit, exedat. Cum oleo Tartari antipathiam exercet. Vterque illorum acutiſſimus & acidiſſimus. Si miſceas utriuſque acrimonia perit, & liquor fit inſipidus, *Boeth. lib. 2. de lapid.* Cum Nitro junctum, aquam argento diſſolvendo dicatam repræſentat. *Minder de Vitriol. cap. 9.* Admiratione non caret, quod de eo & ſuccino refert è Paracelſo *Cunradus in medulla deſtillatoria* Repone, *inquit*, ſuccinum flavum in tabulam è Biſmutho factam, & trium ſpithamarum vitriolum colloca. Mirum viſu ac dictu! Vitriolum & colore & acrimonia ſimul ſpoliabitur: quæ in ſuccini præparatione viciſſim deprehendentur.

CAPUT VII.

DE NAPHTHA, PETROLEO ET MALTHA.

NAphtha bituminis Babylonii περίηθημα ſeu colamentum eſt. Tantæ cum igne cognationis, ut etiam ex intervallo flamma tranſiliat, & calore Solis facillimè incendatur. Narrat certè Plutarchus ab ignis in Ecbatanis cavernis, in ſtagnum quaſi confluxiſſe collectam adeo ad ignem proclivem, ut antequam attigiſſet per ipſum ſplendorem circa facem incenſum, aërem qui interfuit, ſæpe inflammaverit. Id demonſtraturos coram Alexandro barbaros, vicum ad Regis ducentem diverſorium ea conſperſiſſe, & in extremo admota face, eundem, ac ſi flamma correptus eſſet, apparuiſſe. Hinc addit Naphtham à quibuſdam pharmacum Medeæ appellatum, qua coronam & peplum Creontis filiæ inunxerit, & hac combuſſerit arte. Ex hac in Perſia oleum conficitur medicum, quo illitum telum, ſi emiſſum lentius laxiore arcu (nam ictu rapido extinguitur) hæſerit uſque tenaciter, cremat; & ſi aqua voluerit abluere quiſquam, æſtus excitat acriores incendiorum, nec remedio ullo quam jactu pulveris conſopitur. Paratur hoc modo: Oleum uſus communis

nis herba quadam infectum condiunt. Harum rerum peritia & diuturnitatem ſervans & coaleſcens diu ex materia bene naturali ſimilis oleo craſſiori ſpecies gignitur apud Perſas, quam, ut diximus, Naphtham, vocabulo appellant gentili. *Libav. Tom. 3. Singul. lib. 2. cap. 7.* *Petroleum* liquidius Naphtha eſt. In Italia & regione Mutinenſi è petra ſtillat candidum & ruffum, odore validiſſimo. In Sicilia fontibus innatat, quod Oleum Siculum appellant, & eo ad lucernarum lumina inſtar olei utuntur; ad ſcabiem jumentorum à Plinio laudatur. Scaturit & album in tractu Parmenſi, apud Mejanam pagum. Tres ibi ſcaturigines. Excipiunt ſingulo vel altero die hoc pacto. Aquam ſcopis quatiunt, oleumque in angulum coactum, vaſe excipiunt, in ſingulum diem libram ſemis maxime æſtivo ſiccoque tempore. *Bauhin. ad lib. 1. Dioſc. cap. 85.* Ruffa ad montem Zibethum hyberno tempore ad quindecim uncias, æſtivo ad quadraginta quinque. Nigra colligitur in vico Aſſenſi concha & vellere. Quanto magis aqua exhauritur, tanto magis olei excipitur. Aliquando ad ducentas quadraginta uncias. Variat ratione loci. Italicum in ſuo fonte non flagrat. Babylonicum facit. Mirum quod refert *Mathiol in lib 1. Dioſc. c. 82.* Habebat Hercules à Contrariis Ferrarienſis in prædio ſuo puteum, in quem deſtillabat Petroleum. Conduxit cæmentarium qui obturaret; quia ſine luce non potuit, dimiſſa candela. Accenſum hinc petroleum, cum tanto impetu, ut & cæmentarium ejacularetur, & putei læderentur latera. MALTHA colamentum bituminis eſt limo argilloſo miſtum; cujus *Plinius l. 2. cap. 104.* facit mentionem. *In Comagenes*, inquit, *urbe Samoſatis; ſtagnum eſt emittens limum flagrantem. Cum quid attingit ſolidi, adhæret: præterea tactus ſequitur fugientes.* In ferruminandis muris calcis uſum præbuit. Ad Babylonios muros extruendos adhibitam fuiſſe *Vitruvius* docet *lib. 1. cap. 5.*

CAPUT VIII.

DE PISSASPHALTO, ET MODO CONDIENDI CADAVERA.

PIſſaſphaltum eſt bitumen cui pix incoquitur, Arabibus Mumiam exiſtimat *Bauhinus*. Duplex autem hoc naturale & factitium, quo mortuorum cadavera condiebantur ex Myrrha & Aloë. Cæterum de condientibus & condiendi modo (dicimus hic de his cum in ea inciderimus) multa *Diodorus Siculus*, & *Herodotus l.* 3. Tres hoc munus abſolvunt. Primus Grammaticus dicitur, poſito humi corpore, quantum à ſiniſtra incidatur, circa ilia deſcribit. Alter eſt ſciſſor, Æthiopico latus aperit lapide, ſubitoque aufugit. Aſtantes enim factum exectantes lapidibus impetunt. Tum ſequuntur ſalitores. Ex his ſciſſuram per corporis interiora, præter cor & renes unus ducit; alter vino Phœniceo odoriferis immixtis lavat; dein cadaver lotum, unguentis ex cedro & pretioſis per dies ungunt triginta. Curatum cognatis traditur, pilis ſuperciliorum & palpebrarum ſervatis, ut dormienti videatur ſimilis. Triplicem condiendi modum Herodotus docet. Primus: cerebro per nares hamo extracto, & lapide Æthiopico ablatis viſceribus, repurgant vino Phœniceo & odoribus infarciunt: tum omenta myrrha caſſia & odoribus, excepto thure, contuſis, complent & conſuunt: dein per ſeptuaginta dies ſaliunt: tum cadaver ablutum & ſyndone involutum, gummi illinunt, inque ligneam hominis effigiem indunt & reponunt. Alter eſt quo diebus ſeptuaginta ſaliunt, quod inteſtina educit. Tertius modus: Pauperes ventrem dilutionibus abſtergunt, per dies ſeptuaginta ſale arefaciunt, dein reponunt. Nec tantum hominibus hic honor, pertinuit & ad bruta. Sacra enim quædam Ægyptiis, mortua ſyndone contecta, cum ululatu pectus percutientes ſale aſpergebant: ac cedri liquore quo diutius ſervaretur corpus unctum, in ſacris aſſervabant locis. Pectori etiam varia includebantur idola. Invenit in thorace unius *Rondeletius*, viginti folia pa-

pyri

pyri antiquæ literis Arabicis inſcripta. *Bauhin. ad l. 1. Dioſc. cap.* 85. Cæterum apud Gallos tanta Mumiæ commendatio; ut nunquam ea optimates carere voluerint. Referunt Franciſcum I. in baltheo ſemper geſtaſſe, nullum caſum pertimeſcentem, ſi vel minimum ejus apud ſe haberet.

CAPUT IX.
DE CAMPHORA.

SCribunt Mauri Camphoram lachrymam eſſe arboris, adeo patulis diffuſæ ramis, ut tantum locum reddere poſſit opacum, quantus homines capere queat centum. Addunt, lignum eſſe album, ferulaceum, & Camphoram in fungoſa continere medulla. Incertum id, certius ex bituminis quodam genere fieri, hoc modo. Indicum bitumen quod ex nativa effloreſcit Camphora, ſubjectis carbonibus in vaſe coquitur, partes tenuiſſimæ in candidum colorem verſæ in operculum feruntur: quod ipſis collectis eam, quam videmus, dat figuram. Nativam in India dari affirmant mercatores. Adeò amica eſt ignibus, ut ſi eos ſemel conceperit donec conſumatur, ardeat. Flamma quam emittit lucida & odorata eſt. In aërem ſublata & ſuſpenſa ſenſim evaneſcit; tenuiſſimæ partes in cauſa. Hinc medicamentarii in vaſe milium aut lini ſemen includunt, eamque ſic obruunt. *Plater. de l. f. pag.* 165. Odor illius repugnat Veneri; pota, imò attacta genituram extinguit. Quia verò fertur ad caput, ſi rapuerit ſecum frigidos humores, & gignere poteſt ſomnum, & homines antequam ſeneſcant canos reddere. Si cyathus aquæ, in qua tantum Camphoræ conflagrarit quantum nucem avellanam æquet, exhibeatur cardiacis & hyſtericis, ſtatim liberantur. *Heurn. l. 2. Medic.* Frigidam eſſe putant Neoterici, adjecta ambra miteſcere, & ne obſit ariditas, affundi oleum violarum. Experimento didici, inquit Garzias ab Horto, in oculorum inflammationibus nivis frigiditatem retuliſſe. *Mindererus lib. de peſte* verò ſcribit, ſe, cum portiunculam unam ejus, ægros inviſurus, deglu-

glutiiſſet, nonniſi prætenuem quandam flammam intrinſecus deprehendiſſe.

CAPUT X.

DE SUCCINO SEU ELECTRO.

ARborum ſuccum quidam exiſtimant; Malè. Nullibi ſtant à mari ſtillantes reſinis arbores, quæ decidant in mare, ut ex iis fiat ſuccinum. Certius eſt, pinguem terræ eſſe ſuccum. Maxima pars invenitur in Boruſſia, ſed & in Curlandia parte Livoniæ, non tamen tam copioſum. Capitur reticulis tanquam piſces. Cum Favonius aut Corus vehementius mare commovet, omnes ad littus convolant, reticula lino intexta in manibus. *Agricol. in lib. de foſſil.* Ventis ſedatis, ſed mari æſtibus fervente, ad fluctus receſſum, ex fundo ſuccinum hauriunt, ſimilemque pulegii herbam, quæ in eodem crevit. Captum fertur ad præfectos, ſuccini ponderi æquale ſalis ſubſtituitur pondus. Singulis menſibus aureorum Rhenenſ. decem millibus vendi dicitur. Apud Schetlandiæ Buchaniam equo major quondam appulit maſſa. Ruſtici ignari thuris locum ut impleret fecerunt. *Hector Boëtius in hiſtor. Scotia.* Effigies ex eo fiunt pretioſiſſimæ. Romani in tantis deliciis habebant, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum pretia ſuperaret. *Plin. Hiſt. Natur.* Affrictum trahit paleas, niſi oleo aut aqua imbutum fuerit. In ſpiritu ſicco quidam quærunt cauſam: at lactucam viridem traxiſſe vidit *Scalig. Exerc.* 104. *ſ.* 12. Quidam in tranſelementari facultate: ex accidenti id eſſe nonnulli judicant. *Fernel.* 3. *Med. cap.* 4. Spiritus enim habet penetrantes & acres, ſimulque glutinoſos & pingues. Attenuati affrictu incaleſcunt, & facile res leves pervadunt, prorumpentes. *Libav. in lib. ſingular.* Frigidis cum occurrunt, coagulantur, coagulati verſus originem retrocedunt. Calor enim à contrario rejicitur hoſte. Si ex paleis & ferro tenuem miſcueris pollinem, trahet ſuccinum paleas, ferrum Heraclius. In littore ad Pucecam cinereum eſt quon-

quondam effoſſum, quod poſtquam fuit attritum ferro, folia quæ humi jacebant, duorum pedum ab iis remotum ſpacio, in ſublime ſublata ad ſe traxit. Odor candidi eſt præſtantiſſimus. Cum ramentis ejus peſtis cauſa conclavia ſuffiuntur, ad tertium diem odore ſuo permanet. Quodvis tenue igni accenſum ex flamma evolat. Elicitur ex ſuccino oleum magni in Medicina uſus; Balſamo enim ſubſtituitur. Peſte correptos VII guttæ, cum aqua Cardui bened. & ſale artemiſiæ reſtituunt, & ſolius ſuffitu ſenex quidam in arce Altenburg. Conſul Apoplecticus ex morte poſtliminio ad vitam revocatus eſt. *Doring. de opio.*

CAPUT XI.

DE AMBRA, GAGATE ET BITUMINE TERRENO.

ASiaticum ſuccinum Mauris eſt *Ambra.* Ex terra ſubmarina fungorum inſtar naſci quidam exiſtimant; nonnulli piſcem Aſelum nomine, avidiſſime eam proſequi ſcribunt, ejuſque, necem ſibi conſciſcere eſu; quod cum ſciant piſcatores, funibus conſtrictum, exenterare mortuum. *Mathiol. in Dioſc. l. 1.* Verior ſententia, defluere de fontibus in mare, ibi induratum ejici in littora. Cerebro familiaris eſt; ut ſit, frigiditas facit inſita. *Libav. l. 3. ſingul.* Cordi niſi à frigida cauſa occupato, nocere poteſt. Scilicet ſi ſpiritus incaleſcunt, & juſto magis attenuantur, morbi exiſtunt. *Heurn. l. 2. Medic.* Emplaſtrum ex ambra, calvis & imbecillitates ex frigore capitis ſentientibus commodum. A geſtante non percipitur ubi paululum aſſueverit. Quo debilior eſt fœmina mobiliorque, eò facilius ab ambra & moſcho ei convellitur uterus, & caput dolet. Vino infuſa temulentos reddit. *Gagatis* nomen nigrum bitumen in mari induratum habet: quod æſtus in littora Æſtyorum ſimul ejicit cum ſuccino. Fictilia ex eo inſcripta non delentur. *Plin. l. 36. cap. 19.* Cum uritur odorem ſulphureum reddit. Mirumque, accenditur aqua, oleo reſtinguitur. Deprehendit ſonticum morbum, & virginitatem ſuffitus. A

virgine enim jejuna potus urinam provocat. *Dalechamp. in Notis, ad l. c.* Nicander in Theriacis vocat ἐγγάγγιδα πέτρην. Interpres exponit Gagatem, quod magnus & palleſcens reperiatur in littore ad Ganges oppidum Lyciæ. *Strabo* Gangitis lapidis nitorem τὰ ἑρπετὰ φεύγειν tradit. Bitumen terrenum aliàs. *Lithanthrax* quod ſit inflammabilis, & ad focos fabrorum ferrariorum utilis: Item *Ampelitis*, quod κνίπας enecet, *Pharmacitis* quod efficaciam medendi habeat. Erui in Scotia vidimus. In ditione etiam Leodienſi; ex quo ſi durum eſt globuli, quibus preces numerantur, fiunt. Huc pertinent ceſpites bituminoſi, qui reſiccati ignis ſunt apud Belgas fomentum. Effodiuntur etiam in Collao provincia Peruana, quam *Monardes* his verbis deſcribit: *In Collao provincia Peruana, locus quidam omnino nudus eſt, in quo nec ulla arbor nec ulla planta creſcit; quia terra bituminoſa eſt, ex qua Indi liquorem eliciunt ad plurimos morbos curandos utilem. Ratio eliciendi hæc eſt. Terram in ceſpites ſcindunt, quo loco aprico ſuper perticas aut craſſiores arundines diſponunt, vaſis ad excipiendum aptis ſubjectis. Solis enim ardoribus hoc bitumen liqueſcit, deinde remanent ceſpitis ſine oleoſo liquore ad focum ſtruendum apti.* Ad lævam etiam in littore Pucici ſinus non longe à Cœnobio, quod vocant Olivam, reperiuntur concreti bituminis glebæ ſatis duræ, ovo majores minoreſve. Omnes ardent accenſæ. *Agricola in l. de foſſil.* His adnaſcuntur arbuſculæ pallidæ, quæ piſces olent, altæ tres aut quatuor palmos. Carent radicibus, & ſicut patellæ, lepadas vocant Græci, ad glebas adhærent.

CAPUT XII.

DE CORALLIO.

CORALLIUM aliàs *Lithodendron*. Oritur ex ſucco lapideſcente. Eſt verò frutex ſub aqua marina viridis & mollis, baccas habens ſimiles cornis nativis, ſpecie & magnitudine, item molles ſed candidas. Reſectus ſtatim induratur. Omne priuſquam præcidatur, viride eſſe

eſſe videtur: interdum etiam unius corallii ſtirpes ramique partim ſunt rubri, partim candidi, partim nigri. Maxima in mari Mediterraneo colligitur quantitate, & Maſſilienſes quotannis adeunt piſcatum, retibuſque ex imis Oceani viſceribus extrahunt. *Diſpenſ. Chymic. l. 2. cap. 49. Linſchottus part. 3. Orient. Ind. cap. 1.* ad caput Bonæ ſpei ſcopulos eſſe ait, in his corallium acutiſſimum. Omnifarii coloris Indi geſtant, quia aruſpices amoliri arbitrantur pericula. A faſcinationibus infantes tueri vulgus ſibi perſuaſit. Superſtitioſum hoc illud certum, quia gelidiſſimum eſt ſitim ſedare. *Mercurial. l. 3. de curand. affect.* Collo admotum turbulenta ſomnia propulſat; & nocturnos puerorum terrores compeſcit. *Panſa de prorog. vitæ l. 4.* Si à viro geſtetur rubeſcit exuberantius: in pallorem muliebri devenit conſuetudine. *Lemn. l. 2. de Occult. cap. 22.* Fuliginoſi in fœmina ſpiritus in cauſa, languidus in corallio calor, vaporoſa ac mitis caloris innati in viro ſubſtantia. Inde & ſinapis ſemen corallium ſi obruat, rubicundum efficit. Sunt verò & aliæ ſtirpes, quibus ſuccus lapideſcens concedit in mari primordia. In extero circa Herculis columnas & hymum & frutices lauri ſpecie; in Indo junci & calami, in rubro fungi; quæ omnia ejecta in lapides mutati, partim *Theophraſtus* teſtis, partim *Plinius*. Huc pertinet *Syringites*, qui ſtipulæ internodio ſimilis, perpetua fiſtula cavatur.

CAPUT XIII.

DE SULPHURE & STYBIO.

Effoditur in Iſlandia ad Heclam montem, & quidem ut quibuſdam placet, ἄπυρον. Luteum eſt quod in planitie ſulphuroſa, à Campanis Virgineum dictum, quod eo mulieres faciem pingant. Alibi quaſi floreſcit, aut ſudoris coagulati ad inſtar, in lapidum conſiſtit rimis, unde venarum modo per mineras ſuas diſtributum diſcurrit. Sæpe foris lapidibus adhærere conſpicitur, ut poſſit decuti; & id ferè rubrum, pallidum, aut viride. Tale in tractu Hildesheimio reperiri ſcribit Agricola *l. 1. de eff. ex terra cap. 22.* In Carniola, teſte

Libavio in priori parte Apocalyp. Hermet. tradunt rubrum effodi, quod nec ardet ut alia ſulphura, nec fœtet, diciturque ceræ inſtar, admoto igne, fluere. Bonitas inter duas ferreas exploratur laminas. Si enim inter illas compreſſum cereo fluit ſine fætore fluxu, & rubedinem relinquit, genuinum cenſetur & bonum. Ita amicum igni eſt ut fragmenta circa ligna poſita eum ad ſe alliciant. Græci & Romani ejus ſuffimentis religionem expiabant ædium. Igni impoſitum morbos Comitiales deprehendit nidore. *Luſit & Anaxilaus eo, candenti calice, prunaque ſubdita circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum velut defunctorum, offundente convivis. Plin. lib. 35. c. 15.* Chymicis oleum ſeu balſamum ex ſulphure adeo efficax conficiunt, ut neque vivum corpus, neque mortuum ad putredinem tranſire ſinat: ſed adeo integrum tueatur, ut neque ulla cœleſtis impreſſio, vel ab elementis profecta corruptio, vel ab ipſorum ortu inducta, obeſſe ei poſſit. *VVeck. Antid. Spec. l. 1.* Ex ſulphure etiam conficitur lampas, accenſa homines ἀκεφάλυς apparere facit. *Trithemius* ex florib. ejus, borrace, cum ſpiritus vini parare docet, jugiter ardentem, per multos annos inextinguibilem. De Stybio pauca dicam. Inſignis in eo dejiciendi facultas, ipſa comprobata experientia. *Mathiol. ad Dioſc. l. 5. cap. 59.* Inciderat *Andreas Gallus Medicus Tridentinus* in pulmonum, cordis & ventriculi inflammationem; acceſſit ingens ſitis; Epiglottidis tumor, cordis palpitatio, & capitis ſuffocativa ferè deſtillatio. Aſſumtis tribus ſtybii cum rhodo-ſaccaro granis bilem flavam unciarum quatuor pondere primo, poſt duarum librarum excrevit. Ceſſarunt ſymptomata & priſtina rediit ſanitas. Idem ſibi in peſtilentia accidiſſe ſcribit *Georgius Hendſcius Medicus.* Lucas etiam Conſilif. Senenſis, ſumptis quatuor ſtybii granis, duodecim terebinthinæ reſinæ portiones quas ante quindecim devoraverat dies, evomuit. Parochus verò quidam Pragenſis præ melancholia inſanus, acceptis duodecim ejuſdem granis etiam per alvum eduxit bilem; cui ramenta carnis veluti admiſta; hæc magnos varices in partes diſſectos præ ſe ferebant. Chymici pro univer-

ſali

ſali fere Medicina agnoſcunt. Bottonus oleum ſaccaro dulcius ex eo elicit, quod drachmæ pondere aſſumtum per inferiora tantum purgare dicitur. Vitrum ejus in vinum injectum vim ipſi catharticam & emeticam communicat, nunquam deficiente ſubſtantia.

CAPUT XIV.
DE SUCCIS LAPIDESCENTIBUS.

OBliti fere eramus *ſuccorum lapideſcentium*, hic addemus. Mira enim naturæ ludentis in iis opera. Interdum dum decidit lapideſcit, interdum ſolum priuſquam attigerit. Vterque ad Ambergam modus, ubi albæ ejus operâ exiſtunt columnæ. *Agricol. lib. de eſſl. ex terra.* Quicquid eum imbiberit lapis eſt, meatuum ſi adeſt capacitas. Hinc fontes lapidei, ligna & oſſa invenies foſſilia. Cum opifices orto bello, in Metalla Lydiæ circa Pergamum confugiſſent, obſtructo exitu ſuffocati ſunt; repurgatum poſt antrum: & amphoræ lapideæ, ſucco lapideſcente repletæ, inventæ ſunt. Habet Elboganus tractus abietes magnas cum corticibus: in rimis aurei coloris pyrites concreſcit: Cracovicium in Bohemia arbores cum ramis; ex quibus angulatæ cotes, donum à Columbratii Baronibus Ferdinando I. oblatum: Hildesheimum trabes acervatim poſitas, quarum interdum eminent capita. Hæ ferro aut altero lapide percuſſæ, non aliter ac marmor Hildesheimium cornu uſti virus redolent. Ibidem & lignum in lapidem mutatum, & in ejus commiſſuris Ebenum reperitur foſſile: quod etiam ſparſum in aliorum lapidum cavernis tanquam in alvo latere, non ignoravit *Theophraſtus*. Specula, ſtrigiles, veſtes, calceamenta illata in lapidicinam, quæ in Aſſo Troadis, lapidem fieri, *Mucianus* author eſt; Lapides verò qui ex ſucco lapideſcente concreverunt, plerumque ſunt molles & fragiles. Ad Calidas Caroli IV. multi numero conjuncti reperiuntur lapides, favorum modo cavi, dimidiati globi figura, magnitudine piſi. Ex guttis calidarum decedentibus nati ſunt. Vaſa vero fictilia,

quæ in terra ſunt inventa, urnæ fuerunt; demortuorum in iis oſſa: ſiquidem in omnibus operculo tectis cineres, in aliquibus etiam annuli reperiuntur. Talem in Bibliotheca Thorunienſi vidimus & in hortis Arundelianis Londini plurimas. Mos erat antiquis ut notum, urere, & uſta reponere. In Italia etiam vitreæ inventæ ſunt. Quatuor in agro Neapolitano repertas, Cæſar Carduinus habuit. Quid verò Veronæ acciderit, dicet *Bertius in deſcr. agri Veronen.*

CAPUT XV.
DE MAGNETE.

MAgnes lapis eſt ſatis notus. Ejus effectus admirandi; duo præcipuè; Obverſio ad polos mundi, & Tractio tum magnetis alterius, tum ferri. Quantum ad primum. In pleriſque locis non exactè polos reſpicit, major aut minor interdum declinatio. Animadvertit id hoc ſeculum: decimo enim ultra Fortunatas Iuſulas gradu, ubi initium longitudinis à Coſmographis poſitum, cum polis mundi convenit: verſus Orientem magis deflectit. Circa Noribergam decem numerantur gradus, 16 in Norvegia, in Zembla 17. obſervavere Belgæ, Gilbertus quidam 23 prodidit. Vnde colligitur ſummam declinationem 23 graduum eſſe. Cauſam ſi inquirimus, diverſa inter doctos ſententia. Magnetis quoſdam ſub polo montes; ponunt nonnulli, & ſimilitudine naturæ moveri magnetem aſſerunt: alii ad ſtellas quaſdam converti ſcribunt: alii in eo duo oppoſita puncta ſtatuunt, quorum unum ad Boream, alterum flectatur ad Auſtrum: alii verſus Auſtrum moveri judicant, quod operatio omnium Planetarum ſit à Meridie, falli hi videntur. Montes quanti & quales ſint non ſatis compertum, & plures ejus in Ægypto mineræ. Polum exacte & directe non ſpectat, in Meridiano niſi conſtiterit. Punctum quod Auſtrum obvertitur, fortius eſſe judicatur. Inſigne dant documentum fabri, dum in pixidum nauticarum indice, ei parti Magnetem affricant, quâ in Meridiem vertitur. Sunt deni-

denique appoſita loca, in quibus Ecliptica ab Æquatore verſus Septentrionem declinat & Planetæ ab Ortu per Septentrionem curſus peragunt ſuos. Maximè probabile *Sennert. l.* 5. *ſcient. Natur. cap.* 4. videtur, Magnetem verſus Polum moveri Auſtralem, vel ſolum, vel ſi duos habeat Auſtralem magis. Sufficiat nobis quod *Scaliger ſcribit Exerc.* 131. *Concors*, inquit, *atque conſentiens natura, ſibi rerum omnium tum ſuperiorum tum noſtratium connexionem, admirabili ſerie hac qua totum hoc unum eſt, perpetua neceſſitudine conjungit. Ita ut non ſolum ſint in rebus tanquam gradus, aditus, receſſus, ſeparatis: verum etiam earum quæ ſejuncta penitus videntur, ſubſtantiarum commiſtiones.* Bodinus quatuor ex æquo mundi regionum indicem pronunciat *Theatri Natur. l.* 2. *Acus enim ferrea* (verba appono) *leniter attrita magneti, ab ea parte Magnetis, quâ antequam exſcinderetur è rupe, ad Septentriones ſpectabat, ſi ad æquilibrium acus ſtatuatur, extremitas lapidi attrita, ad Septentriones convertetur. Eadem vis eſt in plagam Auſtralem, ſi à parte Auſtrali magnetis acus atteratur. Nec minor vis ab Orientali & Occidentali parte Magnetis, tametſi lapis ſeipſum ad regiones mundi convertere non poteſt, ſed tantum acus ferrea: Id autem quod diximus, niſi experientia intelligi non poteſt. Si enim Magnetis fragmentum ligno natanti in aqua ſuperpoſueris, & Magnetis latus, quod ad Auſtrum ſpectabat, priusquam de naturali ſede dimoveretur, oppoſueris alterius Magnetis lateri, quod etiam ad Auſtrum ſpectabat, priuſquam exſcinderetur, lapis natans refugiet in oppoſitam vaſis aquei partem: ſin partem Magnetis Septentrionalem, Auſtrali parti alterius Magnetis in aqua natantis converteris, Magnes innatans repente accedet, & uterque utrique mirabili natura conſenſu conjugabitur, tametſi lignum vaſis aquei intercedat. Idem quoque fiet, ſi vel acum ferream, in vaſe vitreo aqua pleno, & calami fruſtulo transfixum impoſueris, ac manu Magnetis fragmentum teneas, lacus unum Magnetis acum repellet, alterum attrahet. Hæc Bodinus.* Tractionem quod ſpectat, Magnetem trahere de Æthiopico pronunciavit *Plinius lib.* 36. *cap.* 16. experientia com-

comprobavit. *Libavius. Ipſe*, inquit, *cum hoc experirer, omnem ſcobem deterſi à magnete, poſtea abraſi ab eo pulverem ex propria ſubſtantia. Hunc inſtratum papyro vel lignea tabula, ſubtus, adhibitus ille ipſe quo abraſus pulvis fuerat, Magnes movit & traxit.* Trahit autem Magnetem certa linea Magnes, quia ei ſpiritus cognatus ineſt, & Natura appetit ferturque ad ſimile quantum poteſt. Ferrum non minus certum trahere. *Cedit ferri duritia & patitur mores, domitrixque illa omnium materia, ad inane neſcio quid currit, atque ut propius venit aſſiſtit, teneturque & complexu hæret. Plin. lib. 36. c. 26.* Inventa virtus, clavis crepidarum & baculi cuſpide hærentibus, cum armenta paſceret inventor. Cæterum neque illud omni ex parte trahit excellenter? amuſſis recta videtur linea. Itaque qua virtus non porrigitur, convertuntur apices, & dum alter ſeſe inclinat ad ferrum, accidit alterum averti & ferrum quaſi reſpuere. Par ratio in diverſis Magnetibus. In Sardiniæ Mediterraneis ad radices montium, qua parte Orientem vergunt, narrant Magnetem eſſe, qui trahat ferrum: in oppoſita qui abigat. Theamedes inde dictus. *Plin. l. 2.* Montes quorſum adimus; in unaquaque id videre licebit, ſi *Libavio* credimus, officina. *Syntagm. Artis Chym. Tract. 1. l. 1. cap. 19.* Oppoſitis partibus in uno eodemque lapide contrariæ; habetque ſympathiæ, & antipathiæ exemplum in ſeipſo, ſicut viperæ, ſcorpiones, aliaque venenata, in ſeipſis & amicos ſuos & hoſtes habent. Tractionis aliquot apponam exempla. Severus Milevitanus vidit, cum Bathanarius quondam Comes Africæ argentum inter lapidem & ferrum ſubter poſuiſſet, ita ferrum deſuper motum fuiſſe, atque argento medio nihilque patiente concitatiſſimo recurſu, infra lapidem ab homine ſupra ferrum à lapide raptum fuiſſe. *Auguſt. de Civit. Dei, lib. 21.* In Alexandria Ægypti laquearibus templi Serapis magnus infixus, ſtatuam mediam in cujus capite ferrum erat incluſum ſic tenebat, ut media nec ſolum, nec culmen attingeret. *Euſeb. in Hiſtor. Eccleſ. Speculum rotundum vidi*, inquit, *Agricola, latum palmos tres, altum duos,*

duos, in cujus concava parte ſuperne concluſus erat Magnes. Agricola de ſubterran. Is globum ferreum ad imum ſpeculi collocatum, ad ſe traxit, ut ne denſum quidem ſpeculi corpus frangere & impedire potuerit ejus vires: globulus ferreus qui decidere ſolet, in ſublime ferebatur. Sed accedamus ad cauſam, & unde hæc in Magnete vis inquiramus. Varii variè, & quot capita, tot ferè ſenſus. *Libavius l. 1. de bitum. cap. 12.* Bituminoſam in magnete naturam ſtatuit, ad ſingularitatem tum ferro redactam, ſimilitudine conſpirationis miſturæque quâ eadem principia in ferro coaluerunt. *Eſt*, addit, *ferreus ſpiritus bituminoſuſque communis utrique, ſed non effluit continenter, tamque valide è ferro, ſicut è magnete, propter diverſam coagulationem ſeu commiſtionem.* Alii occultæ iſtud tribuunt formæ: alii mutuum rerum naturalium adferunt conſenſum. *Sunt in Macrocoſmo*, inquit *Langius l. 2. Epiſt. 55. ſub concavo orbis Lunæ pleraque quæ tacito virium conſenſu divinitus conſpirant.* Certè magnes ferri quædam vena eſt, & ex eo ferrum generati (*Sennert. l. 5. Epitom. cap. 4.*) poteſt. Epicurus atomos qui à lapide & ferro defluunt, figuris inter ſe convenire dicit, ut ſeſe facilè amplectantur, hos in utraque lapidis & ferri concreta impingere, mox reſilire, obiter inter ſe connecti, ac ferrum unâ trahere. *Galen. l. 1. de natur. facult.* Cæterum amittit vim trahendi magnes, igne ſi agitaveris. Flagrans enim ſulphureus provolat ſpiritus, ut *Libav. l. 2. ſing.* putat. *Vidimus*, ait, *Porta Mag. natur. l. 7. c. 7. non ſine magna animi noſtri voluptate, Magnetem accenſis carbonibus tumulatum, cæruleam flammam ſulphuream & ferream eructare, qua diſſipata ſimul cum abeuntis animæ qualitate, trahendi beneficium amiſiſſe.* Cedit & aëris injuriis & ipſa animam educit vetuſtas. Prohibetur exitus unguinibus alliis, & porri tenacibus ſuccis, addunt & oleum lateritium. *Lem. l. 4. cap. 10. de occultis:* ſed confeſſum negat *Cardanus l. 7. de ſubtil.* Nec ferrum rubiginoſum apprehendit, multo minus rubiginem. *Scalig. Ex. 112.* Alias ſi ſcobs ferri pulvere defoſſa fuerit, aut ferrum ex altera parte tabulæ, nihil ut di-

ctum, impeditur ſpiritus. Maxime id mirum eſt, quod à nonnullis proditur, amicos nempe beneficio magnetis arcanas, in maxima etiam diſtantiâ, ſecum communicare poſſe cogitationes. Arcanum hoc Famianus de Strada, Lucretii ſtylo & vena deſcripſit. hunc vide.

CAPUT XVI.

DE SCHISTO, GALACTITE, GYPSO, SELENITE, AMIANTO.

S*chyſtos* quo magis ferri inſtar ſplendet, eo durior eſt. In Miſſena nodi quidam naſcuntur magnitudine nucis juglandis, adeo duri, ut incudi impoſiti reſpuant ictus. Miſſenum quatuordecim libras pendentem vidit *Agricola.* *Galactites* in Hildesheimio è foſſa arenaria eruitur, ſingulis annis ex lacteo & glutinoſo ſucco capit incrementum. Vnde nonnulli capitis magnitudine ſolent inveniri. Nutricibus quæ eum tritum cum aqua vel vino dulci biberint, fœcunditatem lactis facere dicitur. *Gypſum* omne habet duritiem: in Saxonia in tractu Hildesheimio ſaccato reperitur ſimile. Durum incolæ Hercinii & Thuringii urunt, uſtum molunt, & aquis madefacto calcis vice utuntur. Vſtum cujuſcunque coloris fuerit, candidum efficitur. Hominis imaginem è gypſo facie ipſa omnium primam expreſſit, ceraque in eam formam gypſi infuſa emendare inſtituit Lyſiſtratus Sycionius frater Lyſippi. Ex gypſo, quod conſtat ex cruſtis cinerei coloris murus Northuſiæ in Thuringia eſt exſtructus, & portus Algeri Mauritaniæ Cæſarienſis oppidi. *Selenites* eſt lapis qui plena nocte ad incrementum Lunæ ſolet inveniri, imo imaginem Lunæ, quia pellucet noctu, concipit, in dies ſingulos, creſcentis minuentiſque reddit. Non tantum vero perſpici poteſt, ſed & rei quæ à tergo eſt imaginem reddit. Fert calores Solis & hyemis frigora; ſed imbrium adeo impatiens eſt, ut ſi vel magnæ ejus moles ipſis fuerint expoſitæ corrumpantur. *Amianthus* fit ex proprio ſucco. Ignis adeo non inquinat ejus ſplendorem, ut nitidus, conjectus extrahatur. Semel accenſus non extinguitur,

guitur, oleum niſi defecerit: hinc Asbeſti nomen; & quia plenis mulierum crinibus ſimilis eſt, canitieque hominis, Boſtrychitis & Corſoidis impoſita vocabula. *Ardentes*, inquit *Plinius*, *in foris conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis quam poſſent aquis.* Eo oblita non accendi obſidione Athenarum ſub L. Sylla compertum eſt. Hic lapis pectitur, netur, texitur. tamerſi, quia brevis, difficulter. Conficiunturque ex eo non ſolum mappæ, ſed etiam mantilia. Ex eo etiam quondam funebres Regum tunicæ, quibus induti in rogos ardentes imponebantur; ut corporum cinis à lignorum cinere ſecretus, in ſepulchro condi poſſet. *Plinius* ſcribit, inventum hoc linum pretia excellentium margaritarum æquare: hodie tamen vili venditur pretio.

CAPUT XVII.

DE LAPIDIBUS VARIAS FORMAS REPRÆSENTANTIBUS.

Lapides varias repræſentantes formas multi ſunt: hic quoſdam recenſebimus, nimirum, Trochiten, Entrochon, Encrinon, Enorchin, & alios. *Trochites* tympani eſt figura. Ejus pars rotunda lævis eſt, utraque verò lata, habet quendam quaſi modulum à quo undique radii ad extimam orbis partem. In acetum poſitus bullas agit, & reperitur qui ſe de loco moveat. *Entrochos* ex trochitis nondum ſeparatis conſtat: cujus trochitæ radios habent eminentes, in eo, qua parte duo committuntur, ſemper ineſſe cingulum retortum videtur. Trochitæ verò ſic conjunguntur, ut unius radii ingrediantur in alterius ſtrias. *Encrinos* effigiem liliorum exhibet. Cum enim angulata pars una ſeparatur ab alia, quinta utraque oſtendit lilia. *Enorchis* fragmentis teſtium ſimilis eſt: In diœceſi Trevirenſi, cum cæmenta pro reparandis ſtructuris eruuntur nigricantes obveniunt lapilli muliebre referentes pudendum. *Diphyis* genitale utriuſque ſexus diſtinguente oſtendit linea. *Idæi Dactyli* in Creta ferreo colore humanum exprimunt pollicem. Invenitur & lapis novæ

Lunæ ſpeciem habens, aurei coloris armatura veſtitus. *Hapheſtites* ſpeculi repræſentat naturam, & in Sole ſiccam accendit materiam. Salfeldæ in Thuringia ex puteo viginti duas orgias alto, effoſſus eſt lapis ſolidi ſpeciem præferens pectoris, longus ſeſquipedem, tres latus palmas, anteriori parte ubi coſtæ terminabantur ſex craſſus digitos, poſteriori parte ubi vertebræ mediæ perforatæ tres. Spina vacua erat ab eo, quod medullam exprimeret. Extrinſecus autem lapidi color inſidebat, aut niger, aut rarus: intus lapidi Arabico ſimilis. Singularem procreaſſe naturam, credendum eſt. *Belemnites* figura eſt ſagittæ, ex ampla radice, in tenuiſſimam deficientis aciem. Ineſt illi quædam quaſi rima. Aurea armatura extrinſecus ejus inveſtit radios, & ita ſine arte nitet, ut ſpeculi reddat imaginem. Cornu bovis limatum aut uſtum, ex eo ſi confricetur, olet. Saxones eum vocabulo ex Ephialte & ſagitta compoſito nominant, potumque contra ejuſmodi ſuppreſſiones & noctis ludibria valere dicunt. Sectum marmoris ad incruſtandum parietem fruſtum, effigiem barbati ſenis, palmaceâ amicti ſtoreâ edidit. omnes teſte *Scaligero* ad Paulum eremitam referebant. Alterum Iohannem Baptiſtam tergore Cameli amictum repræſentabat: ſi *Merula l.* 4. *c.* 50. *Memorabil.* credimus. Viſus & Franciſcanus in quodam caput diademate ornatus. Habebat & Cæſanatus Medicus Fiſſontinus lapidem, qui ſerram, gladium, Delphinum & Cygnum ita repræſentabat, ut non ſuperficie modò hærerent, ſed totum penetrarent lapidem. Pyrites Romanum Pontificem triplici corona inſignem & barbatum oſtendit. *Agrico. l.* 10. *foſſi.* Quin Cornua Ammonis quæ forma Arietinorum effodiuntur, in fonte mirabili circa Mederam pagum torrente delata, piſces, teſte *Bauhino*, referunt. Tempore denique Ioannis Friderici Electoris Saxoniæ, lapis effoſſus, qui Chriſtum crucifixum, Ioannem & Mariam adſtantes repræſentabat. *Coler. de piſcib. cap.* 8.

C A-

CAPUT XVIII.

DE ÆTITE, ENHYDRO, COTICULA ET PUMICE.

Æ*Tites* lapis in diverſis invenitur regionibus. In Miſenorum regione tum maximè, cum torrentes ex aſſiduis imbribus, terram eluunt. Olet hic Violam ob muſcum adhærentem. Habet in ſe lapillos ſive calculos qui ſoluti conquaſſati ſonant, Miſeno plerumque adhærent; quidam & terram habent, ut Hildesheimenſes; ſed & aurum, ut Cyprii. Qui lapillum in alvo continet, is ut Græci perhibent, ſiniſtro gravidæ mulieris alligatus brachio, per quod à corde verſus digitum annularem minimo proximum arteria decurrit, fœtum ne lubricæ excidat matrici continet; ſiniſtro parturientis femori, ita eam adjuvat, ut ſine doloribus pariat, ſed amoveri à partu debet ne uterus ſequatur. Factum id in cujuſdam civis Valentini uxore. *Franciſc. Valeriola l.* 1. *Obſer.* 10. Huic in partu alligatus, adminiculum fuit; non abſtractus, mors. *Enhydros* aquam in ſe continet. Abſolutæ eſt rotunditatis, in candore lævis, ſed & ad motum fluctuat. Intus in eo veluti in ovis liquor eſt. Quin & liquidum bitumen ſuavi interdum odore, in ſaxis tanquam in vaſis concluſum reperitur. Adde Neapoli adamantem abſoluta naturæ manu confectum in marmore invêntum eſſe: ad Boëtim Hiſpaniæ lapides naſci puriſſimi auri particulis gravidos. Bufonem vivum in medio ſine ullo ingreſſu columbas invenit, ſub Martino. V. Pontifice ſerpens repertus eſt, *Piccartus Orat. de Luſib. naturæ. Coticula* lapis eſt quo probatur aurum. Omnes tempore Theophraſti in Tmolo inveniebantur: in rivis Hildesheimiis hodie & Goſelarianis. Inventarum partes quæ reſpiciunt Solem meliores ad experimentum; deteriores, quæ terram. Illæ quippe ſicciores: at ne auri argentique recipiant colorem humor impedit. *Pumex* in iis quæ arſerunt invenitur locis, ex terra excoctus vel lapide. Fiſtulas quia habet in quibus aër levis eſt & innatat, & quia humore caret, non comburitur. Qui

curant

curant vina, in ferventis muſti immittunt dolium, ſtatimque fervor ceſſat. Potores in certamine bibendi ejus ſeſe farina muniunt, ſed niſi immenſo impleantur potu, periclitari Theophraſtus teſtis. Coronidis loco in hoc capite ſint lapides in mari Scotico reperti, qui cum ſint duriſſimi herbas tamen emittunt. Vnum adſervavit in umbra Cardanus, qui per ſe ater, radiculas candicantes lapideas, & folia exigua virentia emiſit pulcherrimo ſpectaculo.

CAPUT XIX.

DE LAPIDE VITRARIO ET SPECULARIO.

LApidum in ardente fornace fluentium tria ſunt genera. Vnum gemmis tranſlucidis ſimile: hinc & colorem illarum imitatur. Sola mollitudine diſcedit. Hujus generis eſt *Alabandicus*, qui liquatur igne, & ad vitri funditur uſum. Secundum genus eſt illi non multum ſimile. Colores tot non habet. Tertium genus eſt lapidis vitrarii. Hic & proprias habet venas. Annæbergi in metallo argentario, crucis repertus figura. Fribergi verò, qui ſimiæ effingebat lineamenta: Extra terram etiam ejus inveniuntur fragmenta: ſed curſu aquarum aut ſui aut alterius generis poliuntur attritu. Candidus lapis utitur, cribro ſecernitur, ex eo arenæ, ex his conflantur vitra. Id genus arenas vitri fertiles, Belus amnis, in radice Carmeli montis ortus in Phœnice, inter Ptolemaidem coloniam & Tyrum urbem, ad littus defert marinum, quæ fluctibus volutatæ, detritis niteſcunt ſordibus. *Plinius l. 36. c. 26. Fama eſt appulſa nave mercatorum nitri, cum ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri è nave ſubdidiſſe: quibus accenſis permiſta arena littoris, tranſlucentes nobilis liquoris fluxiſſe rivos, & hanc fuiſſe vitri originem.* Cæterum non ex hac ſola arena vitrum confici putandum eſt. tribus ejus portionibus una additur nitri; ex quibus ſimul liquatis Ammonitrum oritur. Si deeſt nitrum, foſſilis adimplet ſal defectum; ſi hic,

aut

aut matinus, aut cineres herbæ anthyllidis combuſtæ. Cum autem igne vitri liqueſcit materia, ſpumas agit; hæ verriculo detrahuntur: mox concretæ in panes coguntur candidos, quibus ſapor miſtus, ſalſus magis quam amarus. *Ferunt Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum ut fluxile eſſet: & totam officinam artificis ejus abolitam, ne aris, argenti, auri metallu precia detraherentur, eaque fama crebrior diu, quam certior fuit.* Noſtro tempore Venetias potiſſimum, vitrum nobilitat. Vidimus, qui ex eo ad lampadis ſplendorem varia formarunt opera. Neronis principatu reperta vitri arte, quæ modicos calices duos, Pterotos (id eſt Pinnatos duabus anſis appoſitis) appellabant H·S ſex millibus venderet. *Speculares lapides* huc refero, quæ materia erant lucida, ut *Baſilius* ſcribit, aëris inſtar tranſparens. Feneſtris veteres imponebant, ut nos vitrum. Nero Templum Fortunæ ex ſpecularibus conſtruxit, in quo qui erat, extrinſecus clauſis etiam portis conſpiciebatur, incluſa lux non tranſmiſſa apparebat. *Tancirolla l. 1. de Veter. Deperd.* Inter mirabilia Cubæ & *ſilices* dicuntur variæ quidem molis, ſed omnes rotunditatis tantæ ut globorum uſum ſupplere poſſint, juxta fluvium Caute tanta copia reperiri tradunt, ut ibi lapides pluiſſe videatur. *de Laet. l. Amer. cap. 11.*

CAPUT XX.

DE CRYSTALLO, IRIDE ET ADAMANTE.

DE ortu Cryſtalli diſſentiunt ſcriptores. Vehementiora gelu fieri ex nive vel glacie author eſt *Plinius l. 37. cap. 2.* Succum intra terram à frigore condenſatum ſtatuit. *Agricola l. 6. foſſil.* Prior videtur amplectenda. Non tantum id nomen poſtulat, ſed & loci natales. Invenitur enim in iis ubi hybernæ nives ſunt, in Alpium adeo inviis, ut pleretumque fune pendentes eum attrahant. In Aſia & Cypro aratro eruitur & à torrentibus deportatur. *Scal. Exerc. 119.* E rupibus Percinianis, quæ ſunt in extremis Noricis, & ſummis ibidem

dem montibus nulla humo tectis avellitur. Ineſt illi interdum argentum rude, plumbaginis colore. Varium eidem pondus. In India tam ampla eſt inventa, ut ex ea vas fieret, quatuor capiens ſextarios. Livia Auguſta unam in Capitolio dicavit, ex hac librarum quinquaginta amphora. Raro inveniuntur ſolitariæ, una plures ſæpius radice nituntur; junctim modo aſſurgentes, ſeparatim modo: jacent nonnunquam affixæ, ut avellere arduum videatur opus. Omnis verò Cryſtalli mucro, ac univerſum corpus eſt ſexagulus. A Solis liquari nequit calore, ſumma enim frigoris intenſio, tantam ei ſoliditatem attulit, ut vinci modico nequeat. Impatiens tamen fervoris *Bodin. l. 2. Theat. Naturæ.* Ardentiſſimis enim fornacibus, diuturnaque flamma liquatur, liquata rurſum concreſcit; & in calicem cryſtallinum, liquor ſi infundatur calidus, rumpitur. Vertiginis putarur hoſtis appenſa, & ex ejus poculo, illius bibitur gratia. *Plater. l. 1. de l. f.* Fiunt ex ea calices & trullæ, qualem à matrefamilias, non divite H-S. C. L. M. mercatam ſcribit *Plinius*. Habuit unam Pancirolla ſplendida materia, adeò tranſlucentem, ut aër fere videretur, extremis ſolum viſui expoſitis partibus. Continebat Chelidium, qui ore aperto deglutiturus agnellum, ab oppoſita impediebatur cruce. *Panciroll. de Veterib. Deperd. l. 1. Iris*, candida etiam gemma eſt. Si habet ſexangulam formam, expoſita Solis per feneſtram penetrantibus radiis, arcus cœleſtis in adverſam parietem jacit colores. *Adamas* in multis invenitur metallis. Nucleum avellanæ non excedit Indicus, milii magnitudinem Cenchros: *Agricol. l. 6. de foſſil.* Multa de eo Veteres. Nullis nempe ictibus frangi poſſe, Magneti vim adimere, igni ita reſiſtere, ut nunquam incaleſcat. Contrarium experti Neoterici. *Camer. Memorab. Medic. cap. 8. m. 42.* Nam & in ſcobem malleo redigitur, & ferreo atteritur piſtillo, Ignibus cedit, & in calcem flamma diuturna redigitur. Attamen, quamvis igni appoſitus horæ ſpacio ſuum amittat ſplendorem, eundem recuperat politus, minuto ſplendore. Expertum, in mutuo attritu ſic glutinari, ut facile ſeparari non poſſit. *Bodin. Theatri Naturæ, l. 2.*

l. 2. Viſus ubi incaluiſſet trahere feſtucas: *Garzias ab Horto*, *l.* 1. *Arom. cap.* 47. Pulverem illius propinatum dyſenteriam gignere hactenus creditum, falſum compertum. Devoraverunt quoſdam mancipia ut furtum tegerent, integros illæſa egeſſerunt valetudine. Drachmæ unius pondere ſub forma ſcobis propinatus non magis quam panis obfuiſſe dicitur. *Cardan. l.* 2. *tract.* 5. *Contrad.* 9. Turcarum Imperator 50000. aureorum pro uno dedit.

CAPUT XXI.
DE OPALO, SMARAGDO, HELIOTROPIO ET TOPAZIO.

O*Palus* gemma eſt, quæ cum inclinatur, eſt illi carbunculi tenuior ignis, eſt amethyſti fulgens purpura, eſt Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. *Smaragdus* vicinum aërem proprio ita inficit tinctu, ut nec lucernis, nec umbris cedat. Hinc in aquam poſitus major apparet ſpectantibus. Qui non omnino virides ex illis naſcuntur, vino & oleo meliores fiunt. Tantæ perrarò magnitudinis, ſigillorum ut recipiant ſculpturas. Haud exiguus tamen in Cœnobio agri Lugdunenſis; & qui Pragæ in Sacello Divi Venceſlai viſebatur, dodrante hoc major eſt. *Bodin. l.* 2. *Theatri.* Longior Magdeburgi quem pars turritæ capſulæ, in qua Euchariſtia geſtatur, continet. Othonis primi capulum cultelli fuiſſe dicunt. Inventa aliquando in Cypro gemma eſt, cujus pars Smaragdus dimidia, dimidia Iaſpis. Vis Smaragdo mira eſt. Venenorum & venenatorum hoſtis eſt morſuum: imò ſi ab iis vincatur, rumpitur. Coxæ mulieris alligatus partum promovere; ventri impoſitus, retinere dicitur. *Senner. l.* 5. *Epitom. ſcient. Natur. cap.* 5. Annulo inclusus, aut à collo ſuſpenſus, ſi nudam contingat carnem, ab apoplexia præſervat. *Plater. l.* 1. *def.* Cognitum mortui Domini digitis quibus fuit geſtatus, obſilire. Rei venereæ quoque eſt impatiens, nam ſi dum commiſcentur corpora, contingat cutim, rumpitur. Non dubitavit *Albertus* aſſerere Regi Hungariæ benevolentiam

volentiam conjugalem exhibenti, in tres divulſum fuiſſe partes. *Heliotropium* ſanguineis gemma diſtincta eſt venis. Dejecta in vas aquæ, fulgorem Solis accendentem percuſſu mutat ſanguineo. Extra aquam ſpeculi modo ſolem accipit, deprehenditque defectus, ſubeuntem Lunam oſtendens. *Topazius* non tranſlucet modò, ſed etiam mirificè lucet exitque in colorem auro ſimilem fulgor. Magnitudine cæteras vincit gemmas. Inde enim Arſinoæ Ptolemæi Philadelphi uxori, facta ſtatua quatuor cubitorum, & in delubro, aureum quod nominatur ſacrata.

CAPUT XXII.

DE AMETHYSTO, HYACINTHO, SARDONYCHE ET ONYCHITE.

A*Methyſtus* ſic dicitur, quod uſque ad vini accedens colorem priuſquam eum deguſtet in violam deſinat. *Plinius l. 21. cap. 8.* Vmbilico admotus, vini vaporem primo ad ſe trahit, poſt diſcutit: proinde ferentem vindicat à crapula. *Ariſtotel. Hyacinthus* ſereno cœlo ſuperbire dicitur impenſius, nubilo obſcurior. Pertinaci frigiditate denſat corpora atque reficit, & geſtantem à ſæviente peſte adſerit. *Sardonix* ex Sardio & Onyche compoſita gemma; Vnguis humani carnibus impoſiti ſpeciem gerit inverſa. Generoſiores radices à quadam nigricante baſi, Onychas primum repræſentant; hinc ſubrubente præcinguntur Zona, à qua in gyri modum alba ambiuntur linea; tum ampliore intercapedine in ampliorem meant circulum: poſtremo omnibus iis Zonis, altera quædam ſubſternitur baſis. Magnæ apud Græcos hæc gemma authoritatis. Polycrates Samiorum Tyrannus tanti æſtimavit, ut, cum faventi perpetuo fortunæ, iratam ſubjungere vellet; annulum, in quo ille, in mare abjecerit. *Onychites* Coloniæ, in Templo trium Regum palmo eſt latior. *Agricola.* Ejus venæ lacteæ ita diſcurrunt, ut duorum juvenum exprimant capita: nigræ, ut & ſerpentem, qui ex fronte ſuperioris capitis, in inferio-

ferioris deſcendat frontem, & caput Æthiopis, cui barba nigra. Id vero ſuper mandibulam candidi locatum eſt capitis. Duo Onyches ſub menſa conficati, adeò inardeſcunt, manus ut ferre nequeant.

CAPUT XXIII.
DE JASPIDE, NEPHRITICO, ET ACHATE.

Jaſpis femori alligatus uteri & ſanguinis fluxum, nullo qui ſiſtitur remedio, ſiſtit; hæmorragiam autem narium à collo ſuſpenſus. *Sennert. l. 5. Epitom. ſcient. Natural.* Super os ſtomachi adſtrictus, per diem ad noctem ab Epilepticis portatus, ſi ſubſequatur ſudor à paroxyſmo liberat; ſin minus concidit æger. *Baccius de gemmis. Plinius* teſtatur undecim unciarum à ſe viſum, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. *Plinius l. 37. cap. 9.* Reperitur in Silice cœrulei coloris, qui ad pedes novem durare ſolet, & inde viciſſim ſaxum ſequitur, arenarium, fuſcum, longum circiter duodecim pedes, jaſpidis expers. *Agricola l. 6. de foſſil.* Ex *Thatelis Iudæi* auctoritate, quædam peregrinæ ejus ſpecies inventæ ſunt. Homo in quodam conſpectus, huic ſcutum in collo, cuſpis in manu, ſerpens ſub pedibus: ei contra omnes inimicos virtus. Homo cum faſciculo in collo in altero; cujus virtus omnes diſcernendi morbos ac ſanguinem reſtringendi. *Lemnius de gemmis Biblicis.* Galenum in digito geſtaſſe fama eſt. Invenitur & cruce ſignatus viridis, ne quis ſubmergatur efficax. Ad Iaſpidem *Nephriticus* refertur; cui natale Hiſpania nova ſolum. *Sennert. l. 7. Inſt. l. 5. p. 1. ſect. 1. cap. 17.* Pinguis ei ſuperficies ſemper, & oleo videtur illita. Variis formis effigiatum geſtant Hiſpani. Stupendas ejus vires multa comprobant. *Vnzer. de Nephritide l. 1. c. 27.* Calculos collo appenſus ita comminuit, ut per utrumque etiam oculum & totum habitum corporis quærant ſibi exitum. Teſtis Lipſenſis quidam Mercator, cui accidêre talia, ita ut, ob ſalſedinem & acrimoniam ſabuli, uterque rubuerit oculus. Deſtillatio-

lationes à capite ad thoracem deſcendentes abſumere, ejuſdem dicet uxor. Cum enim per trium ſeptimanarum geſtaſſet ſpatium, liberata eſt; à Medicis non poterat. Vrinam ſuppreſſam provocare, ibidem habetur. Singulare verò hoc, quod aliquandiu geſtatus, ingentem excitet pruritum; Ceſſat tamen bidui aut tridui ſpatio, redit applicatus. Subcutaneos etiam parit cuniculos, qui ſi rumpantur, haud exiguam produnt arenularum copiam. Reparatur ſingulari ac ſecreto artificio, & præparati drachma una & ſemis, pro doſi, cum aqua petroſelini & juniperi exhibetur. At nocet ſaburra ſi ventriculum onuſtum invenerit. Ambigit *Libav. 1. Synt. art. Chymic. l. 1. cap. 14.* Vi propria an aliena ea faciat. *Evenit interdum* (verba ejus) *naturam ſtimulatam vel ſola perſuaſione firmaque fiducia de aliqua re concepta id peragere, quod nos objecto, primum motum danti phantaſia, adſcribimus. Sed nec in omnibus par eſt efficacia, uti nec par aſſenſus fideſque, niſi velis dicere, non tantum patientem debere eſſe calculoſum, ſed & talem diſpoſitionem habere, ut lapidis vim admittere queat.* Et certè lapidem Nephriticum in multis inefficacem geſtatu deprehenſum eſt. *Achates* ex Siciliæ fluvio ejuſdem nominis nomen invenit. In illo ita diſcurrunt venæ & maculæ, ut modo palumbum exprimat, modo cornu, modo arbuſculam unam, duas, pluresve ut nemus appareat. Vidit Camillus Piſaurienſis quendam, in quo in planicie quaſi ſeptem arbores. In Pyrrhi Regis Achate novem Muſæ à natura erant cum Apolline, & Muſis ſua inſignia. Illa quæ unius coloris eſt, in olla plena olei cocta cum pigmentis, & intra duas horas ſubfervefacta, unum colorem ex omnibus facit minii. *Dalechamp in Plin. 37. Agricola l. 6. foſſil. Plinius lib. 37. cap. 1.* Concludat hoc caput Alexandri Magni gemma, quæ poſita in lance, omnia alterius lancis pondera ſuo vincebat: unde triumphantem dixere: vincebatur, ſi quantum primoribus digitis capi poteſt cineris, adjiceretur. *Piccart. in orat. de luſib. natura.*

CAP.

CAPUT XXIV.

DE RUBINO, CARCHEDONIO, SANDASTRO, CHRYSOLITO, ET ALIIS NONNULLIS.

RVbinus eſt coloris egregiè rubentis. Tanta interdum ejus magnitudo, ut ex eo vaſa ſextarium fere capientia fiant. *Carchedonius* ſic dictus quod apud Garamantas & Naſamonas in Syrtibus inventus Carthaginem deferebatur; alias Granatus. Illis ſignantibus, quamvis in opaco ceras liqueſcere Archelaus autor eſt. Non comburitur etiam igne. *Sandaſtro* rufus in aureo color, intus fulgent aureæ guttæ, velut in tranſlucido ſtellantes, quæ quo plures fuerint, eo precioſior eſt gemma. Quoniam autem ferè ſtellarum hyadum & numero & diſpoſitione ſtellatur, ob id Chaldæis in ceremoniis habita. *Chryſolitus* ſtellatum differt pluralitate. *Bochus* ſcripſit Hiſpanicum duodecim à ſe viſum pondo. Viſus à Ruæo, qui fœminam una manu avem, altera piſcem tenentem repræſentabat. Vidit ex metallis Germaniæ erutam *Agricola* glebam, quæ ex Chryſolitis amplius ſexaginta conſtabat, quadratæ figuræ omnibus. Maxima lata erat unciam unam, longa digitos duos; poliri propter molliciem non poterant. *Aſyctos* ſeptenis diebus calorem tenet excalefacta igni, nigra ac ponderoſa diſtinguentibus eam venis rubentibus. *Calcophones* nigra eſt, ſed illiſa, æris tinnitum reddit, Tragœdis, ut ſuadent, guſtanda. *Catochites* Corſicæ lapis eſt, mirabilis, ſi vera traduntur, impoſitam manum veluti gummi retinens. Gaſidanem Medi mittunt, naſcitur in Arbelis. Concipere dicitur, & intra ſe partum fateri concuſſa; concipere autem trimeſtri ſpacio. De *Torcoide* ſtupenda Ruæus refert; ego ipſius verbis exponam. Habuit, inquit, amicum cui vivo Torcois erat, quæ cum numeroſis ſui generis myriadibus de pulchritudine pariter & puritate certare poterat. Ille morbo oppreſſus, fatiſque naturæ lege concedens, annulum cui Torcois inſerta erat,

rat, ſortè ſecum habebat. Quo mortuo gemma non aliter quam animal rationale; aut ſenſu prædicum heri ſui mortem agnoſcens & lugens, obſcura apparebat, rimamque per medium ducebat. Rebus poſtea mortui diſtractis, cum ob priſtinam gloriam amiſſam præſtinare ipſam nollem, alius quiſpiam ipſam emit, & quidem vili precio: quid fit? Gemma cum novo Domino ſinceritatem ſuam reſumſit. Nam & coiit ſtatim rima & priſtinus nitor rediit. Lapidi denique *Alequeca* in India Orientali eam vim ineſſe ſcribit *Garſias ab Horto l.* 1. *c.* 53. ut vel de corpore ſuſpenſus, ſanguinem ex quacunque parte effluentem, ſiſtat.

CAPUT XXV.
DE GEMMIS IN CORPORIBUS ANIMALIUM REPERTIS.

ARTICULUS I.

De Draconite, Chelonia, Alectorio & Rubetarum lapidibus.

PLures ſunt quæ in animalium reperiuntur corporibus gemmæ, quaſdam tantum apponam: Omnes enim recenſere, Synoptici laboris non eſt. *Draconites*, ſive Dracontia è cerebro fit Draconum; ſed niſi viventibus abſciſſo, nunquam gemmeſcit, invidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus amputant. Sotacus qui viſam eam gemmam ſibi apud regem ſcripſit, bigis vehi quærentes tradit, & viſo Dracone ſpargere ſomnifica medicamenta; atque ita præcidere. *Plinius l.* 37. *cap.* 10. Eſſe autem candore tranſlucido, nec poſtea poliri, aut artem admittere. *Cinediæ* inveniuntur in cerebro piſcis ejuſdem nominis, candidæ & oblongæ, eventuque mirandæ, ſi modò eſt fides; præſagire eas habitum maris nubilo colôre aut tranquillitate. *Chelonia* oculus eſt Indicæ teſtudinis, portentoſiſſimæ Magorum mendaciis. Melle enim colluto impoſitam linguæ, futurorum divinationem præſtare promittunt: quintadecima Luna & ſilente, tota die: decreſcente verò ante Solis ortum; cæteris diebus

bus à prima in ſextam horam. Cæterum de Draconis gemma ſcribit & *Philoſtratus*, illique id adſcribere videtur, quod Gygis præſtitiſſe annulus dicitur. *Rhodig. cap.* 11. *lib.* 6. *Antiq. Lectionum*. *Alectorius* ex criſtati galli exſcinditur ventriculo, tenui membrana, aut pellicula incluſus, quarto à quo in ſpadonem & Eunuchum deſcivit anno. *Lemn. de Occult.* Forſan ex ſeminis vi caloris innati concrevit excremento, ſicut lac in mammillis lapideſcit. Conciliat viris favorem, & in geniali robuſtos facit rhoro. *Rubetæ* proferunt lapidem, ipſarum in illo nonnunquam imago. Non niſi autem annoſis concreſcere ſolet. *Libav. lib.* 3. *ſingul.* Aſſervatur in familia Lemniana, magnitudine nucem avellanam ſuperans. *Lemnius de Occult. l.* 2. *cap.* 30. Tumores à beſtiis venenatis illatas, crebro diſcutere attritu, compertum eſt. De lapide *Bufonio* dicto *Gretteriano*, pondere librarum medicinalium quinque & unciarum trium, minus didrachma, annales ſcribunt Suevici. *Cruſius Annal. Suevic. lib.* 12. *p.* 3. *cap.* 37. Res ſe ſic habet. *Anno poſt latam Domini noſtri Ieſu Chriſti ex virgine matre Dei Maria nativitatem* 1473. *poſt Divi Iohannis viceſimoſeptimo Iunii, Berchtholdus Gratterus tunc temporis Hopſtachii habitans, poſtmeridianis horis, in ſylvam ibat, quam vallem vocant Dipachianam, ad cædendas perticas pro circulis vinculiſque doliorum. Eo in loco audiebat ſibilum ſtrepitumque magnum juxta rivum in ea valle, cumque procul quid rei eſſet, contemplaretur, incredibilem variorum ſerpentum, viperarum & rubetarum inuſitatæ magnitudinis conſpicit cumulum, una caterva varie implicitorum. Quantum ipſe conjectura poterat conſequi: Cupa lotoria majoris amplitudinem implere poterat multitudo. Ipſe vero perterrefactus non audebat propius figere pedem: locum tamen notabat ramo deciſo defixoque in confinibus. Eo die bis reverſus luſtravit collegium iſtud ſerpentinum, deprehenditque tandem pene omnes adhuc una commorantes cumulatim. Quocirca relictis illis domum ſe recipiebat re clam habita uſque ad diem tertium, quo in ſylvam rediens cognoſcebat dilapſam illam lernam, & nihil beſtiarum reſiduum prater*

ter buſonem interemtum, & anguem in humore glutinoſo, albo, craſſoque inſtar ſpermatis ranini ſplendente, & in vicinia ejus lapidem iſtum Bufonium, quem arreptum deterſumque ſecum reportabat domum, & reſervabat ſpe cujuſdam ex eo utilitatis. Poſtquam autem (fere ante centum annos) iſte Gratterus in oppidum migravit, lapis ſalubriter hominibus pecudibuſque admovebatur, uti ſequitur. Servatur Bufonius à majore natu domus Gratterianæ, neque facile accommodato datur, niſi pignore quinquaginta aut centum florenorum, præſertim exteris. Inter plurimas virtutes prædicatur eximiam vim obtinere ad tumores malignos, venenatos, bilioſoſque & Eriſypelatodes, apoſtemata item, & bubones, præſertim pecori faſcinato prodeſt. Solent illum in ſacculo calefacere, & nudum applicare affricareque loco affecto. Conferre ajunt adverſus ſagarum incantamenta, maxime læſis puerperis & infantibus faſcino. Vt primum accommodatur excantatis, multis ſudat guttis. Admovetur etiam peſte laborantibus ad corroborandum. Extrahit idem venenum ex corde & carbunculis anthracibuſque peſtilentiſſimis. Conſumit, diſſipat, emollit duritias, tumores, varices, &c.

ARTICULUS II.

De Chelidonio, lapidibus Aſtacorum, Limaciis & Bezoar.

CHelidonius ac ſi ab hirundinibus deſumatur dictus eſt: formatus tamen ex fulvi coloris Iaſpide. Dextro alligatus brachio contra phantaſticas ex melancholica illuſione cogitationes valet. Lunaticos & inſanos ſanat, inque oculorum peculiarem vim habet affectus. *Plater.* In capite etiam Aſtacorum fluviatilium lapilli reſident acerrimo immerſi aceto, motum habere deprehenduntur. *Quercet. in diat. ſ. 3. cap.* 7. Pulvere illorum ad drachmam ſemi cum vino albo, renum feliciter conteruntur calculi. *Henri. à Bra. de Calc. Lapis Limacius* linguæ ſubditus, miram in cienda ſaliva obtinet facultatem. Vdam efficit linguam, & humorem fluitantem, ſitimque ad calorem reprimit. Alligatus, den-

dentioni confert infantium. *Plin. l.* 30. *cap.* 5. Lapidem coluber aquaticus inſuppoſitam ejicit aquam vomitu, funis ſi caudæ alligatus fuerit. *Holler. l.* 1. *de morb. inter. cap.* 39. Hic tantarum in abſumenda aqua virium, ut ſtatim abſumat eandem. Ventri igitur hydropici appreſſus, aquam in totum conſumit paulatim *Plater. l. de vita.* Lapis *Bezoar* in hirci & capræ potius cujuſdam Indicæ montanæ naſcitur ventriculo. *Sennert. l.* 5. *Epitom. ſcient. Natural. cap.* 4. Corticatum autem quid, inquit, *Sennertus*, & ut ſic dicam camelatum generatur ex parvo initio, quod ſæpe palea eſt, cui humor quidam adhæreſcit & agglutinatur, & hinc ex multis quaſi laminis lapis iſte coagmentatur, major in ſeniore, minor in juniore capra; omneſque laminæ tam internæ quam externæ læves ſunt & ſplendentes. Raſis experimento edoctus contra omnia eum commendat venena. Non modò hauſtus, inquit Mathiolus in *Dioſcor. l.* 5. *cap.* 73. ſed etiam adalligatus, ita ut nudam ſiniſtri lateris carnem contingat, omnia ſuperat. Addit præterea Abdalnatchus: *Lapidem quem vocant Bezohar, jam ipſi vidimus apud filios Almirama cuſtodis legis Dei: pro quo lapide is magnificam, ac prope regiam ædem Cordubæ rependit initio belli.* Lachrymam cervi lapidem eſſe Bezoar placet quibuſdam. Aiunt enim cervos ſenio obrutos in oriente ſerpentes in eſcam ſumere, eſu rejuveneſcere. At veneni ſuperandi cauſa, in flumine mergi, exerto tantum capite; ſic manentibus lentum ab oculis defluere humorem, Solis ardoribus excoctum, in lapidem inibi concreſcere. Glandis ei imago, & delapſus ab oculis ab attendentibus excipitur. At diverſa eſſe tamen exiſtimantur. De lachryma autem cervi, quam ſe in Muſarum theſauris habuiſſe cariſſimam ſcribit, hæc habet *Scaliger Exerc.* 112. *Ante centeſimum annum in cervo nulla eſt. Poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum, ipſis oſſibus, atque in os protuberans concreſcit ea duritia qua cornu ſuperat. Qua parte prominet rotunda eſt inſigni nitore coloris fulvi, non ſine veſtigiis aliarum venularum. Tanta levitate ut pene tactum effugiat: ita enim ſeſe ſubtrahit, ut propemodum ſeipſam movere videatur. Ad-*

 ver-

verſus venena remedium præſtantiſſimum. Peſte correptis datur cum vini momento. Vnde tantus cietur ſudor, ut penè totum ſolvi corpus credas. Hucuſque Scaliger. In meditullio illius quem Rudolfus II. Imperator habuit, intra cruſtulatas membranas herbæ redolentes ſunt inventæ. *Anſel. Boetius l.2. de gemmis c.* 191. Qui accuratè de eo inſtrui cupit, *Bauhini de lapide Bezoar* tractatum inſpiciat.

CAPUT XXVI.
DE AURO.

ACtum de Mineralibus hactenus, ſuccedunt Metalla, primò Aurum. Hoc in propria invenitur vena, & in ſaxis ſplendore candidis, in pyrite item proprio, in ferri aliquoties. Repertæ in Hiſpania decem libras excedentes maſſæ; aratro in Galitia ſciſſum. *Iuſtin. l.* 44. In montibus Gilovienſium pondo duodecim avulſam de ſilice maſſam, ſcribit *Dubravius*. Venceſlao Regi exhibitam addit. A formicis apud Indos (magnitudine hæ Ægypti luporum) egeſtum & conſervatum. In Æthiopiæ maris Inſulis tanta ejus copia, ut Equos talento incolæ permutarent. *Plin. l. 6. cap.* 36. Rerum uni nil igne decedit; imo quo ſæpius arſit profecit ad bonitatem. Limonis tamen ſuccus hoſtis eſt ponderi; *Lemnius Occult. l.* 2. *cap.* 36. Et ſi auro liqueſcenti gallinarum membra miſceantur, conſumunt. *Plin. l.* 29. *cap.* 4. Calorem animalium aliquid in illud poſſe *VVendlerus teſtatur in prognoſtico anni* 1619. Saginata à quodam Gorlicenſi Senatore gallina eſt, & quatuor circiter volumina auri malleando in folia ducti comederat. Mactata pura inventa eſt intus: in pectore tres aureæ lineæ viſæ; artifex obduxiſſe credebatur. In alterius occiſæ ventriculo, nummos aliquot ad medietatem conſumptos inventos, ſcripſit *Schnitzerus Epiſtol.* 50. Huc facit & id quod Zacharias à Puteo habet. *In Clavi Medica Spagirica & Chirurgica. Dum Patavii*, inquit, *ſtudiis operam darem, accidit quod Gallina domeſtica menſam adſcendit, ſuper quam muliebria ornamenta reperiebantur, & inter alia*

alia precioſa quadam margarita (*quæ pendebat annexa cuidam inauri induſtriosè ab artifice conſtructa*, *& quibuſdam aureis cucullis circumcirca obducta*) *quam margaritam una cum inauri gallina deglutivit*, *& deinde quatuor aut quinque horis tranſactis prædicta inauris jactura detecta*, *ancilla quædam id feciſſe gallinam penſitavit*, *quoniam ſuperioribus-diebus eandem gallinam quandam Italis Gazetam dictam*, *deglutiviſſe animadvertit. Itaque gallina illa interfecta*, *ſtatimque ei ventriculo ſemoto ac inciſo*, *una cum margarita inaurem nondum in ventriculi cavitatem trajectam*, *ſed in ejuſdem orificio contentam*, *calidiſſimam*, *tactuique ceræ inſtar cedentem invenimus*, *& ipſius ornamenta penè ab ejuſdem calore conſumpta erant*, *quæ inauris brevi temporis curriculo deinde cum refrigerationem ſuſceperit*, *ac caliditatem contractam dimiſerit*, *dura evaſit*, *ſicuti prius reperiebatur*, *omni ejus forma orbata*, *ac demum cum altera inauri ponderata*, *tertiam partem ejuſdem ponderis penè amiſerat.* Sed ut ad aurum redeamus. Nullum metallum laxius dilatatur aut numeroſius dividitur, utpote cujus unciæ in ſeptingenas & quinquagenas pluresque bracteas, quaternum utrobique digitorum ſpargantur. *Plin. l.* 33. *cap.* 3. In fila tenuari, & ſine bombycina etiam texi, non eſt quod comprobem. Nota moderna luxuria. Agrippinam *Plinii* vidit ætas, edente Claudio navalis prælii ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento auro textili, ſine ulla materia. Quamvis vero igni invictum perſiſtat, chymicè tamen reſolutum tam ſpirituoſum evadit, ut ſi vel ferrea agitetur ſpatula, vel alio incaleſcat modo, mox cum ſonitu flammam concipiat, & potentius unius ejus operatur ſcrupulus, quam dimidia pulveris tormentarii libra. *Crollius citante Sennerto, cap.* 18. *de Conſ. & Diſſenſ. Chymicorum.* Pauca certe ejus grana perpendiculariter centrum verſus ſi ferantur, menſam ligneam tranſverberare valent. *Quercetan.* Cauſa ſpiritus nitri & ſulphuris auri contrarietas: Cum enim oleum vel ſal Tartari, ſolutioni auri infunditur, ſal Tartari ſe cum ſale communi, imo Alumine & Ammoniaco unit, atque hinc

ſibi relictum aurum ad fundum deſcendit, & ſi quid de ſalibus his cum auro relinquitur, id aqua calida abluitur. *Sennertus de Conſen. & Diſſen. Chymic. & Galen. cap.* 19. Relinquitur vero ſolus nitri ſpiritus, qui ſe auro univit penitus. Is ergo ſi incaleſcat, ſulphuris auri percipiens præſentiam, & ſeſe opponit, vires conjungit, & impetu facto ac cum ſtrepitu erumpit, atque accenditur. Reddi an poſſit potabile diſputatum hactenus; poſſe experientia demonſtravit. Nam Clariſſimus vir Franciſcus Antonius Londinenſis Medicus in formam mellis redegit, ut probaretur, certas, ad præcipuos Germaniæ Medicos, doſes miſit. *Iohan. Vincent. Finchius in Enchiridio Dogmatico Hermetico.* Nullam tamen alendi vim habere exiſtimat *Heurnius l.* 1. *Aphor.* 24. Quia inter aurum potabile & ſolidum præter concretionem & fuſionem nihil intereſt: Etſi purioribus nequit homo ali Elementis, inanimatis & deſtillatis ali difficulter poterit: Fieri etiam poſſe, factum oſtendit. Libram unam argenti vivi unica liquoris rubicundiſſimi guttula in aurum Kellejus. Anglus convertit; & tantarum hic pulvis vitium, ut uno grano quinque tingeret millia, & uno decem circiter auri puri extraheret uncias. *Sennert. de Conſenſ. & Diſſ. c.* 2. Quid & *Theophraſtus* fecerit, notum ex Neandro, notum ex Opotino. *Neander in Geographia. Oporinus in Epiſtolis. Nicolaus Mirandulanus.* Carpi aurum ex ære fecit, fecit & Hieroſolymis: ſuntque tantorum teſtimonia, ut impudentis ſit rejicere. *Picus Mirandula Apollinaris* plus quam viginti ſe tenere aurum conficiendi modos ſancte affirmabat. Hinc illi Romæ Epitaphium, *Auri ex plumbo collectori.* Quidam ſpecie differentia inter ſe permutari non poſſe judicant. Quid obſtet, non video. Forma plumbi in aurum non convertitur, ſed decedente, ſubſequitur iſta. Materiæ ubi communio, ſymbolizatio ibi ſit neceſſe eſt. Plantæ in ſua perfectæ forma ſpecies, in chylum nihilominus mutantur. Nec fucatum putetur. Formæ rerum nobis ignotæ ſunt, ex proprietatibus cedit notitia; huic cum omnes inhæreant, quis dubitationi locus? difficile id tamen & caute tentandum. Chymi-

cus

cus excellens Penotus erat, quam miſerè in extremo ſuos canos depoſuerit ſenio, notum doctis. Vox illius. *Se ſi alicui malum vellet quem aperta vi aggredi non valeret, authorem ipſi Chymiæ exercendæ futurum. Sennert. lib. cit.* Cæterum varia ex auro facta opera, omnibus exploratum eſt. Heliogabalus aureis vaſis ventris excepit onus. Xerxes platanum auream habebat, ſub qua conſueverat ſedere. Rex quidam Ægypti filiæ cadaver in vaccam deauratam condidit. *Agricola in obſerv. Metallicis.* In citeriore verò Germania intra Danubium vites extitiſſe, quæ claviculas & plerumque candicantia folia ex puro auro geminarent, author eſt *Alexander.* Cauſa additur. Cum ibi aurifodinæ ſint, ſubtus coaleſcere in radicibus aurum & unà ingenitum ac condenſatum occulta origine, dum germina emittunt vites, mirabili naturæ conſtituto aut decreto ſtellarum, aurum ſimul erumpere. *Alexand. ab Alexandro l. 4. genial. dierum.*

CAPUT XXVII.
DE ARGENTO.

Argentum purum multis in locis effoſſum eſt: in duobus tamen in Germania præſertim. Ex Snebergenſi fodina tantum eſt extractum, quantum vicies centena aureorum Rhenanorum valerent millia. Aberthamenſis centum quinquaginta millia dedit. Tantum ante aliquot centenos annos Fribergenſis, quantum Bohemiæ regnum empturo ſuffeciſſet. *Agricola in præfat. in decem foſsil. libros ad Henricum Principem Miſenæ.* Itaque Henricus Princeps grandem ex argento prope Northuſam ſtatuit arborem, ut eorum foliis, (pars horum aurea, pars argentea) nobiles qui feliciter in equeſtri decertaſſent certamine, donaret. Grandes vero aliquando eruuntur maſſæ. Tempore Alb. Saxonis Snebergi tanta, ut ea loco menſæ in fodina uſus fuerit, dicens: *Fredericus Imperator potens & dives eſt, hodie tamen ejuſmodi menſam non habet.* In valle Ioachimica pondo decem Talentum Atticorum quondam eruta dicitur. In varias illud format natura figuras. Arbo-

rum modo, modo capillorum exhibet ſpecie. Inventum & fruſtum in argentifodinis Rudolfopolitanis quod crucem & leonem ad vivum repræſentabat. *Gheler. Ep. 2. de formica* Color illi eſt albus, invenitur tamen & viride. Rude ſubito impoſitum igni exilit. Cum plumbum nigrum cum eo permiſtum, in magno coquitur catino, partim in Molybdænam, partim in Lithargirum mutatur. Vbi verò diutius arſerit, aliquid deperdit. Acria ipſum corrodunt. Varia ex eo opera. Apud Tectoſagas molæ argenteæ fabrefactæ ſunt inventæ. Clypeum Barchini Aſdrubalis argenteum, pondo centum triginta octo fuiſſe, ſcribit Hiſtoricus. Ex argento puro facta paſſionis Hiſtoria, & duodecim Herculis labores, ad Regem delati Ferdinandum. Ad Carolum Imperatorem columna ex argento conflata. Ipſe è Mexico advexit Corteſius. Precium ad quadraginta novem aureorum computabatur millia. *Majolus de Metallis.* Dianam in cervo cum canibus & ipſi conflatam vidimus; horologium à tergo, varia circa inſectorum genera, vivis fuſa imaginibus. Menſam referebat ſuſtinens, variis intus inſtructam rotulis. Currebat illa, quati horum videbantur capita, retrovolutæ ubi iſtæ fuiſſent. Ferax argenti præſertim India. Notæ Potoſſi fodinæ, de quibus apud Geographos. *Bertius in Geographia.* Noti & Hiſpaniarum theſauri. Novem vicibus centum quadraginta quinque aureorum milliones advectos, qui novêre ſcriptum reliquerunt. *Boterus in Hiſpaniæ deſcriptione.* Quinta argenti portio quinque auri ſi inerit, fit Electrum. Ex quo quondam calices, ideo quod venena deprehenderet. Namque diſcurrunt in calicibus arcus cœleſtibus ſimiles, cum igneo ſtridore & gemina ratione prædicunt. Ad lucem argento ſplendidius cernitur. *Plin. l. 33. cap. 4.*

CAPUT XXVIII.
DE ARGENTO VIVO.

PVrum in lacunis invenitur, cum aquæ quibus venæ ſtillant minium madefecerint. Eo enim modo cogit,

git, & in argentum vivum vertitur. Idem ſiccatum ad formam redit minii. Ex ejus venis uberrimi ſcaturiunt fontes & herboſo virent ceſpite. *Vitruv. l.* 8. *c.* 3. Nam qui hujus ſcrutantur venas, mane menſis Maji ſereno, nebulas in montium emergentes vertice, ac inſtar lanæ ſuper ceſpitem pendulas, obſervant. In monte Gimnavoda ſex à Cracovia milliaribus ſponte certis anni temporibus ad terræ erumpit ſuperficiem, & circa Iohannis Baptiſtæ feſtum multa illius grana piſorum inſtar in radicibus graminum, ſe collegiſſe, *Tyrocinii Chymici author l.* 2. *c.* 3. teſtatur; addit nimis aqueum & Sclavonico inferiorem eſſe. Hydrium in Sclavonia colorem refert jecoris, inſtar plumbi exiſtens, percuſſum, argenti vivi ſtillatim exſudat granula. Ingens ei cum auro ſympathia. *Plater. l.* 2. *del f. c.* 3. Nam ſi in corpore ſit, auro propinato educitur: nec argentum inaurati poterit, Mercurium niſi adhibueris. Mirum; Ex morbo Gallico inunctus, ſi aureum in ore geſtet annulum linguaque hinc inde volutet, argentum vivum quod corpori innatat in annulum devolvitur, argenteus eximitur, nitet, ſi igni admotus fuerit. *Lemnius l.* 2. *de occult. cap* 35. Hinc certè cum omnia ei innatent, aurum ſolum immergitur. Spiritalem ejus naturam mira prodit activitas. Nam fuligo contactu ſuo omne aurum reddit fragile, ferrumque craſſiſſimum elidit. quid? in intimas Magnetis partes penetrat, & attrahendi ferrum potentia privat. Dedit & in humano documentum corpore. Narrat enim *Guliel. Fabricius Cent.* 2. *obſ Chirurg.* 71. Mercurium à muliere contra lumbricos ſumptum, emplaſtrum matricale, quod tum in abdomine geſtabat, perfudiſſe. Ignem refugit adeò, ut ſi non detur per inferiora aditus, ſuperiora petat: quibus clauſis premit opercula. *Vnzer. l. de merc. cap.* 1. Hinc annulo reconditum & admotum ſaltare ipſum facit. Panis in clibano, piſa in olla, ova ad ignem, guttula ſi imbuantur, riſum movere choreis poterunt. Fertur vero ſuper ignem in fumum halituoſum, ſed non diſſipatur. Ille enim vaſe receptus & cuſtoditus, in priorem argenti paulò poſt redit ſpeciem, nec quicquam priſtini detrahitur ponderis. In planiciem fuſum non

humectat; Inde ſiccum exiſtimatur. Falſo. Natura enim in ſphæricam comprimit figuram; & ambiente plumbagine prohibetur adhæreſcere. *Palm. Conſtant. de morbis Contag. l. 3. cap. 4.* Perpetua eidem mobilitas. Pars terrena optime excocta, aër & ſpiritus in cauſa. Adeò enim ſunt concluſi ut exire non poſſint: Exire quia conantur, moventur. *Mart. lib. 4. cap. 6.* Vſus ejus varius eſt. Mauri, cum ardore Solis omnia torrentur, id in lacum effundunt, atque injecto corio ſuper ipſum ſtrati ſe refrigerant. Immiſſum in aurem, inde in cerebrum, Epilepſiam excitat. Spiritus enim animales diſſipat. *Heurn. de cap. affect. cap. 33.* Aqua in quam argenti vivi infuſa fuerit portio ſi ab eo colata bibatur, lumbricos mirificè pellit. Obſtetrices ubi gravidæ in partu diu laboraverint, ultimo remedio argentum vivum ſcrupuli exhibent pondere. Avellanæ per foramen immiſſum & occluſum, ſericoque rubeo à collo ſuſpenſum à peſte præſervat. *Quercet. l. 2. peſti. alex. cap. 5.* Tot illius animadverſa experimenta, ut neceſſario præ aliis laudetur. Si verò ventrem appenſa tangat, ad curationem colicæ ſingulariter conferre ſcribit *Plater. de Dol. cap. 13.*

CAPUT XXIX.
DE ÆRE ET ORICHALCO.

PVrum æs invenitur & in propriis venis & argentariis. In Cypro genus quoddam eſt auro non abſimile. In fruſta minutiſſima agricolæ ſerunt, & pluviis humectatum, caloreque vivificatum creſcit, ac poſtquam ad juſtam maturitatem adoleverit, colligitur. *Ariſtot.* περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Maſſulæ effodiuntur varia figura, ſtiriarum, globorum, virgularum. In officinis in quibus argentum ab ære ſecernitur, in rubro luteum eſt, quod Regulare vocant: In rubro fuſcum, quod Caldarium. *Agric. in lib. foſſil.* Illud mollius etiam dilatatur non funditur tantum: hoc funditur, ſed duci non poteſt. Cadmia tinctum in aureum abit colorem, & Orichalcum dicitur. Igni accenditur, liqueſcit, funditur; ſed in magno catino

vim ignium non tolerat, nec alternatim cum rebus quæ aurum & argentum purgant poſitum, ſed planè conſumitur. Putrefactionem non metuit; & ne alia metuant facit. Hinc monumentum ære perennius apud Horatium, & Ægyptii videntur ideo tabulas æreas impoſuiſſe cadaveribus. Acutos etiam mucrones æreos olim cadaveribus infixos fuiſſe, teſtatur *Pierius in Hieroglyphic*. Tales Venetiis apud Lauredanum imagunculas vidit *Camerarius Hor. ſubciſ. cent.* 1. *cap.* 14; ex conditis ſumptos cadaveribus Lauredani affirmavit filius. Opera ex ære recenſentur varia. Centum Babylonis portæ celebratæ ſunt literis, & æneus amphorarum triginta crater, quo Crœſum donarunt Lacedæmonii. Florentiæ ſacellum Divi Iohannis, quod Baptiſterium appellant, tres æreas habet valvas deauratas. Ex eodem Solis apud Rhodios Coloſſus. Septuaginta ille cubitorum altitudinis fuit. Poſt quinquageſimum annum terræ motu proſtratus, multis etiam jacens miraculo. *Plinius l.* 34. *cap.* 7. Pauci pollicem ejus amplectebantur. Majores erant digiti, quam pleræque ſtatuæ. Vaſti ſpecus deſtactis hiabant membris. Spectabantur intus magnæ molis ſaxa, quorum pondere ſtabiliverat conſtituens. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis. Inter ſeptem mundi receptus miracula.

CAPUT XXX.

DE PLUMBO.

TRiplex plumbum eſt, candidum, cinereum, nigrum. Prius ſui non reperitur coloris: lapilli tamen ſubalbi ex quibus conficitur. Ex eo corroſo facit aceti vapor ceruſſam. Cinereum Snebergi effoditur. Cum argentum ex eo excoquitur, totum ignis conſumit. Ex nigro vaſa quadrata fiunt, in quibus ex ſalſa ſal excoquitur aqua, ex nitroſa nitrum. *Agricol. in obſervat.* Hæc liquore plena aëri expoſita, pluvias deſignant, guttulas foris ſi conceperint. Nihil eo ferventius: attamen ſi ſucco malvæ aut Mercurialis manus oblinas, inoffenſe tractare licebit liquatum, celeri mo-

do id perficiatur motu. *Lemn. l. 2. de occult. cap. 34.* Argentum gravitate vincit; viſum tamen innatare liquato. Fugaces forſan inſtabilis in igne plumbi elevantur partes, argenti, quia non evaporant, ſubjacent. *Libav. l. 2. Epiſt. Chymic. Ep. 98.* Augeri tum mole tum pondere dicitur, ſi in ædibus ſubterraneis, aërem habentibus turbidum, condatur, ita ut quæcunque illic ponuntur, ſitum celeriter colligant. Plumbea ſtatuarum vincula, quibus earum annectuntur pedes, ſæpenumero creviſſe viſum eſt, & quædam adeo intumuiſſe, ut ex lapidibus dependerint cryſtalli modo. Αχεπιτήδειον eſſe experientia inditum. *Fernel. de lue Venerea, cap. 7.* Cum enim Empirici ſuaſu dimidiam ejus pulveris quidam per dies quindecim cum cibis comediſſet libram, arthritidem pulſus, quæ ingerebantur plumbeum aſſumebant nidorem, & quæ ejiciebantur, plumbeo erant infecta colore. In Medicinæ tamen uſum venire compertum. Id enim refrigerat. Quare & mortaria atque piſtilli ex eo confici ſolent, in quibus ſi terantur liquores qui ex utriuſque oriuntur mixtura, frigidiores fiunt. Vtiliter laminæ Venereorum ſubſternuntur lumbis, ſi quando propter crebras Veneris exercitationes, ſomniis vexati ſemen emittunt. Talibus Calvus Orator cohibuit libidinem, ut vires corporis ſtudiorum cuſtodiret labori. *Plinius.* Muſici olim pectori impoſuerunt eaſdem, ad cantica exclamanda. *Iſidorus.* Chartam plumbeam ſupinus pectore ſuſtinuit Nero, conſervaturus vocem. *Suetonius in Nerone.*

CAPUT XXXI.

DE FERRO.

Metallorum omnium vena ferri largiſſima eſt. Cantabriæ maritima parte, quam Oceanus alluit, mons prærupte altus, incredibile dictu, totus ex ea eſt materia. *Plin. l. 34. cap. 14.* Rarum in India. Hinc ferri quatuordecim libras ducentis quinquaginta auri, juxta Inſulam Zabur permutatas fuiſſe ſcribitur. *Pegaſfetta.* Naſcebatur quondam in China Azzalum Indicum

cum dictum, adeoque bonæ temperaturæ in acie, ut quodlibet incideret ferrum. *Pancirol. l. de Novis repertis.* In Sicilia & Luſatia effoſſum nova incrementa accipit, & terra arborumque trunci, ferri, in incremento, acquirunt materiam. Liquori denſo primò illa ſimilis, magis magiſque indureſcit poſtea. *Agricola in obſervat. metall.* Cum excoquitur aquæ modo liqueſcit, poſtea in ſpongias frangitur. Tenuiora ferramenta oleo reſtingui mos eſt, ne aqua in fragilitatem durentur. *Plin. lib. citato.* At in Inſula Palmoſa fundi nequit; quin & in Æthalia. *Strabo. l.* 15. *Bertius in deſcript. Ilvæ.* Aceto & alumine illitum fit æri ſimile. Smolnicii (oppidum eſt montis Carpathi) ex puteo extrahitur aqua, & in locatos triplici ordine infunditur canales, in quibus ferri portiones in æs vertuntur. *Agricola de Metall.* Minutum autem quod in fine canalium locatur ferrum, talis aqua ita exedit, ut fiat quaſi quoddam lutum. Id in fornacibus poſtea excoctum, æs purum bonumque redditur. Omni cupro amiciſſimum eſt ut ſimul juncta mutuò ſeſe amplectantur. Poëtæ Veneris & Martis implicavere fabellis. *Minder. de Vitriolo cap.* 1. Ariſtonides cum exprimere vellet Athamantis Clearchum filium præcipitare volentis furorem, & præcipitato illo reſidentis pœnitentiam, ferrum & æs miſcuit, ut rubigine ejus per nitorem æris relucente, verecundiæ exprimeretur pudor. *Plinius lib. citato.* Aqua immerſum candens in chalybem faceſſit, aceto malleos reſpuit, ut frangatur potius quam duci poſſit. Hinc Lacedæmoniis mos numiſmata ex ferreis conflare baculis, aceto mergere candentia, ne fragilia reddita, in alios depromerentur uſus. *Plutarch. in Lycurgo.* Cauſa ſi quæritur, acetum intimos ferri ſubire meatus dicendum eſt. *Bodinus. l.* 2. *Theatri.* In fornacibus quibus in maſſas componitur, tanti à percuſſo vapores, ut lanugo quædam ſenſim augeri videatur; quæ à pariete multiplicata dependet. *Albert. Magn. in libris de Animal.* Ejus tanta vis eſt, ut nunquam aduri poſſit ignibus. In orbe novo herba eſt cui nomen Cabuja ſeu Henequen, ex illius frondibus filum ſubruſum admi-

xta arena, ferrum ſecat. *Ovetan. hiſtor. l. 7. c.* 10. Squamma ferri ſiccandi vim habet. Calceis imponunt qui graves odore habent pedes. Flos vero ferri candidiſſimus eſt & levis, ramulos interdum habens corallio ſimiles filorum interdum ſubtiles nexu. Fiunt ex eo globi, qui è tormentis mittuntur.

CAPUT XXXII.
DE CARNE FOSSILI.

ANdreas Libavius vir de re Medica & Phyſica meritiſſimus, narratum olim fide Ienenſium Schrorerorum ait, ad vallum Erfurdicum juxta portam Divi Andreæ, occaſione valli in altiorem molem attollendi, carnis crudæ haud exigua eruta fruſta fuiſſe: illamque muſculoſam bubulæ quam ſimillimam (niſi quod oſſibus careret) fuiſſe, Hubnerus in Epiſtola ad Libavium affirmat. Sed quia die Iovis ſe tantum offerre, foſſores garriebant, ſuſpicio fraudis in prudentiorum animis orta eſt; & poſtea aſtu detecta, impoſtores carceri mancipavit. Quamvis autem hic impoſtura Carnem foſſilem nobis objecerit: non eſt tamen abſurdum dicere, cum Libavio, dari poſſe eandem. Certiſſimum eſt verorum dogma, Terram (addo Aquam) eſſe matrem animalium quorundam illorumque imperfectorum, quæ homonyma producuntur generatione. Ex utroque igitur commiſto lutum conſtitui poteſt animali inſtructum principio, quod modo & in animal integrum procedit, modo deficit. Sicut in genere perfectorum informes interdum gignuntur maſſæ, ſuo interdum inſtructæ complemento. Illud prius ſi fuerit, & tamen adminiculis præſentibus ſuo non fruſtratur motu, molam concreti ſanguinis, aut carnis inſtar fieri conſentaneum eſt: Non aliter ac cum illo materia diſpoſita, ad os terminata, in os tranſit, quod Cornu foſſile nuncupatur. Sic Conchulas in altiſſimis montium verticibus ſabuloſis Marga & marmore putrefacto repertas Hiſtoriæ referunt; quas quamvis diluvii univerſalis reliquias eſſe exiſtiment: tamen non eſt veriſimile

riſimile tot annis mundi, tot injuriis expoſitas, durare potuiſſe, cum marmora ipſa tandem ſolvantur. Quod ſi ex exangui actu gigni ſanguineum animal abſurdum eſſe exiſtimas; abſurdum ego quod dicis exemplis demonſtrare potero. Nilo recedente ex limo Sole tepefacto naſcuntur animalia; quorum alia perfecta, alia ſemiperfecta glebæ concreta viſuntur. *Diodor. Sicul.* Altius intra terram gignitur rana venenata, ut nulla foramina quæ videri poſſint, appareant, cum ſaxorum commiſſuræ cuneis dividuntur, teſte *Agricola*. De pluvia carnium & ſanguinis plures extant hiſtoriæ. Idque non Sole exugente cadavera, ſed humore alterante diſpoſitum, fieri debuit. In foſſa oppidi Beichelſteinii infra ex ſalice fœtidus ſanguinis erupit fluxus. Spiræ ex panibus exiſſe dicitur. Suidnicii vellus nivis cruentum grandinis modo decidit. Et quid plura? Chymici ex Satyrio Symphyto majore, Androſemo herba, pane vinoque ſuccum plane ſanguineum confici agnoſcunt, qui digeſtionibus debitis in cruentæ molæ amplius coagulatur ſubſtantiam. Ex ſulphure quod in oleo lini coquunt, maſſam conficiunt quæ hepatis formam repræſentat: volucris denique Orcadica arboris fructus eſſe dicitur; comprobari in appendice Claſſis ſextæ videbis. Dari igitur poſſe carnem foſſilem cum *Libavio* ſtatuimus, & hoc diſcurſu Claſſem hanc concludimus. Illa quæ de Diabolis metallicis hic dici poterant, ad Thaumatographiam Pneumaticam, quam Deo dante dabimus, rejicientes. Vnum adhuc cujus oblitus ſum addo. *Cum Henricus II. Rex Galliarum Bononiæ eſſet, allatus eſt ad eum ex India Orientali ab homine incognito, ſed ut apparebat, moribus barbaro, lapis ſtupenda ſpecie & natura, videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus, quique totus veluti ardens incredibili ſplendore micabat, & jactu quoque verſus radiis ambientem aërem luce nullu fere oculu tolerabili latiſsime complebat: erat & in eo mirabile, quod terræ impatientiſſimus, ſi cooperiretur, ſua ſponte & vi facto impetu confeſtim evolabat in ſublime; contineri vero includive ullo loco anguſto nulla hominum arte poterat, ſed ampla*

ampla liberaque loca duntaxat amare videbatur: ſumma in eo puritas, eximius nitor, nulla ſorde aut labe coinquinatus, figura ſpecies nulla ei certa, ſed inconſtans & momento commutabilis; cumque eſſet aſpectu longe pulcherrimus, contrectari tamen ſeſe impune non patiebatur, & diutius contra adnitentibus aut obſtinatius cum eo agentibus incommodum afferebat: quod multi multis ſpectantibus ſunt experti: ſi quid fortaſſis ex eo enixius conando detrahebatur, nam durus admodum non erat, nihilo minor fiebat. Hujus virtutem ac vim eſſe ad quamplura cum utilem, tum præcipue regibus neceſſariam ajebat hoſpes, qui miraculum oſtentabat, ſed quam revelaturus non eſſet, niſi ingenti pretio prius accepto. Hæc ut in literis Ioh. Pipini oculati rei teſtis, qui in familia A. Mamorantii M. E. medicinam faciebat, ad Anton. Mizaldum & ipſum inſignem Medicum pridie Aſcenſionis Bononia datis perſcripta ſunt, ita trado, (inquit *Thuan.* & *amplius diſcutienda phyſiologis relinquo. Nam Veteribus qui de rebus hujuſmodi ſcripſerunt, ſimilis lapis necne cognitus fuerit, nec Pipinus iis literis ſe ſcire dicit, nec ipſe affirmaverim. Thuan. l. 5. Hiſtor. Tantum.*

THAU-

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS QUINTA.

In quâ

PLANTARUM ADMIRANDA.

Flores odoreſque in diem gignit natura: magna, (ut palam eſt) admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere. Plin. l. 21. Hiſtor. Natural. cap. 1.

SYL-

SYLLABUS CAPITUM.
CLASSIS QUINTÆ.

CAP. I. *De Plantis in genere.*
CAP. II. *De Abſinthio, Aconito & Antirrhino.*
CAP. III. *De Aloë, Agallocho, & Anthemide.*
CAP. IV. *De Ammi, Aquifolio, Aſpleno, & Arbuto.*
CAP. V. *De Arundine, Aſſeral, Agnacath.*
CAP. VI. *De Agno Scythico, Æſchinomine, & Amſiam.*
CAP. VII. *De Balſamo & Betel.*
CAP. VIII. *De Betonica, Betula & Buxo.*
CAP. IX. *De Batat, Baxera, Bruſathaer, & Baaras.*
CAP. X. *De Cachi, Cacavate, Caſſia, Carduomaria & Corallina.*
CAP. XI. *De Cinnamomo & Cedro.*
CAP. XII. *De Chameleone Cariophyllis & Cichorio.*
CAP. XIII. *De Croco, Ceraſis, & Cachi ſeu Ciccata.*
CAP. XIV. *De Corno, Cupreſſo & Cucumeribus.*
CAP. XV. *De Capis, Chelidonio, Cannabi, & Conſerva.*
CAP. XVI. *De Cicuta, Ciacompalon & Cocco.*
CAP. XVII. *De Doronico, Datura, Dracone, Eleomeli, Echio, Eryngio & Euphorbio.*
CAP. XVIII. *De Elaterio, Elleboro, Eupatorio, Emito & Fœniculo.*
CAP. XIX. *De Ferula & Ficu.*
CAP. XX. *De Fraxino, Fungis & Fago.*
CAP. XXI. *De Guajaco & Gentiana.*
CAP. XXII. *De Geniſta, Guao, Gingibere, Hyperico, & Hyoſciamo.*
CAP. XXIII. *De Helenio,*

nio, Heliotropio, & Hiuca.

CAP. XXIV. *De Impia, Iunipero & Kali.*

CAP. XXV. *De Lauro, Lentiſco & Lino.*

CAP. XXVI. *De Larice, Lilio, Lyſimachia & Loto.*

CAP. XXVII. *De Malabathro, Malis punicis Aſſyriacis, nec non arbore Mangueis dicta.*

CAP. XXVIII. *De Moſcho, Muſco, & Macanillo.*

CAP. XXIX. *De Mandragora, Malva & Moro.*

CAP. XXX. *De Napello.*

CAP. XXXI. *De Nyctegreto, Nubia grano, Nuce Moſchata, Olea, & Opio.*

CAP. XXXII. *De Palma & papavere.*

CAP. XXXIII. *De Platano, Pomis & arbore Pater noſter dicta.*

CAP. XXXIV. *De Pipere, Plantagine, Pimpinella, Potentilla, Pavida, & Papyro.*

CAP. XXXV. *De Quercu, Rhabarbaro & Rapo.*

CAP. XXXVI. *De Ranunculo, Ruta, Roſmarino, Rhodia, & Roſa.*

CAP. XXXVII. *De Scorzonera, Scilla, Salvia & Scordio.*

CAP. XXXVIII. *De Solano.*

CAP. XXXIX. *De Sinapio, Satyrio, & Saxifragia majore.*

CAP. XL. *De Terebinto & Thure.*

CAP. XLI. *De Tritico & Thymo.*

CAP. XLII. *De Tabaco.*

CAP. XLIII. *De Trifolio, Teucrio, Telyphono, Taxo, Thapſia, & Thauzargent.*

CAP. XLIV. *De Vite.*

CAP XLV. *De Xaqua & Zuccaro.*

CAP. XLVI. *De miraculis aliis quarundam arborum.*

CAP. XLVII. *De Prodigiis arborum.*

ADMI-

ADMIRANDA PLANTARUM.

CAPUT I.
DE PLANTIS IN GENERE.

INanimatorum θαύματα vidimus, animatorum jam videbimus. Inter hæc primo plantæ occurrunt, non quod dignitate præcedant, ſed quod communem viventium in ſe habeant gradum. Vegetans enim illas informat anima; nutricem, auctricem, generatricem, cum ſuis ſubordinatis facultates proferens: accedit his ſpecifica forma, per quam unaquæque conſtituitur, operatur, ab aliis diſtinguitur. Corpus illarum certis partibus abſolvit natura, quæ ligni, matricis, corticis, radicis, caudicis, rami & ſurculi, florum dein & fructuum nominibus definivere Phyſici. Hiſce variantibus ſumma in plantis varietas. Ortum illis terra tribuit; indita in creatione facultas, & quia qualitatum magna variatio, magna & in his conſpicitur. Expreſſe Moſes; *Herbeſcat terra herbulas, herbas ſementantes ſemen, arbores fructiferas edentes fructum in ſpecies ſuas, in quibus ſuum ſit ſemen ſuper terram. Porta l. 2. Phytogn. cap. 1.* vero cum è profundiſſimis ædium fundamentis egeſtam humum convaſaſſet, atque ſub dio expoſuiſſet, paucis poſt diebus, è variis terræ qualitatibus, varia herbarum prodire genera, Neapolitano cælo, ſoloque familiaria, conſpexit. Maritare quaſdam neceſſe eſt. Hinc maris & fœminæ confuſa in illis principia ſunt. At falſum impregnari Favonio, quod *Plinius* ſcribit. Exareſcunt, quæ plurimum fructificant. Conſumitur enim nutrimentum; & ultra D. Thomæ Inſulam, Auſter tantum ſpirare dicitur; alibi duo tantum per vices venti. Cæterum non in omnibus omnia plantarum genera locis creſcere, certum eſt. Nam & juxta Romam caſta-

neæ ægre proveniunt & circa Boſphorum Cimmerium, in Panticapæo urbe, omnimode laboravit Mithridates Rex & cæteri incolæ, ſacrorum certe cauſa laurum, myrtumque habere, non contigit. Quod vero & ſub alio cœlo novæ repertæ, ut Tabacum pridem ex America petitum ſylveſtre in radicibus Sylvæ Thuringiacæ inventum. *Libav. l. 4. de origine rerum*, aëri ſemina omnium habenti, quæ cum aqua pluvia deferantur, in plantas abeant, adſcribit *Anaxagoras*; putreſcentibus aquis cum terris mixtis *Diogenes*: ventis deferentibus alii. Providentiæ divinæ nos tribuimus; quæ non omnes ſecundum individua produxit plantas; ſed in paradyſo digeſſit optimas, cæteras reliquit extra; quaſdam virtute inſtituit, ſuis in apricum prodituras temporibus. Vitam quod attinet, calore in terra vivunt, frigore conſumuntur; renaſci iterum quaſdam, olea ad radicem exuſta, poſt germinans, apud *Theophraſtum* teſtatur *lib. 2. de plant. c. 4.* Extra terram etiam vivere, cæpe & allium, quæ poſt multos menſes à terra ſeparata, ſine ullo terræ alimento germinant humore multo & craſſo ſtipata. *Marcell. lib. 4. hiſtor. medic. mira. cap. 12.* Vires plantarum ſtupendæ ſunt. Obſervatum inflammari vulnera per noxiarum ſi divagemur loca; ſanari morbos, ſi per ſalubrium. *Mathiol. in Dioſc. Præfat.* Hemionitidis contactu ſplenetici ſunt ſanati; ſubſtrato in calceis nudis pedibus chelidonio, icterici, tamdiu quiſpiam lippitudine non tentatur, quam diu ſylveſtris rumicis radicem ſecum nitidiſſime habuerit. Deſinet ſtranguria cruciari, qui Tamaricis lignum ardens ſua extinxerit urina. Varie illos digerunt medici; ex ſignaturis cognoſcere Chymici docent; & *Neapolitanus Porta*. Cujus membri referunt figuram, illi prodeſſe, probatum putatur. *Sennert. de Conſ. Chym. c. 18.* Sed de his alibi plura, ſi dies voluerit. Nunc luxuriantem in Plantis naturam, & ſecreta pandentem ſua, videamus, & piè admiremur.

CA-

CAPUT II.
DE ABSINTHIO, ACONITO ET ANTIRRHINO.

A*Bſinthii* mira in multis natura eſt. Amarum ipſum, aqua tamen ejus ſtillatitia dulcore imbuta invenitur. Hinc imis partibus & ipſum dulce Meſue commentatoribus videtur. At tenuitati externarum partium res debet aſſcribi. Hæ in vaporem reſolubiles, ignis magis attenuatæ calore, facile reſolvuntur, & amaritudinem remittunt. *Mathiol. in Dioſc. c.* 24. Lixivium, ex quo ſal ejus paratur, manus ita afficit, ut ſenſum tactus fere amittant. *Mathiol. de febrib. peſt.* Creditum eſt, infantes, ſi antequam duodecim ſeptimanas excedant, ſucco abſinthii in manibus & pedibus inungantur, neque frigore neque æſtu, per totam lædi poſſe vitam: corpus totum ſi infricetur, ſcabie non laboraturos, *Guerth. in append. ad memorab. Mizaldi. Aconitum*, omnium venenorum eſt ocyſſimum. Tactis enim genitalibus fœminei ſexus eodem die mortem inferre dicitur. *Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes à Calphurnio Beſtia uxores M. Cacilius accuſator objecit. Hinc illa atrox peroratio; ejus in digito mortuas.* Hoc tamen in uſus humanæ ſalutis vertere, ſcorpionum ictibus adverſari, experiendo datum in vino calido. Ea eſt natura, ut hominem occidat, niſi invenerit quod in homine perimat. *Torpent Scorpiones ejus attactu, ſtupentque pallentes & vinci ſe confitentur. Auxiliatur helleborum album tactu reſolvente, ceditque Aconitum duobus malis, ſuo & omnium. Plinius.* Quin & *Antirrhinum*, adeo illis contraria ut illico ea viſa torpeſcant. Principum vero gratiam hoc conciliari poſſe amuleto, dum credunt nonnulli, decipiuntur. *Mathiol. in l.* 4. *Dioſc. cap.* 128.

CA-

CAPUT III.

DE ALOE, AGALLOCHO ET ANTHEMIDE.

ALoë jecur offendi per quadraginta & amplius annos compertum *Scaliger* habuit, *Exerc.* 160. *ſect.* 3. Iis vero, quibus venæ turgent aut aperiuntur, minima ejus particula ſumpta, illico deduci, certum eſt: Addit nempe aliquid de ſuo, quo hæc dehiſcant vaſa, Ex pillulis toſatæ, pyxidi ligneæ incluſis aranei formati ſunt, quorum globoſi ventres pilularum & magnitudinem & colorem ſervarunt. *Geblerus Epiſt.* 2. *de formica.* ſic Doctori Iohanni Preſſio ſuccus glycyrrhizæ in vermiculos abiit, qui collecti in vitro in pulcherrimam mellaginem ſunt reſoluti, *Idem.* Alvum laxare notiſſimum. Noverat tamen *Picus* quendam qui laxam alvum obfirmabat eadem. *Agallochum* vero lignum eſt Aloës tam præſtans, ut in aquam injectum non innatet, ſed ſtatim ſubſidat. Ab arbore disjectum, toto anno ſepeliunt incolæ, ut terra obruti marceſcat cortex, nihil erodaturè ligno. Nec alias odoratius futurum exiſtimant, niſi prius teredinem ſenſerit. *Simeon Sethi citante Mathiol. Anthemidi* tanta cum Cotula cognatio eſt, ut viſu diſcerni nequeant, odore tantum diſcernantur. Fœtet illa & cutim ſubito exulcerat alligata. Flores Anthemidis abſque foliis decerpti tuſique in mortario, & ex oleo in paſtillos conformati, ſi ex eodem oleo diſſolvantur, iiſque febrientes à vertice capitis illidantur ad pedes, moxque ſtragulis, ut ſudent, integantur, quaſcunque febres ſanant, ſi ſudor copioſus effluxerit. Prodit id Nicteſſius Ægyptius. *Mathiol. in Dioſc. l.* 3. *cap.* 137.

CAPUT IV.

DE AMMI, AQUIFOLIO ASPLENO, ET ARBUTO.

AMmi legitimi ſemen, quod Alexandria mittit, mulierum cura fœcunditatem, ſi drachmæ pondere, mane,

mane, alternis diebus tribus ante cibum horis, propinaveris. Illis tamen diebus eis non debere commiſceri maritos, adjiciunt *Mathiol. in 3. Dioſc. cap. 61.* *Aquifolii* flore aqua glaciatur, & baculus ex eo factus, in quodvis animal emiſſus; etiamſi citra ceciderit defectu emittentis, ipſe per ſeſe recubitu propius adlabitur. *Plinius lib 22.* *Aſplenum.* Creta habet circa Potereum amnem, qui duas urbes Enoſam & Cortinam interlabitur. Splenem pecori devorata demit; hinc illi nomen. Certa parte quæ ad Cortinam ſpectat, ubi ingens illius copia, ἄσπληνον hoc inventum eſt, ſecus, quæ ad Enoſam. Nullus enim ibi ejus proventus. In averſa foliorum ejus parte, aureus invenitur pulvis, qui drachmæ pondere, cum albi ſuccini farinæ ſemidrachma, ex ſucco portulacæ potus, gonorrhæa juvat laborantes. *Arbutus* menſe floret Iulio, flores ſingulari appendice poſtrema racematim cohærent parte, ſpecie quiſque myrto oblongo ſimilis, & magnitudine tantus, non foliatus, concavus, tanquam ovum exſcalptum, ore aperto: cum autem defloruerit, retinaculum perforatur. *Theophraſt. l. 3. cap. 16. de Plantis.*

CAPUT V.

DE ARUNDINE, ASSERAL, ET AGNACATH.

IN Zeilam tam capaces *Arundines* ſunt, ut ex eis parent monoxyla; ſed & lanceas ex iiſdem conficiant. Sicut in Regno Pegu remos & malos Myoparonum: Septenum quippe pedum æquare ibi ambitum, certum eſt. *Scaliger. Exer.* In India ad tantam aſſurgere molem, ſcribit *Mathiolus*, ut ſingula internodia, navigiorum vicem præſtent per fluvios & lacus, ternos homines capiente alveo. *Mathiol. 1. in Dioſc. l. 1. c. 97.* Inter eam & filicem ingens eſt odium. Proinde arundinem vomeri alligatam, filicem in agro deſtruere ac enecare prodiderunt. Cum aſparagis colit amicitiam. Nam ſi ferantur in Arundinetis, mirifice inibi proveniunt *Mathiol. lib. cit.* *Aſſeral* prælium inituri Turcæ

vo-

vorant, quo alacres & periculorum contemptores evadunt, Circulatores in ſpectaculis ſæpiſſime eo utuntur. In vinum immiſcent Pharmacum, quod fauces convellat. Ei cui fucum facere volunt, jubent digitum intingere, ſugere. Hic in os inditum non ſine dolore premit invitus. Interea ac ſi mœrentem ſolentur, carpi & temporum oblinunt arterias, idque medicamento peculiari. Vbi ad ſe rediit, quaſi qui è mari rediit naufragus, capillum, veſtimentaque velut uda torquet, exprimit, brachia tergit, nares emungit. *Scalig. Exerc.* 154. *Agnacath* eſt arbor pyri facie & magnitudine perpetuo folio viridiſſima, nitidiſſimaque ſuperficie. Adeo validos ad coitum efficit, ut miraculo ſit omnibus ejus efficacia. Huic affinis eſt radix in Atlantis jugis Occidentalibus, quæ pars Sarnaga ab incolis nuncupatur. Hujus eſus mirificum ad Venerem ſuppeditat robur. Ajunt, ſuper eam ſi quis urinam reddiderit illico urgeri libidinibus. Virginibus quæ præſunt paſcuis, ſi ſuper ea ſedeant aut urinam faciant, perinde membrana naturæ rumpitur, atque ſi à viro fuerint vitiatæ. *Scalig. Exerc.* 175. *ſect.* 1.

CAPUT VI.

DE AGNO SCYTHICO, ÆSCHINOMINE ET AMFIAM.

A*Gnus Scythicus* planta eſt, ex ſemine minus oblongo, producta. Borametz Tartari vocant. Creſcit agni figura, ad ternum fere pedum altitudinem; quem pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus, repræſentat. Pro cornibus pilos gerit, ſingularis cornu ſpecie obducitur tenuiſſimo cornu, cujus detracti uſus incolis ad tegmina. Dulcore eſt admirabili; è vulnere ſanguis manat. Vicinis quamdiu obſidetur herbis, tamdiu vivit; moritur, has ſi decerpſeris. Appetitur à lupis; ab aliis beſtiis, quæ carne veſcuntur, non item. *Scalig. Exerc.* 181. *ſect.* 29. *Æſchynomine* admotam manum refugit foliorum contactu. Id Apollodorus Democriti diſcipulus prodidit. *Amfiam*, medicamentum eſt apud Indos: Mira quædam

dam in ejus uſu. A teneris non aſſuetos, ſi poſt votetur, interficit; aſſuetos & omittentes interimit; continuantibus nil nocet. Cambajæ mulieres cum ſe ſupplicio ſubducere volunt, mandunt: ſine dolore moriuntur. Provinciæ Regulus hoc à teneris nutritus ita venenoſus evaſit, ut muſcæ quæ ſolo ſuctu cutim perſtringerent, turgidæ interirent. Opium eſſe putatur & Turcicum Maſlach. Quamvis enim hoc ex cervariæ ſucco parari Turcarum ſecreta relatione ſibi cognitum eſſe ſcribat *Turnheuſerus herbar. lib.* 1. *c.* 29. Attamen nihil aliud quam Opium eſſe, præter *Scaligerum*, *Poterius & Iohannes Baptiſta Sylvagius* Reip. Venetæ apud Turcarum Imperatorem interpres, teſtantur. Hic enim à Bucretio interrogatus, duo medicamenta præcipuè habere Turcas, hilaritatis quaſi illicia, Amfiam nempe & Bongelie retulit. Illud ex opio; hoc ex melle, foliis & ſemine Canabis pulveriſati parari & in frequentiſſimo uſu eſſe. Conjicit & hoc in ſumma pericula. Delirantes enim reddit, & ſi ſomnum capiant, gigantes pugnare, ignes & civitates ardere in ſomniis conſpiciunt.

CAPUT VII.
DE BALSAMO ET BETEL.

MAgni antehac in Iudæa proventus *Balſamum*, idque in duobus regiis hortis (alter jugerum viginti, alter pauciorum:) jam non reperitur. Reges Ægypti in ſuum tranſtuliſſe hortum veriſimile eſt, tanquam magnificentiæ æmulos. *Plin. lib.* 12. *cap.* 25. In urbe enim Cairo Balſami exſtat viridarium. Folium ejus rutæ ſimile, perpetuo virens. In Mathatia menſe Septembri, paucis admodum foliis, iiſque recens primum enatis, veſtitam vidit Bellonius ut hyeme nova germina produceret. Præter naturam id fuiſſe certum. Nam cæteræ arbores hyemis patientes ſub veris præſentiam, & folia priora deponunt, & nova cum novis item ſurculis progerminant. *Doring. de Balſamo ſ.* 1. *c.* 3. Colligitur lachryma in caudice & parte ſuperna, facta inciſura unguibus ferreis, ſub ſidere cum æſtas maxime

xime angit. Quod manat, multum non eſt. Vix enim toto die concha impleri poteſt. *Theophraſt. l. 9. cap. 6. de plantis. Plinius*, ſi ferro incidatur, ſtatim emori, ſcribit: ob idque qui opobalſamum colligunt, vitro, lapide, oſſeiſque cultellis, ad corticem vulnerandum utuntur, & ſuccum lana excipientes, in corniculis colligunt. Color ſucci per ætates variat, adde, ſubſtantiæ modos. Recenter extractus albus eſt, tam tenuis & levis, ut ex alto in aquam projectus vix pauxillum mergatur. Confeſtim aſſurgens diſſolvitur, aquæ miſcetur & totam ipſius ſuperficiem contegit. Exacto quinquennio auri formam induit, decennio retinet, mediocriter craſſus. Ab hoc tempore ſenſim craſſeſcit, melleo colore tingitur, odorem ita deperdit, ut nonniſi fricatione deprehendatur. Si tamen æſtate ab externo aëris calore hyeme ignis beneficio attenuetur aquæ vel lacti inſtillatus albeſcit. Id adeò ut initio ab aqua vix diſcerni poſſit: mox in ea coaguletur, ac telæ albæ inſtar ſupernatet ſtyloque quopiam ſuperne detractus, colorem album liquido manifeſtet. *Doring. l. 1. de Opobalſ. c. 5.* Indicum ſeu Occidentale ex Occidentali India in Hiſpaniam affertur: Liquor eſt arboris Xilo dictæ; cujus cortice, qui tenuis eſt, vulnerato, liquor tenax, ſubalbidus, paucus, quem incolæ ſibi reſervant, effluit. Sed ex ramis & truncis aſſulatim & minutim conciſis, & cum aqua in Lebete decoctis, ubi refrixerit, conchis oleum ſupernatans colligunt, quod ex nigro rubet, odoris ſuaviſſimi, guſtus acuti & aliquantum amari. Libra in Hiſpania tribus ducatis vænit. Cum olei uncia una decem aut viginti venderetur. *Bauhin. in Dioſc. Betel.* à fluvio nomen habet folium, qui non procul à Cambaja fluit. Naſcitur ex planta, quæ advolvitur aliis, egetque præſidio pedamentorum. Neque florem neque ſuccum gerit. Manditur ab Indis in quotidiano ocio. Sufficere enim vires putant in Venerem. Labia ex eo rubicunda, dentes nigri. *Mathiol. lib. 4. Dioſc. cap. 12.* Mentem movet ſi largius edatur. Idcirco mulieres Tarnaſſari mariti ſecuturæ manes, manducatione illius quærunt dementiam, inventa rogum conſcendunt, & cre-

cremantur. Aqua aſpergitur, quæ ſoluta, fit calx è conchis facta: tum demum manditur. *Scalig. Exerc.* 146. *ſ.* 2.

CAPUT VIII.

DE BETONICA, BETULA, BERNAVI ET BUXO.

B*Etonica* loca ſacra & buſta, à viſibus metuendis tueri ac defendere dicitur; tamque validæ facultatis, ut oſſa quæque confracta extrahat. Cum ſalis momento contuſa, naribuſque immiſſa, ſanguinem inde fluentem ſiſtit. *Mathiol. in* 5. *Dioſc. cap.* 1. *Betula* frigido & nivoſo gaudet tractu. Caudex terebro perforatus ingentem aquæ clariſſimæ copiam reddit. Vis ei ad comminuendos, tum renum, tum veſicæ calculos, ſi diutius bibatur. *Mathiol. l.* 1. *c.* 93. Ananii ex deliberato contortoque ejus caudice faces ad nocturna parant lumina, quæ quia bituminoſa redundant pinguedine, tædæ conflagrant modo, & reſinoſi quiddam picis reddunt colorem. *Bernavi* electuarium quoddam eſt, à vicinis Indis confectum, de quo *Alpinus* hæc habet. Ab aſſumta iſtius electuarii uncia, homines primo hilares fieri incipiunt, multaque loquuntur, & canunt amatoria, multumque rident, aliaque deliramenta læta produnt: quæ amentia fere per horæ ſpacium durat. Ab hac iracundi ſtatim fiunt, in iramque præcipitantur, effreneſque redduntur, in qua parum perſiſtunt. Demum ſic triſtari incipiunt, tantoque mærore & timore anguntur, ut continuo plorent, donec his deliramentis laſſati ſomno corripiantur, & medicamento per ſomnum devicto, ad priſtinam ſanitatem redeant. Tantum *Alpinus*. In ligno *Buxeo* Narcotica quædam vis eſt, & ſulphur ſoporiferum. Id vel fœtor, quem contrahit, oſtendit, & natale quo delectatur ſolum. In montanis enim & ſaxoſis locis naſcitur & luxuriat, fœtidiſſimumque exugendo imbibit ſulphur. Ex ejus raſura exſtillatur aqua ſpiritus vitriolati inſtar. Graviſſimus dentium dolor ſedatur, dentiſcalpium ejus oleo, ſi intinctum & in radicem

dolen-

dolentis immiſſum fuerit, idque, tam ſubito, ut miraculi & incantationis inſtar dolor prorſus avolet & opprimatur. *Quercet. Tetrad. cap.* 16. Flores ejus adeo ſanguinem purgare feruntur, ut ſi dr. 1. pulveris cum aqua papaveris rhœadis exhibita, ſanguis poſt horam mittatur, floridus is emanet. *Petrejus in Noſol. Harm. Diſcurſ.* 14.

CAPUT. IX.

DE BATAT, BAXERA, BRUSATHAER ET BAARAS.

B*Atat* radix eſt napi figura, nigro cortice, ſparſa inferne quaſi per brachia. Color medullæ varius eſt, inde in ſpecies diviſa; ſed in ultimo pretio lutea eſt. Ejus ſatio mira: Nec enim radice, ſed oleam imitata talea ſeritur. Sarmenti fiſſum in aliquot partes fruſtum, aliquantulum tamen ut ſervetur corticis, deponunt, ridicam propter pangunt. Ejus namque ſtipes advolvitur lupuli more. Quinto menſe meſſis tempeſtiva. *Scalig. Exerc.* 181. *ſ.* 17. *Baxera* eſt arbor in regno Beli, quod Catainis affine eſt Tartaris. Radix ejus illico interficit comeſta. Mali remedium fructus eſt Nirabi, Tollitur eo venenum, quodcunque tandem fuerit. *Scalig. Exerc.* 153. *ſ.* 6. *Bruſathaer* arbores ſunt marinæ, ad Chinarum ſinum. Tanta illarum vaſtitas, ut immenſæ magnitudinis avibus ſtabula præbeant. Tam grandes ſunt, inquit, *Scaliger*, ut eis etiam graviora animalia integra ſuſtollantur, atque inferantur. *Scalig. Exerc.* 181. *ſ.* 10. De *Baaras* ſcripſit Ioſephus. *In valle*, inquit, *qua civitas à parte Septentrionali cingitur, quidam lacus* Baaras *appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flamma quidem adſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti jubar fulgurans. Accedentibus eam & evellere cupientibus facilis non eſt, ſed refugit, nec prius manet, quam ſi quis urinam muliebrem vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quinetiam tunc, ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt; niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur alio modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita, ut*

minimum ex radice terra ſit conditum; deinde ab ea religant canem, illoque ſequi eum à quo religatus eſt cupiente, radix quidem facillime evellitur; Canis vero continuo moritur tanquam ejus vice, a quo tollenda erat, traditus. Nullus enim poſtea accipientibus metus. Fabella eſſe videtur, niſi alius ſubſit ſenſus.

CAPUT X.

DE CACHI, CACAVATE, CASSIA, CARDUO MARIÆ & CORALLINA.

CAchi ſpinoſa eſt in Malabar arbor, fructum ejus Ciccaram vocant. Totius forma ut pineæ nucis. Intus enim Camerulæ membranis diſtinguuntur, ut in Punica. Poma ficorum tum dulcedine tum ſpecie, ſine cortice, ducena quinquagena in eis, ad tercenta uſque interdum *Scalig. Exerc.* 181. *ſ.* 12. In illis fructiculis eſt alias figura Caſtaneæ, qui ad eundem modum inter coquendum crepat. Exit è trunco fructus, ſicut & ſycomoro, inter ſpinas & frondes. Interdum quod magis mirum eſt, è radice ſubtus terram unde prodit. Vnicum autem tantum pomum profert, tam magnum, ut robuſtum hominem onerare poſſet. *Majoll. coll. de plantis. Cacavate* arbor eſt in Provincia Americæ Nicaragna, quæ adeo horret Solem, ut ſub umbra ſemper ſit ſervanda, & altioris arboris tegenda umbraculo, locis ſylvoſis & irriguis, Sole admoto tabeſcit. *Libav. de Orig. rerum. Caſſia* ſæpenumero in cinnamomum abit. Vidit Galenus eximiæ Caſſiæ ramulos omni ex parte illud referentes, & Cinnamomi ſurculos Caſſiæ perſimiles. Hinc nata apud eum opinio, pro qualibet Cinnamomi parte duas, electæ Caſſiæ in componendis medicamentis adhiberi poſſe. *Galenus de Antid. lib.* 1. Virgæ ejus in fruſta ſecabantur, recentiſque bovis inſuebantur corio, ut vermiculis, qui ex ligno naſcuntur, lignum illud inutile redderetur. *Plin. l.* 12. *c.* 29. De Caſſia ſolutiva affirmatur, quod is, qui quotidie ante prandium ternas pulpæ ejus drachmas devoraverit,

raverit, nunquam vel calculi vel ventriculi ſit laboraturus doloribus. *Mathiol. in Dioſc. lib.* 1. *Cardui lactei*, quem Mariæ nuncupant, flores in ſtranguria ſolo, cuidam militi profuiſſe aſpectu, teſtis eſt *Platerus de vit.* *Corallina* autem tantæ contra lumbricos eſt virtutis, ut ea die expellat qua aſſumpta fuerit. Viſus puer, qui poſt acceptam, ſeptuaginta ejecit. Ignorarunt id veteres, jam tota utitur Græcia. *Lemn. Occult. l.* 3. *c.* 9.

CAPUT XI.
DE CINNAMOMO ET CEDRO.

Cinnamomum naſcitur in Zeilam, & in una ex Moluccis, Mutir; nullum gerit fructum: Æſtu cortex finditur atque abſiſtit. Bis in anno deglubitur. *Scalig. Exerc.* 144. Dulcis primum, menſe poſtea perficitur. Galeni tempore tanta ejus penuria, ut nonniſi apud Imperatorem reperiretur. *Galenus lib.* 1. *de antid.* Sed & nunc tale vix reperiri, quale deſcribit *Galenus*, teſtis eſt *Scalig. loc. cit.* Virtutem ad triginta annos non ſervat. Falſum enim quod alii ſcribunt, ſenectutem non ſentire. *Ego*, inquit *Galenus loc. cit. neque ducentorum annorum interventu ſed pauciorum, ſi quis ad tantum numerum conferat, jam aliquam mutationem vetuſtiori Cinnamomo factam obſervavi. Quo tempore enim Antonino Imperatori theriacam paravi, vaſa lignea, in quibus ejuſmodi Cinnamomum inerat, multa conſpexi, alia Trajani, quædam Adriani, nonnulla Antonini ætate repoſita: omniaque hæc ſeſe & ſaporis & odoris imbecillitate vehementiaque tantum plane ſuperabant, quantum & tempore differebant.* *Cedrus* molles citra dolorem putrefacit carnes, quia ſicca; at mortuorum corpora à corruptione conſervat. Superfluum enim in iis depaſcit humorem, ſolida attingens. *Mathiol. lib.* 1. *Dioſc. c.* 89. Lendes, pediculos, tineas & in auribus natos vermes interficit; fœtum appoſita viventem interimit, expellit mortuum. *Theophraſt l.* 5. *c.* 8. Semen in congreſſu corrumpit, conceptum ſic impediens. Crevit olim copioſiſſima in Libano, hodie

ad paucas (*Rhauvvolſius* viginti quatuor numeravit) redacta: Altitudo & craſſities ei mirabilis. Stemma tam craſſum, ut tres viri non poſſint complecti, in hortis longe vaſtior, ſi abſque cæſu ſinatur. Vticæ templum Apollinis fuit, ubi Numidicarum Cedrorum trabes durabant, ita ut poſitæ fuere prima urbis ejus origine, annis mille centum octoginta octo. *Plin. l. 16. cap.* 40.

CAPUT XII.

DE CHAMÆLEONE, CARIOPHYLLIS ET CICHORIO.

C*Hamæleonis* nigræ venenoſa in Græcia & Ponto radix eſt ſalubris. Cœli adſcribit *Mathiolus* clementiæ. Nam & Perſea Perſis quondam lethalis, innocua Ægyptiis: & Arum Cyrenis tam mite, ut rapi modo in ciborum uſum veniat; in Græcia & Italia nec crudum nec coctum edi poteſt. Occidit canes & ſues: in farina hordeacea ſubacta cum oleo & aqua, canes; ſues cum braſſica. Si, an homo æger ſit victurus, experiri velis, triduo ea radice lavari debere, quidam aſſerunt; ſi toleravit, moriturum nequaquam exiſtimant. Viſcum ad radices naſcens, venenum eſt præſentaneum, at media ſumptum quantitate, ſomnolentos vigilantes reddit. *Theoph. l. 9. de Plantis, cap.* 13. Hinc Cretenſes mulieres, ne ſomnum in opere ineant, ſumunt à cœna modicum. *Cariophyllorum* arbor in Orientali provenit plaga, quibuſdam Indici pelagi Inſulis Lauri faciem refert, foliis anguſtioribus & odoratiſſimis. Cariophylli ex illis proveniunt, qui nil aliud, quam rudimenta fructus. Naſcitur ſponte ex decidentibus Cariophyllis. *Mathiol. in lib.* 2. *Dioſ. c.* 253. Adoleſcit intra octennium; & in centeſimum uſque annum perdurat. In ſolis Moluccis fructum edit. Cultores arundinibus flagellant arborem, conſtrato prius circumquaque tegetibus palmeis ſolo. Triennio vacat vindemiæ, tum efferatur ac degenerat. *Scaliger. Exerc.* 146. *ſ.* 1. *Cichorium* verrucarium, verrucarum peſtis.

Multi

Multi devoratis ſemel in acetario hujuſce plantæ foliis, liberati ſunt. Idem præſtat ſemen, drachmæ tribus diebus à cœna devoratum pondere. *Mathiol. in lib.* 2. *cap.* 125.

CAPUT XIII.
DE CROCO ET CERASIS.

C*Rocum* floret continuo fere menſe. A floribus ſubinde prodeunt folia, quæ tota vireſcunt hyeme, ſpretis algoribus: areſcunt ac prorſus deperduntur vere, nunquam apparent per æſtatem. *Mathiol. ad l.* 1. *Dioſc. c.* 25. Floret Vergiliatum occaſu, confeſtimque cum folio florem expellit. Radix ejus gaudet calcari, pereundo provenit. Hinc verſiculis:

Pulchrior ut creſcat, teritur crocus, ô furor ingens,
Latior ut poſſes ſurgere, velle premi!

Minder. Aloed. c. 4. Anhelosis tam prodeſt, ut *Cardanus de ſpirat. diffic.* Cæſaris de Comitibus ſocrum, quæ propter ingentem duorum menſium δυσπνοίαν jam morti vicina videbatur, reſtituerit. Puerperis in partu propinatum, raptim petit uterum, adeo, ut quædam fœtum croco tinctum ediderit. *Heurn. lib.* 2. *Medic. c.* 14. Infenſum eſt cerebro; & copioſo uſu riſum ciet. Exemplum in Mercatore quodam, qui cum plus æquo comediſſet, in tantum poſt cibum conjectus eſt cachinnum, ut è vita cum riſu diſceſſurus videretur. Agaſo quidam apud Piſaurienſes, ſuper duobus croci ſarcinulis dormiens, eadem nocte obiit. *Luſitan. Com. ad c.* 25. *lib.* 1. *Dioſc. Ceraſa* fimum horrent. Hinc, ſi radicibus admoveatur, degenerant; proficiunt, ſi ſui ipſius putamina falce conciſa, circum radices ſepeliantur, ibique marceſcant. Sine oſſibus provenient, ſi arborem teneram ad duos recidas pedes, & eam uſque ad radicem findas partis utriuſque medullam, ferro abradi cures, utraſque ſtatim vinculo ſtringas, *Mathiol. ad lib.* 1. *Dioſc. c.* 129.

CAPUT XIV.

DE CORNO, CUPRESSO ET CUCUMERIBUS.

IDam Trojanum qui incolunt, ſterilem eſſe inter *Cornos* marem pronunciant. Fructiferæ in Macedonia ambæ; ſed mas per æſtatem, fœmina per autumnum baccas maturat. Hujus baccæ illius bonitate cedunt, ut vix mandi poſſint. Apes flore ipſius deguſtato, cita alvo moriuntur. *Cupreſſus* in Creta ſolum naſcitur. Quocunque enim loco terra ſubigatur, niſi accedat ſatio, propria emergit ſponte. In Ida monte non appellato ſolo, numeroſa benigne proſiliit. *Plin. lib. 16. c. 33.* Locis aquoſis conſita, ſtatim marceſcit, & fimi occiditur appoſitu. Semen conis ejus tam exile innaſcitur, ut atomis comparari poſſit. Expetitur à formicis, ampliato etiam miraculo, tantuli, animalis cibo, tantarum arborum abſumi natalem. Viret perpetua coma; & materies ejus nec cariem ſentit, nec teredinem. *Rhodig. l. 25. c. 2. Plin. l. 16. c. 40.* Vejovis ſimulachrum ex hoc ligno in arce duravit ab anno conditæ urbis quingenteſimo quinquageſimo primo, ad Rhodigini uſque tempora. In Arcadia apud Phophidem, tantæ proceritatis fuerunt, ut proximum inumbrarent montem. *Dalechamp. ad loc. cit. Plinii. Cucumeres* miræ interdum magnitudinis, tanti in India, ut ab uno ferri nequeant. Vidit *Scaliger* quinque ſeſquipedes longo. *Cucurbitam*, inquit idem *Exer. 171. ſiccam habuimus, qui in ludo quodam Mimico geſtaret, ingenti trunco premi videretur: aquavit palmas tredecim. Vivunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem. Glutinoſo enim & frigido referti ſucco. Plin. l. 19. cap. 5.* In tantum odere oleum, ut è vite pendentibus ſi vas olei ſubjiciatur, adeo refugiant, ut in hamum curventur. Teneririmi creſcent, ſi ſemen ante ſationem lacte maceratum fuerit.

CAPUT XV.

DE CÆPIS, CHELIDONIO, CANNABI ET CONFERVA.

CÆparum Aſcaloniarum peculiaris eſt natura. Solæ fiſſiles & quaſi ſteriles à radice conſiſtunt, nec ea creſcere poſſunt parte *Theoph. l. 7. cap. 4.* Non igitur deponuntur, ſed ſemine ſeruntur, circa ver in germine transferuntur. In Creta genus etiam eſt, quod craſſatur quidem in radice, ſatum ſemine; depoſitum vero, in caudem diffunditur & ſemen, ſine capite ſaporeque dulce eſt. E lini ſemine cæpis indito naſcitur herba, lini folio, ſapore acri: Draconem vocant. Luſit tamen ſatio *Scaligerum*, miraculi cum experiretur certitudinem. *Scalig. Exercit.* 169. *ſ.* 2. De *Chelidonio* narratur hirundinibus excæcatis pullis, admoto eo, viſum reſtituere. *Dioſc. lib.* 2. *cap.* 186. Hinc *Ariſtot.* 4. *de gener. anim. c.* 6. *Si quis hirundinum adhuc novellarum oculos præpungat, rurſus incolumes reddentur.* In calceis delatam, ſi nudis pedibus attingatur, ictericos ſanare, proditum. Mammis certe mulierum admota, menſium ſiſtit abundantiam. *Mathiol. ad Dioſc. loc. cit. Cannabis* ſativæ ſemen gallinas ovi feraciores reddit, extinguit genituram hominum, copioſius ſi ſumatur. *Mathiol. ad l.* 3. *Dioſc. c.* 48. Recentis decoctum expreſſa fortiter herba, terreſtrium lumbricorum caverniculis inſperſum eos evocat: quin & vermiculos in aurem ſi intraverit. *Plin. l.* 2c. *c.* 2. 3. E foliis pulvis *Aſſis* dictus ab Ægyptiis conficitur, & cum aqua dulci in maſſam cogitur. Quinque boli comeſti inſaniam & Ecſtaſin miram inducunt. *Alpin. l.* 4. *de Medicina Ægypt. c.* 1. *Conferva* peculiaris eſt Alpinis maxime fluminibus. Curatus ea, omnibus fere oſſibus confractis, delapſus arbore putatur. Circumdederunt univerſo corpore, & aqua ſua quoties inareſceret, conſperſerant. Raro hoc quamvis peregerint, vix tamen credibili reſtitutus eſt celeritate *Mathiol. ad. l.* 4. *Dioſc. cap.* 94.

CAPUT XVI.

DE CICUTA, CIACOMPALON ET COCCO.

Cicuta veneni genus eſt, quod & extinguit, & amentes facit. Franciſcus Trapollinus cum loco petroſelini in juſculo, ab ancilla appoſito hauſiſſet, amens obiit. Animalibus quibuſdam tantum induxit ſoporis, ut pro mortuis abjicerentur. Expergefacta attonita primum fuere diu, mox inſano præcipiti & vertiginoſo ſeſe proripuere curſu. Sopore qui fuerit extinctus, neminem ſe ex hominibus vidiſſe ſcribit *Scaliger:* Sturno tamen eſca eſt. Ex Platone colligitur, ſucci ejus vires mediocri antè concepto calore, obtundi poſſe. Ideo (verba ſunt *Scalig. Exerc.* 152. *ſ.* 1.) *publicus ille nocentiſſimæ fecis mortalium miniſter Critonem admonebat, ne Socratem permitteret attentius diſputare, propterea quod ex ea mentis agitatione caloris quid contraheretur.* Innoxiam eſſe interdum *Paulus Renealmus obſ.* 2. oſtendit. Mauro, inquit, cujus in gibba parte hepatis magna aderat obſtructio, propinari vinum, in quo per duodecim horas infuſi erant cicutæ radicis in umbra ſiccatæ & pulverizatæ ſcrupuli duo. Nulla ſubſequente Cardialgia, nulla appetitus dejectione, majorem ſolito urinæ copiam dejecit, meliuſque habuit. *Ciacompalon* eſt ſpecies arboris cujuſdam in Camalonga. Hæc autem quaternos, quinoſve frondes tantum è longo petiolo fundit. Frondibus inſignis magnitudo: nam adverſus Solem & imbres penulæ loco incolis eſt. In arboris ſummo culmine fabaceos flores edit, ad ducentos, è quibus fructus conferti palmi fere magnitudine. Annua planta eſt: Areſcit poſt fœturam. *Coccus* idem eſt quod Tenga. Arbor eſt, cui palmæ folium, quo tegunt ædes, factis ex eo ſtoriis incolæ (eſt autem in China & Malabaris) ſenum menſium utilitate. *Scalig. Exerc.* 325. *ſ.* 13. Confertum gerit fructum palmularum more, ſingulæ ad ducenas nuces. Vbi prodit, aqua concreatur intus: completur eadem illa ubi perfecta fuerit. Hujus incrementi finis, initium nuclei

eſt.

eſt. Ex ejus namque condenſatione concreſcit. Quantitas trinos explet menſarios Cyathos. Ejus ſapor ſuaviſſimus eſt. Vbi ad juſtam pervenerit magnitudinem arbor, quoſdam è ramis menſe Auguſto ad medium amputant, quod reliquum eſt ſummitatem ferro paululum ſcindunt. Singulis appenſus calix, quatuor ſcyphorum completur in die. Fructum gerit continuo alium aliis ſubeuntem: Tricenos aut quadragenos vivit annos.

CAPUT XVII.

DE DORDONICO, DRACONE, ELÆOMELI, DATURA, ECHIO, ERYNGIO ET EUPHORBIO.

D*Oronicum* venenum eſt, quod interficit canes & quidem ſubito. Dederat ſuo Mathiolus; blandientem toto, quo ſupervixit tempore, expertus; ſeptima hora tanquam comitiali ictus expiravit. Genus arboris eſt in Occidentali India prope Carthagenam, cujus fructus *Draconis* perfectiſſimi forma apparet, cervice longa, ore aperto, naribus elevatis, cauda prolixa, pedibus inſiſtens, ita ut qui viderit, ex arbore factum exiſtimet. *Monard.* In Palmyris Syriæ, manat ex quodam caudice oleum ſapore dulci, *Elaomeli* dicitur *Mathiol. in l.* 4. *c.* 73. Bilem cruditateſque ſextario cum una aquæ hemina dato, detrahit. Qui ſumpſere, torpeſcunt; at nullo incommodo ſi ſæpius excitentur, ne dormiant. *Dioſc. l.* 1. *c.* 32. *Datura* in India Orientali, legitima nux Metel Arabum eſſe cenſetur. Injicitur, inquit *Garcias Aromat. & ſimpl. Indicorum hiſtor. l.* 2. *c.* 24. à furibus ejus flos aut ſemen in cibos eorum, quos deprædari volunt. Mente enim quodammodo alienantur, quotquot id medicamentum ſumunt, & in riſum ſolvuntur magnâ cum libertate ſinentes, quod lubitum eſt, deprædari. Durat hæc mentis alienatio viginti quatuor horarum ſpacio. Chriſtophorus Acoſta addit nonnullas meretrices adeò hoc medicamentum temperare noſſe, ut ad certas, eaſ-

que quot velint horas, mentem adimant. *Echion* inventa eſt à quodam Alcibio herba. Dormiens in area, ictus eſt à vipera. *Mathiol. in lib.* 4. *c.* 25. Excitatus ſuccum herbæ dentibus expreſſit, hauſitque in corpus, reliquum corpori impoſuit & convaluit. Viperinis genuit illud natura capillis, ut uſum oſtenderet. *Eryngio* una capella in os ſumpto, totum gregem ſiſtit, nec loco moveri priuſquam exemeris, poteſt. *Plutarch. in lib. quod maxime cum princip. diſp. ſi philoſ.* Tanta odoris in eo celeritas, ut ignis in morem in proxima quæque diffundatur, inque illa vires exerceat ſuas. *Euphorbium*, ſi Afris credimus, ſpinoſa eſt planta. Ex ejus radice fructus exit cucumerum ſpecie oblongus adeo ut pedes binos interdum expleat. Ubi matura erit, ferro punctim aperitur. Exit lactis liquor lentus; quem in utrem lapſum condunt. *Scalig. Exerc.* 181. *ſ.* 2. Alvum dejicit, ſed cum animi defectu frigidoque ſudore. Duorum obulorum pondere potum, aquam intercutem extrahit; interimit, drachmarum pondere trium ſi hauſeris. Intra enim trium dierum ſpacium; inteſtina erodit & ventriculum. *Mathiol. in l.* 3. *cap.* 80.

CAPUT XVIII.

DE ELATERIO, ELLEBORO, EUPATORIO, EMITO ET FOENICULO.

OMnium medicamentorum diuturniſſimum eſt *Elaterium.* ducentorum annorum quidam apud ſe ſervavit. Humiditas in cauſa eſſe dicitur. Quamvis enim præciſum in cinere ponatur humidum, tamen ad quinquageſimum annum lucernis admotum, lumen extinguit, *Theophil.* 9. *c.* 14. *Ellebori* radicum diluto, hyeme media, accenſis maxime frigoribus, plures quartana febri liberari ſunt. Nunquam, inquit *Mathiolus ad lib.* 4. *c.* 146. quod meminerim, hoc Ellebori dilutum dedimus quartanariis noſtris, quin ex unica aſſumptione vel ſaltem altera, Deo juvante, fuerint ad ſanitatem reducti. *Eupatorii* ficci ſuffitu venenata fugantur animalia. Cervi telo vulnerati, hac devo-

devorata ſanantur. *Mathiol. ad loc. c. 37. Emitus* arbor eſt in Trachimia, ad quam appropinquantes, & eam contingentes, ſerpentes intereunt. *Ælian. l. 9. c. 27.* Vidit & *Strabo lib. 15.* ut hic addam, lauro perſimilem, quam guſtantes belluæ, abalienatæ, quaſi Herculeo morbo concidunt, ſpumante ore. In regno Tombut, quod eſt Æthiopiæ Occidentalis, agreſte *Fœniculum* ad eam provehitur magnitudinem, ut ex eo arcus fiant. *Scalig. exercit. 166.* In Iberia caulem, dum floret, medium ruſtici demetunt & igni admovent. *Dalecamp. ad Plin. lib. 20. cap. ult.*

CAPUT XIX.

DE FERULA & FICU.

F*Erula* æſtuoſis naſcitur locis. E prima ejus germinatione, corculum quoddam eximunt paſtores, ovi luteum induratum referens. Id ſub cineribus aſſum, prius tamen charta madefacta obductum, mox pipere & ſale conſperſum, non modo guſtui gratiſſimus cibus, ſed ad Venerem valens. *Mathiol. ad lib. 3. c. 76.* Murænis illarum natura infeſtiſſima, tactæ ſiquidem ea emoriuntur. *Plin. l. 20. c. 33.* Imo & cæteris jumentis præſentaneo veneno: Aſinis tantum gratiſſima in pabulo. In *Ficu* Indica maxime admiranda eſt vaſtitas. Comprehendit breviter ex Theophraſto *Scaliger.* Ficus, inquit, exilia poma habet. Ipſa ſe ſerens vaſtis diffunditur ramis, quorum pondera adeo in terram incurvantur, ut annuo ſpacio infigantur, novamque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbes quodam opere topiario. Intra eam ſepem æſtivant paſtores opacam pariter, & munitam vallo arboris: decora ſpecie ſubintuenti, proculve fornicato ambitu. Superiores ejuſdem rami in excelſum emicant, ſylvoſa multitudine, vaſto matris corpore: ut ſexaginta paſſuum, pleraque orbem colligant; umbræ vero bina ſtadia operiant. Foliorum latitudo, peltæ Amazonicæ effigiem habet. Ea cauſa fructum integens creſcere prohibet. Rarus eſt; nec fabæ magnitu-

gnitudinem excedens. *Scalig. exerc.* 166. Cæterum ficui exitium ſuum debet Carthago. Namque perniciali Carthaginis odio flagrans Cato, nepotumque ſecuritatis anxius, cum clamaret, omni Senatu, Carthaginem delendam; attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum; oſtendenſque patribus, Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum putatis depromptum ex arbore? Cum inter omnes recentem eſſe conſtaret: Atqui tertium, inquit, diem, ſcitote decerptum Carthagine; tam prope à muris habemus hoſtem. Statim tum ſumptum eſt tertium Punicum bellum, quo Carthago deleta eſt. In Hyrcania ſunt, quæ modios ducentos ſeptuaginta ſingulæ ferunt. *Plin. l.* 15. *c.* 18.

CAPUT XX.
DE FRAXINO, FUNGIS ET FAGO.

INſenſa eſt ſerpentibus *Fraxinus*, ut nullas ejus umbras ferre poſſint, veſpertino quamvis longiſſimæ tempore. *Plin. l.* 16. *c.* 13. Experientia ſibi compertum ſcribit *Plinius*, ſi fronde ea gyro claudatur ſerpens & ignis, in ignem inſilire ſpreta fraxino. Hinc benignitas ſumma naturæ. Floret antequam ſerpentes egrediantur, nec ante conditos folia demittit. Vaſa ex ejus confecta ligno in uſum cibi & potus, mira ſpleneticis & calculoſis præſtant auxilia. *Dom. Zeon. l.* 1. *pract.* Ad aquas Scantias, ex quibus ignis proſiliit quandam florere ex *Plinio* habemus. *Plin. hiſt. l.* 2. *cap.* 107. *Fungi* in Numidia tam craſſi naſcuntur, ut Cynodii ſuperent magnitudinem. In Neapolitano regno craſſa cruſta eſt. Ea terræ operta dodrante & repida aſperſa irroratione, quarto poſt die fungos edit. *Scaliger exerc.* 181. *ſ.* 1. Neceſſe vero eſt, ſeminarium quoddam exiſtere, virtutemque ex ſuo promere ſinu; aqua aſperſa tum materiam & nutrimentum adferente, tum ϖεϱιϰτιϰὴν quandam. *Libav. l.* 2. *Epiſt. Chym.* 30. Si decoquantur, aut ſuccus exprimatur, arborumque affundatur ſtemmatibus (in faginis præci-

puè

puè obtinet). magno numero fungi inde naſcentur. *Sennert de conſ. & diſſ. chym. c.* 12. In Aquilonaribus partibus ſub polo frequentes ſunt Magneticæ, quibus ſi adhæreant fagi in Magnetes mutari. *Olaus l.* 12. *c.* 1. autor eſt.

CAPUT XXI.
DE GUAIACO ET GENTIANA.

G*Vaiaci* ligno inſignis ad arcendam luem Veneream facultas. In Italia primo ingreſſu timide propinabatur. Panis & uvæ paſſæ modico circumſcribebatur diæta, & quadraginta dierum in tenebris aſſignabatur domicilium, tanta ſcrupuloſitate, ut ne aëris quidem claritatem inſpicere licuerit. *Mathiol. in lib.* 1. *cap.* 3. Obſervatum poſt erratum, & gallinarum caro adhibita, ſed ſine vini hauſtu. Primus *Mathiolus* tentavit cum ſucceſſu, ſervavere & alii. *Gentiana* cruciata alias dicitur S. Ladiſlai Regis herba. Ferunt tota Hungariâ à Tartaris pulſum, fugiſſe in Daciæ urbem Claudiopolim. Iſtic in familiaritatem divitis pervenit, Compaterque ejus evaſit. Ejus auxilio fugati iterum Tartari. In fuga nummos aureos, quos ex præda collegerant in Aradienſi abjecere campo, remoram inſequentibus. Periit Rex à Deo, ut in lapides mutarentur. Factum. Hinc ingens horum ibidem numerus. Afflicta paulo poſt ſæviſſima peſte Hungaria obtinuit à Deo, ut, quàm herbam ſagitta in aërem emiſſa, tangeret delapſa, remedium illa eſſet malo. Cecidit in Cruciatam, & ejus uſu fugata è regione peſtis. Hæc ita dicuntur. *Camerar. Centur.* 3. *memorab. ſ.* 23.

CAPUT XXII.
DE GENISTA, GUAO, GINGIBERE, HYPERICO ET HYOSCIAMO.

TRibus à *Geniſta* ſede pedibus, uno menſe, ante & poſt Calendas Iunii rapum quoddam invenitur, unius

unius cubiti altitudinis, locis ſaxoſis & arenoſis. Si contundatur, & ſuccus expreſſus, qui vino limpido eſt ſimilis, totius anni ſpacio in vitrea recondatur lagena, generoſi contra peſtem remedii munus obtinet. *Guao* Mexicanis Tlatlatian dicta, arbor eſt folia rubra, villoſa, & nunquam decidentia ferens. Succus ejus adeo cauſticus, ut animalia & homines ſi ſub illa dormiant, pilorum faciant jacturam. Fabrorum qui illam contrectant, manus & ora ita inflantur, ut multis diebus non detumeſcant. Cimicibus etiam infeſta eſſe dicitur. *De Laet lib. 1. America cap. 1. Gingiber* radix eſt, quæ geniculatis repit internodiis, foliis arundinaceis, quæ bis terve in anno reviteſcunt. *Mathiol. lib. 2. cap. 154.* Eſt nonnihil in ſapore diſcriminis, cum præcox eruitur. Opportunum demetendi tempus, cum radix inaruerit, alioquin & cariei & teredini obnoxium. *Hyperici* & ſemini & floribus mira ad vulnera ſananda facultas: præter ea, quæ in capite. Adeo illud odiſſe Dæmones ſcribunt, ut ejus ſuffitu ſtatim avolent. Superſtitioſum puto. Idem de Helxine dicitur, in recentibus præſertim vulneribus. Recens ſemicontuſa vulneri ſi adalligetur, & tertio ſolvatur die, non erit alio medicamento opus. *Math. in l. 4. cap. 81. Hyoſciamus* mentem cum quadam verborum altercatione abalienat. Hinc nomen Alterci. Idque tam verum, ut folia cocta colo exulcerato infernè infuſa, producant eandem. In Ananiæ vallis montibus, pueros qui hyoſciami ſemen comederant, adeò deſipientes vidit Mathiolus ut parentes à Cacodæmonibus eos vexari crederent.

CAPUT XXIII. DE HELENIO, HELIOTROPIO, ET HIUCA.

HElenium ſtirps eſt annua hominis ſtaturam ſuperans, viginti aliquando pedes & quatuor, ſex ex quo terræ ſemen mandatum eſt menſibus, attollitur. Caulis faſtigio capitulum quod ſtrobilo ſimile, rotundius modo & latius inſidet, quodque ingentis diſci,

am-

amplitudine in florem explicatur magnum. *Bauhin. ad l. 4. Dioſc. c. 182.* Medius enim diſcus nonnunquam ſeſquipedem excedit, & foliis oblongis aurei coloris ceu radiis ſolaribus orbiculariter cingitur, media purpuraſcente planitie. Semen in diſci alveolis diſpoſitum eſt, cortice obductum nigro, medulla dulci. Ejus tanta copia, ut aliquando ultra mille in uno diſco reperias: Sunt, qui teneros foliorum pediculos pilis deraſis, in craticula coctos, ſale, oleo, & aromatibus condunt, palato carduis gratiores. Cum Sole in Orientem modo, modo convertitur in Occaſum & quidem mirabiliter. Ad ejus enim ortum quaſi præ reverentia capite nutans reclinatur, & cum ſurrexit, conſiſtit, Solem ſemper reſpiciendo, & ad ejus radices ſe plurimum pandens, donec Sol occidat. *Heliotropio* formicæ necantur, obturatis ea illarum foraminibus. Scorpionis caverniula ſi ejus circumſcribatur ſucco, nunquam egreditur foras; herbam ſi impoſueris, emoritur. *Mathiol. ad lib. 4. c. 186. Hiuca* humanæ coxæ complet craſſitudinem. Cum Sole ſe circumagit etiam nubilo die; noctu velut deſiderio contrahitur. *Plin. l. 22. c. 21.* Redigunt eam in pollinem, pumicum aut corium attritu; tum indunt in manicam, aquam imponunt, ſuccum expreſſione tranſmittunt. Liquor lethalis eſt. Puls reliqua, ſoli ſaccari candi exponitur ſpecie, ſiccata farina, aqua ſubacta in panis formatur modum. *Scalig. exerc. 153. l. 8.*

CAPUT XXIV.

DE IMPIA, JUNIPERO ET KALI.

IMpiam à nullo tangi animali exiſtimant, indeque ei nomen. Alias inter duos trita lapides, fervet, præcipuo adverſus anginas ſucco, lacte & vino admiſtis. *Mathiol. in lib. 3. cap. 115.* Qui guſtaverint, nunquam eo morbo tentantur. Sunt qui in avium nidis inſeri aliquid ex ea opinantur, atque ita non ſtrangulari pullos avidius devorantes. *Juniperus* dura eſt; hinc lignum ad centum incorruptum annos. Ideo tem-

templum Dianæ Epheſinæ juniperinis trabibus extrui imperavit Annibal. *Plin. l.* 15. *c.* 40. Carbo illius accenſus, & ſuo cinere obrutus, integro anno ignem fovet, ſi Chymiſtis credimus. Paratur ex eo balneum admirabile ad podagricorum ſalutem hoc modo. *Sumito ligni juniperi conciſi libras* 12. *coquito in aqua in cortina magna, quouſque tertia tantum pars ſuperſit; deinde decoctum una cum ligno in labrum projicito. In hoc ubi deſcendit æger, ſedeat umbilico tenus, & membra languide foveat; atque hunc præpurgatum eſſe oportet. Mathiol. l.* 1. *Dioſc. c.* 87. Adjuti hoc balneo multi podagrici, ita ut cum antea continuo lecto jacuiſſent affixi, ad negotia poſtea reducerentur ſani. Medulla illius in Numidia candida eſt: in Æthiopia nigra, in Lybia purpurea. *Scalig. exerc.* 181. *ſ.* 9. Ea etiam in ſcobem comminuta Afri Medici, felici ſucceſſu, vice Guajaci ad morbum Indicum utuntur. Morbus hic (dicam obiter) à Iudæis ex Hiſpania in Africam importatus, ibi non niſi remedio deleri poteſt. At ſi laborantes in Numidiam aut Nigriticam ſeſe conferunt Æthiopiam, ſolius cœli beneficio convaleſcunt. Ex cineribus *Kali* plantæ ſal conficitur. Hic diſſolutus cum contritis lapidibus pro vitris conflandis innatans veluti pinguedo; quæ refrigerata dureſcit lapidis inſtar, atque axungia vitri vulgo dicitur; pulverizata dentes mire nitidos reddit. *Plater. l.* 2. *de vit.* Tota planta ab ima ſui parte ad cacumen uſque pellucido perpolitur virore, quæ nec hybernis quidem emoritur menſibus, quin diu durat laquearibus quamvis affigatur. Ovibus gratiſſimum præbet pabulum. Cum enim hæ pecudes, cœli ſtatu humido ſtrumoſis obnoxiæ ſint tumoribus, hujus herbæ paſtu recreantur & malum diſcutiunt. *Lemn. l.* 3. *Occult.*

CAPUT XXV.
DE LAURO, LENTISCO ET LINO.

L*Aurus* vim ignem ex ſeſe producendi habet: Nam ſi exſiccatæ ramus frequentius affricetur ramo, ſuper

per aſperſo ſulphuris pulvere, ignis ſtatim exilit. *Mathiol. in lib* 1. *cap.* 90. Perpetuo fronde viret, tantaque pollet vi, ut ejus arvis in ramo defixis, peſtis ſegetum rubigo abigatur, tranſeatque in earum folia. Romæ à Iove de cœlo miſſam veterum opinio erat. *Plin. l.* 15. *cap.* 30. Namque Liviæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſtæ matrimonii nomen accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris, ſedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæſam. Intrepide miranti acceſſit miraculum, quoniam teneret roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis. Conſervari alitem & ſobolem juſſere aruſpices, ramumque conſeri ac ritè cuſtodiri. Quod factum eſt in villa Cæſarum, fluvio Tiberi impoſita, juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur, Ad Gallinas; mireque ſylva provenit. Ex ea triumphans poſtea Cæſar, Laurum in manu tenuit, coronamque capite geſſit. Sola inter arbores fulmine non percutitur, niſi in futuræ calamitatis prodigium; ac ne quidem domus in quibus rami ictum pati dicuntur. Proinde Tiberius fulminibus territus, tonante cœlo Lauro coronabatur. Lapideas in mari rubro eſſe ſcribit *Theophraſtus* 4. *de plant. c.* 8. *Lentiſcus* folliculos profert cuniculi modo intortos, in quibus includitur liquor limpidus, qui tandem veteraſcens vertitur in beſtiolas iis perſimiles, quæ ex ulmi & terebinthi folliculis evolant. Ex Lentiſco vulnerato, in Chio Inſula Ægei maris fluit maſtiche; quæ in terra circumpavita concreſcit. *Mathiol. l.* 1. *c.* 45. *Lini* oleum, ſi ſæpius deſtillaveris, inquit *Baptiſta Porta l.* 10. *Mag. c.* 9. adeo mirabilem vim incendendi retinet, ut vix vaſe claudi poſſit, quin ignem ad ſe alliciat, & reſerato vaſe, adeo tenue eſt, ut aërem ſpiritibus repleat. Quod ſi lumen candelæ aut ignis tetigerit, accenditur aër, & ex eo oleum accenſum flammam eminus jaculatur, eamque vehementem, ut impoſſibile fere extingui. In Indiæ deſertis naſcitur ruſſum, in igni durans & nobilius inde evadens. Enaſcitur ex ſaxis veluti efflorеſcendo tanquam in rectum aſſurgens; pilus brevis, & ob hoc difficilis textu. *Libav. l.* 2. *c.* 7. *de Bombycib.*

C A-

CAPUT XXVII.

DE MALABATHRO, MALIS PUNICIS ASSYRIACISQUE, NEC NON ARBORE MANGUEIS DICTA.

M*Alabathrum* folium eſt ſui generis, quod Indicæ gignunt paludes, lentis paluſtris modo, aquis ſine radice innatans. Id collectum ſtatim tranſuitur lino, reconditur ſiccatum. *Dioſc. l.* 1. *c.* 11. Tradunt ſiccatis æſtivo fervore aquis, humum aridis fruticibus uri: quod ubi non evenerit, ne amplius quidem renaſcitur. *Mala Punica* in tria redegit faſtigia *Dioſc.* Vni dulcia, alteri acria & acida, tertio miſta adſcripſit & vinoſa. Acida miteſcere & dulcia fieri tradunt, ſi ſuillo aut humano arboris radices ſtercore foveantur, & vetere ſæpius irrigentur urina. *Math. l.* 1. *Dioſc. c.* 127. Servantur incorrupta anno toto, ſi cum fere matura fuerint petioli, quibus pendent, intorqueantur in arbore, vel ſi poſtquam decerpta fuerint, argilla aqua reſoluta, undique oblinantur, ac pluribus inſolentur diebus. Immerguntur etiam in ferventem aquam, ſtatim eximuntur, & Soli ſiccanda per octo exponuntur dies. *Malus Aſſyria* omnibus horis pomifera eſt, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus. *Tentavere gentes*, inquit *Plin. l.* 12. *c.* 3. *transferre ad ſeſe propter remedii præſtantiam fictilibus vaſis, dato per cavernas radicibus ſpiramento; qualiter omnia tranſitura longius ſeri arctiſſime transferrique meminiſſe conveniet, ut ſemel quæque dicantur; ſed niſi apud Medos & in Perſide naſci noluit.* *Doldius* ſcripſit referente *Libav. de orig. rer.* *Malum Aſſyrium* cum ſecaretur prægnans alio inventum fuiſſe, quod latuerit in eo tanquam matrice ſuo pediculo adnatum. Quæſitum de modo generationis; & videtur, fuiſſe plura in ſurculo poma anguſte locata, & priore tardius creſcente ex affluxu præreptuque nutrimenti celerius promoviſſe ſupra incumbens, quod preſſu ponderis in ſe admiſit minus, atque ita ambiit. *Mangueis* arbor eſt in regio-

regione Temiſtitan; ex cujus perterebratæ caudice, ſuccus profluit aqueus. Si quis ex eo largius biberit, obſtupeſcentibus ſenſibus ebrietate laborat. Cortex ad fila percommodus eſt. Lignum ad acus, frondes propellendis morbis & integendis caſis aptiſſimæ. *Majol. in colloq. de plantis.*

CAPUT XXVIII.
DE MOSCHO, MUSCO, ET MACANILLO.

M*Oſchus* in cujuſdam animalis naſcitur umbilico. Duo hujus animalis deſcribuntur genera. Vnum capreæ ſimile eſt, unico armatum cornu, prægrandi corpore. Huic cum in Venerem agitur, furoris vehementia intumeſcit umbilicus; & vomica congeſto craſſiore ſanguine turget. *Ruell. ex Aëtio.* Tum & pabulo & potu abſtinet, humique crebro volvitur, volutatione ſanguine fæculento turgentem umbilicum exprimit. Emiſſa ſanies poſt aliquod tempus, magnam ſibi odoris ſuavitatem adſciſcit. De altero *Scaliger*, quod ſit in regno Pegu Gazellæ ſimile, album, ex cujus inferiore mandibula æque dentes utrinque ſinguli exeruntur. *Sub ejus ventre* (refero hiſtoriam ex *Scaligero Exer.* 21.) *fit ſanguinis collectio in tumorem. Capta fera eam partem cum corio ſimul abſcindunt. Quæ inter ſecandum gutta ſanguinis effluunt caduntque, ea pro Moſcho optimo aut excipiuntur, aut colliguntur. Vbi ſecuerunt hirundines admovent tot tamque diu, quoad earum ſuctu cruor univerſus cum ipſa detrahatur vita. Eum ſanguinem exſiccatum aut in pulverem redactum, prioris illius perpauxilla quantitate, viribus vero efficaciſſimis perficiunt. Quippe centeſimam ſatis eſſe produnt. Adulterationes deprehendent, ſi naſo admoverint.* Elicit ſyncerum admotum ſanguinem. Extat aliud genus Moſchi, quod Zibethum vocant, in teſticulorum utriculo cujuſdam animalis progignitur. *Mathiol. ad lib.* 1. *cap.* 20. Et tanquam ſudor inter ejus teſticulos concreſcens, calidæ humidæque facultatis. Id cavernulæ Vmbilici impoſitum, vulvæ ſtrangulationibus pro-

prodeſt mirifice. *Geranii* quædam ſpecies Moſchum circa veſperam præſertim & mane redolet. Villoſus Laricis *Muſcus*, ſi incendatur, tanto flagrat impetu, ut tormentorum pulverem ſuperare videatur. *Mathiol. loc. cit.* Quippe flammæ cum ingenti favillarum copia, in obſcuræ noctis ſilentio, ad aſtra tolli cernuntur, relicto ſui odoris oblectamento. Recens decerptus, & roſaceo imbutus oleo, capitis dolores à calore exortos, mirifice mulcet: ſanguinem è vulneribus manantem compeſcit impoſitus. *Macanillo* arbor eſt in inſula S. Iohannis de portu Rico, tam noxia, ut ſi quis fortè ſub illa obdormiſcat, toto corpore infletur. Roris decidentis è ramis gutta ſi cutem tangat, inſtar aquæ erodentis excoriat eandem. *Ioan. de Laet. deſcript. Americæ l.* 1. *cap.* 1. Eadem fortè cum illa quæ in Canibalum Inſulis naſcitur. Nam & hujus fructu comeſto, lingua ita inflatur, ut viginti quatuor horarum ſpacio, omnis illius impediatur uſus. In iiſdem Iuſulis aqua paluſtri ante Solis exortum lota facies ita intumeſcet, ut viſum impediat. *Idem l.* 1. *cap.* 18.

CAPUT XXIX.

DE MANDRAGORA, MALVA ET MORO.

MAndragora hypnotica eſt. Experientia id teſtatur. *Lemnius in expl. herb. Biblic. cap.* 2. Cum enim ſemel atque iterum ſpecioſum ac amabilem ejus fructum, negligentius in Muſeo collocaſſet, ſomnolentia premebatur, redibat alacritas amoto. Idem Lybicis accidit in bello contra Carthaginenſes. Vinum enim in doliis corrupit Hamilcar, Lybiciſque id prædæ loco ceſſit. Epotum omnes ſomno oppreſſit, victoriam Carthaginenſibus tradidit. *Polyan. l.* 5. Ἀνθρωπόμορφος à Pythagora dicitur. Radices enim à medio ad imum proveniunt bifurcatæ, adeo ut crura hominum modo, habere videatur. Fructus mali inſtar ſuper folia ad terram procumbentia patum à radice diſtat. *Heidfeld. in Sphinge Philoſoph.* Hinc ſi eo quo fructum

ctum genuit effodiatur tempore, hominis cui brachia deſunt, repræſentat imaginem. Sunt & factitiæ, ex arundinum mandragoræ, bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus. Modum effingendi à quodam impoſtore proditum, ſcripſit *Mathiol. l. 4. Dioſc. c. 71. Sculpunt*, inquit, *in his adhuc virentibus tam virorum, quam mulierum formas infixis hordei, & milii granis iis in locis, ubi pilos exoriri volunt: deinde facta ſcrobe, tam diu tenui ſabulo obruunt, quouſque grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad ſummum dierum ſpacio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutiſſimo cultello ſcindunt, aptantque ita, ut capillos, barbam, & cæteris corporis pilos referant. Malva* adeo Veneri naſcitur, ut ſemen unicaulis aſperſum genitali, fœminarum aviditates augere ad infinitum Xenocrates tradat: item tres radices adalligatos teneſmo & dyſentericis utiliſſime infundi. Mirum vero aquam radice ea addita addenſari ſub dio & lacteſcere. *Plin. l. 10. c. 21. Morus* nonniſi exacto frigore germinat; parit tamen inter primas. Cum germinare incipit, in tantum univerſarum prorumpit germinatio, ut una nocte peragat etiam cum ſtrepitu, & tota floribus operiatur. *Plin. l. 16. c. 25.*

CAPUT XXX.
DE NAPELLO.

NAPELLUS tota exitium adfert, ſed radix maxime. Manu enim retenta quouſque concaleſcat, tenentem perimit. Certum, paſtores, qui veru loco, caule ejus in aſſandis aviculis uſi ſunt, interiiſſe. Immanitatem ejus aliquot exemplis exprimit. *Mathiolus comm. in lib. 4. Dioſc. c. 73.* Vnum adjicio. Data erat latroni cuidam, annum vigeſimum ſeptimum agenti Napelli drachma. Hic epoto lethali pharmaco, piperis omnem ſaporem illi ineſſe dicebat: inſecuta ſunt graviſſima ſymptomata. Evomuit enim frequenter bilioſa porraceo colore. Quendam veluti globum circa umbilicum ſenſit, qui inde ſuperna petens, in ſupremam capitis partem, frigidam quandam diffundebat auram. Acceſſit his ſtupor quidam paralyſi non abſi-

abſimilis, qui ſiniſtri lateris brachium & crus occupavit, adeo ut vix ſummam manum admovere potuerit, motu jam in cæteris partibus extincto. Interim non multo poſt tempore, hæc morbi vis, ſiniſtra corporis parte incolumi relicta, in dextram repente ſe contulit, eandemque ſimili modo occupavit. Ajebat quoque univerſas corporis venas frigeſcere. Non defuerunt vertigines, quas ſecutæ ſunt cerebri commotiones adeo frequentes, ut aquæ in caldario bullienti ſimiles diceret. Acceſſit oris & oculorum convulſio, atque acutiſſimus mandibularum dolor. Quare ſæpius manibus affectas illas partes perſtringebat, veritus ne exciderent. Foris ſecus turgentes oculi, livida facies, & nigra labra cernebantur: quin etiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aqua intercute laborantis: Varia admodum extitit arteriarum pulſatio, & varia quoque mentis perturbatio, pro ſymptomatum recurrentium acerbitate. Nam jam prorſus de vita deſperare, mox in ſpem ſe erigere videbatur; modo rationis compos, modo delirans, nunc ploranti, nunc cantanti ſimilis. Toto hoc tempore ſe ter excæcatum, terque cum mortis agone colluctatum affirmat. Lingua tamen conſtitit, nullo unquam ſymptomate affecta. Hactenus *Mathiolus.* Hæc vero omnia, *lapide Bezoar* præbito, ſeptima poſt aſſumptum venenum hora, evanuère.

CAPUT XXXI.

DE NYCTEGRETO, NUBIÆ GRANO, NUCE MOSCHATA, OLEA ET OPIO.

N*Yctegretum* inter pauca miratus eſt Democritus, caloris ignei, foliis ſpinæ, nec à terra ſe attollentem. Erui poſt æquinoctium vernum radicitus, ſiccarique ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus, *Plin. l.* 21. *cap.* 11. ait. Vocatur & *Chenomychon*, quoniam anſeres à primo ejus conſpectu, expaveſcunt. In Nubia, quæ eſt Æthiopia ſub Ægypto, granum eſt, quod devoratum expellit animantes vita. Decima

pars intra horæ quadrantem interficit. *Scalig. exerc.* 153. *ſ.* 11. In Baudan Inſulâ Moluccarum naſcitur *Nux Moſchata*, è calice pro teſta tegitur; obducitur tota, ubi maturuerit. Sub primo nucamento, non ſtatim teſta qua nucleus continetur, ſed cutis coriacea, quam vocant Arabes *Macin. Olea*, ſi primo germinatu depaſcatur à capra, adeo ſterileſcit, ut nullo modo prolifica reddatur: at ſi alia de cauſa, nudatas earum radices, à circumſtante terra hybernis algoribus opponere certiſſimum eſt remedium. *Plin. lib.* 17. *c.* 24. Olea & quercus ita diſſentiunt, ut una prope alteram depacta, brevi tempore intereat. Amurca olei calce permiſta, ſi parietes & laquearia incruſtentur, non modo contractos & adventitios collachryment humores: ſed nec blattas vel araneas ferant. *Mathiol. in Dioſc.* Floret menſe Iulio, floribus albis racematim prodeuntibus, à quibus baccæ primum virides, appropinquante maturitate palleſcunt; tandem purpuræ prius factæ ſaturatæ nigreſcunt. Decerpuntur Novembri & Decembri: ſternuntur mox in pavimentis, donec rugoſæ fiant; dein molæ ſupponuntur, torculatibus affuſa ferventi aqua premuntur: ita oleum reddunt. Ligni materies ardet viridis perinde ac ſicca. *Megaris diu ſtetit Oleaſter in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente; ætas longa occultaverat. Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonita oraculo, cum arbor arma peperiſſet: quod ſucciſa accidit ocreis galeiſque intus repertis. Plin. lib.* 16. *cap* 39. Durat olea annis ducentis *Plin. lib.* 16. *c.* 44. *Opium* ſuccus eſt ex papavere albo leviter vulnerato collectus, poſtquàm capita protruſerit. Lactis aliquot emittuntur guttæ, poſt paulatim concreſcunt. Vis illius ſoporifera: tamen, & aliquot drachmis innoxiè ſumitur. Quatuor à Lyſide ſumptæ (*Mercur. l.* 1. *de venen. c.* 6.) totidem ſummo calore ab Hiſpano. Incredibile fere quod *Garzias* refert, decem ſingulis diebus quendam comediſſe, aptiſſimè ſimul de rebus diſſeruiſſe. Conſuetudinis ex eo vis ingens. Intermiſſus quippe uſus eam ipsâ horâ deliquio afficit, qua ante ſumebatur, nec ullum remedium niſi ad conſuetudinem redire. *Chriſtoph. à Coſta de Opio*

Ægy-

Ægyptiis Amſiam, Turcis Maſſach dicitur, de quibus antea.

CAPUT XXXII.
DE PALMA, & PAPAVERE.

Palmas non ſine maribus gignere fœminas, ſponte edito nemore confirmant, circaque ſingulos plures nutare, in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hiſpidum, afflatu viſuque ipſo, & pulvere etiam reliquos maritare. *Plin. l. 13. c. 4.* Hujus arbore exciſa, viduas poſt ſterileſcere fœminas. Hinc in Ægypto ita plantantur, ut è maribus in fœminas ventus ferat pulverem, ſin longius, fune colligantur. Refert *Pontanus*, palmas duas marem Brunduſii ſatum, fœminam Hydrunti ſteriles fuiſſe, quoad adultæ ſe aſpexerint invicem, ac tum longo diſſitas tractu, fructum edidiſſe. *Dalechamp. ad lib. cit.* Sic vero de illis Poëta.

Brunduſii latis longe viret ardua terris
Arbor, Idumæis uſque petita locis.
Altera Hydruntinis in ſaltibus æmula palma,
Illa virum referens, hac muliebre decus:
Non uno crevere ſolo, diſtantibus agris,
Nulla loci facies, non ſocialis amor.
Permanſit ſine prole diu, ſine fructibus arbor
Vtraque, frondoſis & ſine fruge comis.
At poſtquam patulos fuderunt brachia ramos
Cœpere & cœlo liberiore frui.
Frondoſique apices, ſe conſpexere, virique
Illa ſui vultus, conjugis ille ſuæ.
Hauſere & blandum venis ſitientibus ignem,
Optatos fœtus ſponte tulere ſua.
Ornarunt ramos gemmis mirabile dictu,
Implevere ſuos, melle liquente favos.

Cardanus vero narrat in Data Numidiæ urbe palmam fuiſſe, cujus fructus, niſi maſculi florentis ramus, fœminæ miſceretur ramis, non percoquebantur, ſed macilenti cum oſſe prægrandi naſcebantur, & nullo etiam auxilio allato delabebantur: quod ſi vel folium, vel

cortex maſculus affiniſſet, ad maturitatem perductos. Vitalem ejus vim, non in radicibus, ſed in ſummo trunci vertice vigere tanquam in corde, ac in ramorum medio, quibus tanquam ſatellitibus ſtipatur, retulit *Philo lib* 1. *de vita Moſis.* Palmæ genus India profert, è cujus truncis, excisis conſulto menſe Augusto ramis, deſtillat liquor vinoſus; quem incolæ vaſis excipiunt, niſi excoquatur poſt triduum aceſcit. *Mathiol. ad lib.* 1. *c.* 126. Decoctus in mel ſuaviſſimum vertitur, quod poſtmodum ex aqua reſolvitur, diebus viginti artificioſe percolatur. Sic defæcatum perennat. At Palmulæ quas Dioſcorides Thebaicas vocat, adeo tractu temporis inſolatæ ſicceſcunt, ut molitæ cogantur in panem. Meminit *Thevetus* palmæ viniferæ in Æthiopiæ promontorio, quæ eſt palmularum genere pulcherrima, ſive proceritatem, ſive perpetuam viriditatem ſpectes. Inciduntur duobus à terra pedibus, quo ſuccus inde eliciatur. Hic vaſis terreis pro quotidiano potu excipitur, ut autem diutius conſervetur, modicum ſalis injiciunt: Calore & conſiſtentia, vinum album Campaniæ refert. Refert *Linſchottus l.* 4. *America Nova c.* 26. In Indiæ Occidentalis loco, qui vocatur ad D. Ioannis de Portu divite naſci palmam, quæ ſingulis menſibus novas frondes nucibus coccis graves ferat. *Pierius* vero *in Hieroglyph.* Symbolum anni eſſe aſſerit, quod per ortus Lunæ ſingulos, ſingulos ramos progeneret, una omnium arborum. *Papaver* diligenti cultura miteſcit. Hinc Tridentina rura erratici folia, prima germinatione olerum modo decoquunt, & loco cibi, cum caſeo & butyro fruuntur. *Doring. c.* 5. *ſ.* 1. *de opio.* Fuit idem Theophraſti ſeculo, Pliniique tempore. Inſubres ſemine placentulis immiſto veſcuntur, has ex paſtâ folioſâ multiplici involucro conficiunt: nec tamen diuturniore ſomno vexantur. Tranſplantatio fortè in cauſa, quæ tantarum virium, ut Iucæ radix cum ſucco comeſta, occidat in Hiſpaniola, in continenti ſine noxa edatur. *Iohann Franciſc. Vlmus lib.* 1. *de occult. in re Medica facult. c.* 8.

CA-

CAPUT XXXIII.

DE PLATANO, POMIS, ET ARBORE PATER NOSTER DICTA.

P*Latano* tantum honoris olim tributum Romæ, ut diu mero radicibus infuſo nutritæ ſint. In Inſula Creta eſt una nunquam folia dimittens. *Plin. l. 12. c. 1. Clara vero in Lycia, itineri appoſita, domicilii modo cava octuaginta atque unius pedum ſpecu, numeroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens umbris; ac ne quid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxea intus crepidinis corona muſcoſos complexa pumices: tam digna miraculo, ut L. Mutianus ter Conſul prodendum etiam poſteris, putarit, epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite. Poma* ſi hyeme cum uvis aſſerventur, ita eas ſuo ſapore vitiant, ut ſtatim marcore conficiantur. Fertur mulierem prægnantem, Cydonia poma ſi eſitaverit, parituram infantem & induſtrium & ingenioſum. Citrea veſtes à blattis & tineis ſervant. Quantum contra venena faciant, ex exemplis apud Athenæum cognoſcitur. Objectos aſpidibus quoſdam Citrium vindicavit à morte. Servantur diutius incorrupta, ſi hordei vel milii obruantur acervis. Valent ad ſcabiem, ſi per medium ſectas, & tenuiſſimo ſulfuris pulvere aſperſa, nec non ferventi calefacta cinere, corpori ſcabioſo affricentur. At poma Sodomitica pulcherrima viſu ſunt, attacta vero in cinerem abeunt. *Solin. c. 36.* In Hiſpaniola eſt arbor *Pater noſter* dicta; fructus nucis avellanæ magnitudine. Huic ſi fervens ſuperfundatur aqua, inque ea lineus vel laneus obverſetur pannus, maculis extenſis præſtat egregie, nimia vi tamen corrodit. *Ovetan. l. 9. c. 1.*

CAPUT XXXIV.

DE PIPERE, PLANTAGINE, PIMPINELLA, POTENTILLA, PARIDE & PAPYRO.

P*Iper* nigrum ac rotundum gignitur, à quibuſdam infirmis viticulis. Hæ ad faſtigium vicinarum arborum altiori complexu ſcandunt. Vvarum labruſcæ modo profertur racematim. Confertius virens, donec ſiccetur; quod dum fuerit, (fit in Octobri) decerpitur & ſub ferventi Sole tegetibus palmeis expanſum torretur, quouſque nigreſcat, & evadat rugoſum. *Mathiol. lib.* 2. *Dioſc. c.* 153. Majoris *Plantaginis* radix ſacculo incluſa, & regioni cordis cum filo adaptata à peſte præſervat. Certiſſimum remedium *Scoltius epiſt.* 268, *ex Monavio* recenſet. *Pimpinella* Chabæ Regis inventum eſt: hac 15000 Vngarorum ſibi poſt prælium relicta vulnerata, ſanavit. *Cluſ in Nomen. Pannon.* Solutam aqua calida febrim continuam ſanare, compertum eſt. Contra Hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, veluti alio modo poſt demorſum uſurpet, nihil incommodi ſentiat, *Fernelius* reliquit. Potentilla pedum plantis manuumque volis admota, quarumcunque febrium remittit calores. *Mathiol. in l.* 5. *c.* 37. *Paridis* acino ſemen colligitur, cui excellens contra veneficia vis eſt. Obrepſerat quibuſdam morborum diuturnitate ſtultitia, veneficio malo quibuſdam; hi hauſto herbæ ad vigeſimum diem ſemine, drachmæ pondere, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. *Papyrus* naſcitur in paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, ubi evagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ craſſitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens. *Plin.* 13. *c.* 11. Ægyptii è biblo examputato papyri vertice navium compagnes faciebant introrſum, ex eodem & vela & calceos. *Herodot. lib.* 2. Calceis his ſoli utebantur Sacerdotes, ut *Ariſtides*

des ſcribit. Inferiorem partem cubiti longitudine & vendere & comeſſe ſolebant, eximia quadam ſuavitate cum in furno torrentur. Primus hic Ægyptiis cibus, hinc originis Index faſciculi, papyracei pictura. *Dalechamp. ad lib.* 13. *Plin. c.* 11.

CAPUT XXXV.
DE QUERCU, RHABARBARO, RAPO ET RORE SOLIS.

IN Mauritania *Quercus* oblongam ferunt glandem, ſapore dulciore, & delicatiore, quam Caſtanea. *Scalig. exerc.* 181. *ſ.* 26. Littoris ſinus Pucici tractus ſaxeus eſt, bituminoſis glebis. Adnaſcuntur illis pallidæ arbuſculæ, vix ad pedis altitudinem. Quercus eis & buxi ſpecies, ſed ſine radice. Vidit Scaliger enodem & rectam pedum ſeptuaginta quinque longitudine. Triginta pro illa offerebantur Coronati. *Scalig. exerc.* 166. Paulo ſupra Cauchos ingentes ad littora lacuum duorum fuiſſe memorat. *Plin. lib.* 16. *cap.* 1. quæ ſuffoſſæ fluctibus aut propulſæ flatibus vaſtas complexu radicum Inſulas ſecum auferebant; atque ita libratæ ſtantes navigabant, ingentium ramorum armamentis. Sæpe territis claſſibus Romanis, cum velut induſtria fluctibus agerentur, in proras ſtantium noctu. In Thurino agro nunquam folia demittebat una, ante mediam nunquam germinabat æſtatem. *Rhabarbarum* in ſola provenit China, inde per Vsbechen in Turciam, hinc Venetias transfertur. Inſignes ejus vires commemorantur, & hydropici adfertur exemplum: qui cum in ſummo fuiſſet periculo, Rhabarbari fortuito uſu, non tantum à morbo liberatus eſt, ſed etiam ad primum pervenit ſenium. *Adolphus Occo in Scoltii Epiſt.* Infixerat eidem lethale ſervus vulnus poſt morbum, & quarto vel ſeptimo die moriturum ſperabant Chyrurgi: Convaluit, & quod ferit, Rhabarbari uſui poſt Deum adſcripſit. De eo ita paucis quidam. *Camerar. Cent.* 8. *in* 51.

Calfacit & ſiccat, ſtringit Rhabarbarum & alvum
Solvit, & eſt Pueris, Gravidis, benedicta medela,

Viſceraque obſtructa hoc aperit, Bilem & Pituitam
Purgat, tum ſtomachi vitiis, emendat & Epar,
Sanguis & ex illo fit clarus, ſputa cruenta,
Siſtit, dejectoſque juvat, ruptiſque medetur,
Et Dyſenteriis confert.

Ex parvo Rhabarbari ſemine, tribus menſibus tam magna gignitur radix, ut quibuſdam in locis centenas pendat libras. *Mathiol. in l. 2. c.* 104. *Rapa* librarum triginta pondere in Ananienſi agro ſæpius vidit *Mathiolus*. Quæ æſtate feruntur, ab erucarum vindicantur injuria, commiſſa ſationis tempore ſemini fuligine, aut majoris ſedi ſucco per noctem macerato ſemine. Experientia comprobatum habet *Columella*. Prope Harlemum anno 1585 erutum, humanam manum cum unguibus & diſtinctiſſimis digitorum lineamentis obtinens. Picturam *Leidæ* apud *Cl. Baudartium* vidimus. *Ros Solis* & Rotella, quæ veluti ſtellæ alicujus jubare ſub Sole fulget, à mirabili natura nominationem adepta eſt. Nam quantumvis diu Sol fervidus æſtate eam illuſtret, ejus tamen folia ſemper rore & humiditate madent, eorumque lanugo guttulis aſperſa manet; & quod admiratione dignum, quod humidum illud in foliorum acetabulis contentum ubi extremis digitis leviter attingitur, dum adhuc natali ſuo ſolo inhærens, aut confeſtim inde evulſa & Solis radios experitur, mox velut in exigua filamenta ſericea aut candidiuſcula deducitur, quæ confeſtim concreta, ita poſtea ſemper perdurant. *Camerar. Cent.* 8. *memorabil.* 98.

CAPUT XXXVI,

DE RANUNCULO, RUTA, ROSMARINO, RHODIA ET ROSA.

R*Anunculus* ſi edatur, con[illegible]it veſcentibus nervos, rictuque ora diducit. Ridentium præbent ſpeciem, qui moriuntur. *Pauſan.* Meminit ejus *Saluſtius*; In Sardinia, inquit, quædam herba naſcitur, quæ Sardea dicitur, agreſti apio ſimilis. Hæc ora hominum

& ri-

& rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit. *Ruta* venenis reſiſtit. Hinc eâ muſtela cum ſerpente congreſſura, munitur, & quia ſalvia ſæpe à bufonibus inficitur, remedium ab ipſa, ſi adjuncta fuerit. In eam rem *Migaldus Horti Medici campo 6. area 3.* Vi præſentanea venenis obſiſtit, nec ullum ſerpentis genus, quàm ſe longiſſimè ejus umbra porrigit; uſpiam admittit. Mirabilis magnitudinis Macheronti. *Ioſeph. l. 7. de bello Iudaic. c. 25.* A nulla enim ficu celſitudine vincebatur, & vita à Herodis tracta temporibus. Epilepſiæ inſigne remedium eſt, fortuito à ruſtico inventum. *Camerar. Cent. 3. memorab. 36.* Contundebat eam, & lunatici collapſi, rutæ odore plenus, continebat nares. Surgebat iſte. *Roſmarinum* tam copioſum in Gallia ſponte provenit, ut utatur; tam craſſum, ut menſarum ſit materia. Non in Vere tantum, ſed & in Autumno floret *Mathiol l. 3. c. 37.* De illo in Anglia ſic *Barclajus Icon. Anim. c. 4. Roris marini planta apud multas gentes ipſa cura qua educatur, pretioſa; hic vulgaris, & nonnunquam in ſepes, velut ad hortorum cuſtodiam ſtipata Rhodia* radicum vivaciſſima eſt. Nam è terra effoſſa, niſi ſicciſſimis reponatur locis, poſt multos menſes rurſus plantata, repullulaſcit. In altiſſimis rupibus naſcitur, ubi vis tantum terræ habet, ut illi inhærere poſſit. *Mathiol. l. 4. cap. 41.* *Roſa* Carthagine Hiſpaniæ hyeme tota præcox eſt, ſemper apud Romanos in honore. Nam & folia ferculis epularum inſpergere mos erat, & citrias menſas illatum oblinire ſucco, ut ob amarorem intactæ à carie eſſent. Theophraſtus centifoliam circa Philippos exire refert: & in hortis Midæ ſexagenum foliorum ſua ſponte roſæ naſcebantur, fragrantiori odore quam cæteræ in quibus Silenus fuit exceptus. *Herodot. l. 8.* Heliogabalus in recumbentes convivas per laquearia, veluti per impluvium roſas effundi jubebat. *Dalechamp. in lib. 21. cap. 4.* Admirandum illud eſt quod de rediviva narratur. Scilicet magni nominis apud Cracovienſes Medicus erat, qui adeo eleganter apparabat cinerem, ex omnibus plantæ partibus, ut omnes earum ſcite conſervaret ſpiritus. Cinis, admota vaſculo candela, ali-

quanto incaleſcens, apertæ roſæ emittebat ſpeciem, quam ſenſim creſcere, vegetari, ac formam penitus caulis, foliorum, ac geminæ denique floridæ roſæ umbram exprimere tandem explicatiſſimam Roſam producere, intueri licebat, redibat in pulverem igne remoto. *Roſenberg. Rhodolog. c ult.* Idem fere in Vrtica accidiſſe, hiſtoria apud *Quercetanum de peſte* teſtatur. *Cum enim quidam remedium contra calculum inſtituere vellet, ſub finem Autumni non paucas è terra urticas integras radicitus evulſit, ex evulſis lixivium cum aqua calida, vulgari modo compoſuit, compoſitumque philtrando, atque transcolando purificavit, ut ex illis tandem, ſecundum Artis præcepta ſuamque pariter intentionem educeret, accommodatum. At vero cum in vaſculo quodam terreo, prædictum lixivium, tota nocte, ut frigeſieret, expoſuiſſet, quo die ſubſequente, exhalationem ad ſalem extrahendum moliretur, caſu quodam contigit, hac ipſa nocte, aërem ita infrigidatum fuiſſe, ut totum lixivium gelu nimio concretum fuerit. Cum igitur ſummo mane, vas illud è feneſtra amovere vellet, præter ſuam vidit opinionem, aquam lixivii congelatam, ſubindeque mille Vrticarum figuras, in illa, cum radicibus, foliis & truncis adeo perfecte deſcriptas & adumbratas; ut qui melius illas ad unguem expreſſiſſet, figuraſſetque vix pictor ullus reperiretur.*

CAPUT XXXVII.

DE SCORZONERA, SCILLA, SALVIA ET SCORDIO.

S*corzonera* haud vetus planta eſt: primus eam *Mathiolus lib.* 2. *cap.* 137. deſcripſit. Inventa in Catalaunia à ſervo Aphro. Contra viperarum morſum præſentaneum eſſe remedium, idem, qui invenit, oſtendit; ſuccum haurire neceſſum eſt illi, qui effugere conatur. Ex *Scilla* conficitur acetum, cujus admirabilis facultas. Si quis quotidie parum ebiberit, inquit *Mathiolus*, illi faucium oriſque partes nunquam male valebunt: os ventriculi bene valebit: facile ſpiritum ducet, oculi acutiſſime cernent, flatus nullus in ven-

ventre excitabitur, & bene ſpirans beneque coloratus deget; hoc aceto qui utitur, cibum belle conficiet, etiamſi licentioſius edat; nihil ſupervacui in corpore reſidebit, non flatus, non bilis, non cruditas, non ſtercus, non urina alvis lubrica, omnino non erit. *Mathiol. in lib.* 2. *cap.* 168. Radicem ferreo cultello incidere nefas, eburneo non obeſt. De *Salvia* tradunt, ſuffitam menſium cohibere fluxum; à pragnante comeſtam, conceptum continere, reddereque vitalem. *Mathiol. in lib.* 3. *cap.* 34. Hinc ei ſacrum apud Agrippam nomen. Si ſucci ejus heminam cum modico ſale quarto à ſecubitu die potaverit, hinc viro miſceatur, concepturam judicant. Certe fertur in Copto Ægypti poſt ſævam peſtem mulieres bibiſſe, & multos productos fœtus. In multis Aſiæ locis ſunt pomiferæ; apud Calabros Coſentiæ in horto quodam gallam ſubcinetitii coloris produxiſſe, teſtis oculatus eſt *Scaliger exerc.* 168. *Scordii* contactu cadavera conſervantur. *Galen. lib.* 1. *Antidot.* Cum enim in bello interemptorum revolverentur, minus putruiſſe inventa ſunt ſupra Scordium Creticum collapſa; ea præſertim parte, qua tetigere. Certe in vino coctum contra ſerpentum ictus bibitur. *Conſt. de feb. peſt. cap.* 18.

CAPUT XXXVIII.
DE SOLANO.

S*Olani* plures ſunt ſpecies, inter has Halicacabum, veſicaria, ſomniferum, Majus & Tuberoſum, aliquid miri inhabere videntur. *Mathiol. in lib.* 4. *cap.* 69. *Halicacabum* adeo aſpidibus inimicum, ut admota radice ejus propius, alto enecentur ſopore. Veſicarum foliis conſtat oblongis, floribus candidis, è quibus veſicæ prodeunt virides, ſubrotundæ, ſenis ſecundum longitudinem diviſuris, ſemine intus pullo, orobi magnitudine. In ejus latere humani veluti cordis effigies, albo obſignata colore. Sic formavit Natura, ut ejus affectibus ſalutare obſervaremus. *Somniferum* in ſoporem conjicit guſtatum; Teſtavere id ſuo exemplo Dani. Cum enim Sueno Norvegorum

Rex Duncanum Regem Scotiæ in oppido Bettha obſideret, evocato hic Maccabæo conſobrino clanculum de deditione agere cœpit, commeatu promiſſo; *Hector. Boet. l. 12. Scot. hiſt.* Recepetunt conditionem Dani, & una commeatum; quem cum deguſtaſſent, tam alto oppreſſi ſunt ſopore (Solano enim vinum & cerevíſia infecta erant) ut à Maccabæo opprimerentur. Decem dona hoſtium ſuſpecta habentes, ſobrii fuere; qui etiam Regem Suenonem veluti exanimem piſcatia ſcapha ad Thai detulere oſtia; inde domum. Solani majoris radix ſicca, ſi in vino ſemidrachmæ pondere ſeptem maceretur diebus, ita illud inficit, ut, ſi quis percolatum biberit, nullo modo edere queat; Ceſſat affectus, acetum ſi propinaveris. Copioſius ſumptum ſtrangulat. Secretum primus Franciſcus Calceolarius Veronenſis & invenit, & propalavit. *Mathiol. in lib. 4. cap. cit.* Succus ex acinis hujus expreſſus, & ad ſyrupi conſiſtentiam cum ſaccaro decoctus, ita efficax eſt, ut vel ligulæ, vel cochleatis parvi menſura ſomnum inferat, fluxiones ſiſtat, & dyſenteriam curet. *Doring. de Opio.* Similis dementationis hiſtoriam vide apud *Scalig. Exerc. 154.* Tuberoſi tuberoſa eſt radix, pugni aliquando magnitudine, palmum aliquando longa. Ad caulis exortum, radices fibroſæ plures prodeunt, quæ per terram ſparguntur, his primo vere alii exurgunt caules, aliæque tuberoſæ adnaſcuntur radices. Tot vero ſe tuberibus propagat, ut ad unam plantam hyberno tempore erutam ultra quadraginta tubera nectarit *Bauhinus ad loc. cit. Dioſcor.*

CAPUT XXXIX.

DE SINAPI, SATYRIO ET SAXIFRAGIA MAJORE.

Sinapi Saccaro obductum, vel cum melle pro bellariis appoſitum, experimentum tutum in defectu ingenii ab humiditate ſtatuitur. *Horſt. l. 2. de ſanitat. tuend. cap. 1.* Hoc condimento laxatus gurgulio cito contrahitur. Pythagoras proin in honore habuit, quod præter valetudinis conſervationem, in altum quoque ferа-

feratur, & in arcam illam divinæ rationis ac mentis ſtationem potenter conſcendat. Hujus intinctum ex muſto confectum, inquit *Panſa theor. ſpu. de pror. vit. c.* 51. Cunctis literatis præſertim hyemis tempore commendo. Cum totum corpus calefaciat, venulas Meſaraïcas aperiat, & deductionem Chyli in epar promoveat. Nihil enim capiti ſalubrius, quam ventrem laxum ſibique propitium habere. *Satyrion* herba ad rem veneream mirifice pollet, attacta tantum. Septuageno compreſſu definivit in Indo, qui attulerat; duodecimo in aliis. *Theophraſtus.* Huic ſimilis eſt Cynoſorchis, cujus radix major flatuoſa turgens materia, Venerem excitat; minor reprimit. *Saxifragia* major in monte Baldo naſcitur, ex vivo & duriſſimo prodiens lapide; & antiquis urbium mœniis. *Mathiol. ad l.* 4. *cap.* 15. Radix in petris adeo pertinaciter concluditur, ut nonniſi mucronatis ferramentis evellatur. Vim habet expellendi calculos. Certe illius potu innumeri ex uno tantum ejecti ſunt, fabæ quidam magnitudine.

CAPUT XL.

DE TEREBINTHO ET THURE.

TErebinthorum alia maſcula, alia fœmella. *Theophraſt. l.* 3. *c.* 25. Illa ſterilis eſt, fœminarum alia fructum protinus rufum promit, lentis magnitudine qui concoqui nequit; alia viridem editum, rufum poſtmodum tingit, & cum uva matureſcentem nigrum noviſſime facit, fabæ magnitudine. In Memphi Terebinthum arborem, à conſtitutione mundi ſatam ad ſua uſque tempora ſuperfuiſſe ſcribit *Egeſippus l.* 4. *c.* 3. *de excidio Hieroſol. Thus* gignitur in Arabia privato quodam loco, in medio fere regionis poſt Aramitas pago Sabæorum. Minæi primi invenere, & jus in illud trecentarum tantum familiarum eſſe perhibetur, per ſucceſſionem commune. A propinquis populis ſacræ dicuntur. Nam cum vulnerant arborem quo liquor defluat, aut cum metunt, nec fœminarum, nec funerum polluuntur congreſſu. Meti ſolebat inciſo arboris.

ris cortice, canis ortu, quod tunc eſſet humoribus maxime prægnans; qui ex arbore deſtillat, palmea excipiebatur tegete. *Scalig. exerc.* 149. Tam vili venire ibi ſcribit, ut eo naves pro pice liquefacto, inducantur. Cæterum fit ex thure medicamentum, quo nil ad lippitudinem & ruborem oculorum præſtantius. Vna enim tantum nocte juvare affectos dicitur. *Mathiol. ad l. 1. c. 73. Dioſc.* Accenditur Thuris grumus, acuto ſtylo affixus, cerea candela, mox in aquæ roſaceæ unciis quatuor reſtinguitur, repetuntur incenſiones, extinctioneſque trigeſies, & deinde percolata aqua linteolo mundo oculorum angulis cum penna veſperi illinitur, dum cubitum affecti ſeſe recipiunt. Si rubor lachrymæque cum vehementi dolore accreſcunt, lac muliebre reſtinguit, ſi tantum addideris.

CAPUT XLI.
DE TRITICO ET THYMO.

TRitico nihil eſt fertilius. Nam è medio, aptum ſi ſit ſolum, quale in Bizacio Africæ campo, centeni quinquageni modii redduntur. Miſit ex eo loco, inquit *Plinius l.* 18. *c.* 7. Divo Auguſto procurator ejus ex uno grano (vix credibile) quadringenta paucis minus, germina. Miſit & Neroni ſimiliter trecentas & quadraginta ſtipulas ex uno grano; cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt. In agro Senenſi maritimis locis planta una viſa eſt 24 ſpicas ferre, & unum modium centum interdum adferre compertum. *Mathiol. in lib.* 1. *Dioſc. cap.* 78. In Aſia ultra Bactra quodam in loco adeo grande tradi ſcribit *Theophraſtus*, ut nucleis olivæ ſua æquiparent magnitudine grana ſingula. *Theoph. l.* 8. *cap* 4. In Piſtoris autem adeo firmum naſci addit, ut diſrumpatur, qui plus comederit. Indicum calamum edit arundinaceum, alba farctum medulla, ſaccariferarum arundinum modo, in cujus ſummitate paniculas fundit divulſas & vacuas. Fructus in quo grana vaginis foliaceis concluduntur, in ipſo caule è lateribus prodeunt. Spica piceæ

ceæ arboris exæquat conum, nuda circa eam grana piſi magnitudine, alba intus, in octo vel decem rectis lineis digeſta verſus. E vaginarum faſtigio coma dependet, eo quo grana habentur, colore Malitz Indi vocant: biduo antequam ſeritur in aqua maceratur; nec concreditur, priuſquam pluviis maduerit. Quarto demetitur menſe: at quod in Eubæa naſcitur genus, quadraginta perfici diebus *Theophraſtus l. cit.* retulit. *Thymum* circa æſtivum ſolſtitium incipit. Mel inde apibus & apiariis augurium. *Theophraſt. l. 6. c. 2.* Haud probe ſuccedit mellatio, ſi aliter defloruerit; perit flos, ſi imber deciderit. Manat ex eo oleum aurei coloris, dum per calentis aquæ balneum herba deſtillatur recens, Citrum malum ſapit. *Mathiolus in lib. Dioſc. cap. 37.*

CAPUT XLII.
DE TABACO.

TAbacum alias Nicotiana, ab Inventore, Herba ſancta, Reginæ, ſanctæ crucis, & Petum vocatur. Nota optime iis, quibus Indicæ merces notæ, & qui Britannorum, Belgarum Gallorum & aliorum excepere ſuffitus. Seritur cum Luna creſcit, ſecatur cum minuitur. Eſt & latifolium maſculus dictum & anguſtifolium, longiore pediculo, fœmina. Minutiſſimum ejus ſemen ſponte decidens, ſæviſſima etiam hyeme, illæſum latitat, & ſequenti æſtate, in multis horti locis, ad quæ vi ventorum fuit delatum, ſua emicat ſponte. *Camerar. in horto. Neander in Tabacolog.* ex maſculi ſemine fœminam gigni ait, ſi illud in terram, in qua petum antea crevit, deciderit: idque tanta luxurie, ut quotannis ſponte renaſcatur. Ac frigoris eſſe impatiens; ſed ſi bene ſervetur, Citriorum more toto anno vivere, & in quartum, illæſum conſervari. *Monard. de ſimpl. medicam.* ſcribit. Vires quod attinet, ſitiferum eſſe, acrimoniam ſapere, mentem turbare, καρηβαρίαν inducere ſcribit *Neander*; Qui avidius hauriunt, exanimes concidere, & per diei ſpacium ve-

lut

Digitized by Google

lur ſtupefactis jacere ſenſibus dicuntur. *Benzon. l. 1. c. 26. hiſt. novi orb.* Hinc ſereniſſimi Iacobi Britannici, illuſtris memoriæ, *Miſocapnos.* Enervari enim ſubditorum exiſtimabat corpora. At magna illius apud clariſſimos viros encomia. Venenis reſiſtere Hiſpani teſtantur. Vulnerati illi Cannibalum telis ſucco curarunt vulnera, tritis appoſitis foliis. *Monardus loc. cit.* Rex Catholicus inflictum cani venenatum, ut experiretur, vulnus, eodem ad cicatricem perduxit. Dolorem dentium & ſedare penitus, & tollere ſcripſit *Heurnius. Cum ego ipſe* (verba ejus ſunt) *ante annum vehementer ex dente laborarem, hanc decoxi ex aqua, adjectu Chamameli floribus, tepidi hujus decocti cochlear ore tenebam, exſpuebam: ac idem agebam, horis duabus: dolor miteſcebat: poſtridie cum ex more meo hortulum in ſuburbiū acceſſiſſem, inclinatoque capite quid graminis evellerem, liquor croci flavedinem referens, copioſe à naribus meis effluxit. Nicotianæ odorem referens, ac omnis dentium dolor evanuit. Mihi toto vitæ curriculo, nec ſanguis, nec quid præter ſeroſam pituitam, è naribus fluxit unquam; at nihil ego vidi hoc effluxo liquore flavedine altiore tinctum.* Viſum reſtituere teſtis eſt *VViburgius ad Schnitz. epiſt. 209.* Pupilla cuidam puellæ ita obſcurata erat, ut non appareret. Hic, ſucco Nicotianæ majoris cum Butyro Majali ad conſiſtentiam unguenti cocto, & oculo, exterius clauſis oculis, illito, ut non appareret, niſi adſtantibus, effecit. Ex ſucco cum conchis contuſis pilulas facere barbaros, his famem ad triduum lenire, *Cluſius* teſtatur. Nec mirum: Cum enim pituitam reſolvat; hæc delapſa in orificium ventriculi, appetitum obtundit. Cæterum vires ejus deſcribit *Caſtor Durantes* in Epigrammate, quod appono:

Nomine quæ ſanctæ crucis herba vocatur, ocellis
Subvenit & ſanat plagas, & vulnera jungit.
Diſcutit & ſtrumas, cancrum, cancroſaque ſanat
Vlcera, & ambuſtis prodeſt, ſcabiemque repellit.
Diſcutit & morbum, cui ceſſit ab impete nomen.
Calfacit, & ſiccat, ſtringit, mendatque reſolvitque:
Et dentum & ventris mulcet capitiſque dolores.
Subvenit antiquæ tuſſi, ſtomachoque rigenti

Reni-

Renibus & ſpleni confert, uteroque venena
Dira ſagittarum domat, ictibus omnibus atris
Hæc eadem prodeſt, gingivis proficit, atque
Conciliat ſomnum, nuda oſſaque carne reveſtit.
Thoracis vitiis prodeſt, pulmonis itemque:
Quæ duo ſic præſtat non ulla potentior herba.

.CAPUT XLIII.

DE TRIFOLIO, TEUCRIO, THELYPHONO, TAXO, THAPSIA ET THAUZARGENT.

T*Rifolium* futuræ tempeſtatis eſt prænuncia. Adveniente enim attigitur contra. Obſervatum copioſos herbæ flores, crebras anni pluvias, & aquatum portendere inundationes: paucos ſiccitatem. *Fuchs. in herb.* Panis cuculi dicitur, vel quod eo veſcatur, vel quod ad cantum erumpat. Odoratum ſepties in die fragrantiam acquirit, amittit ſepties, Decerptum retinet perpetuo, tantumque inſtante tempeſtate promit, ut totas compleat ædes. *Teucrion*, alias Hermion, nec floret, nec ſemen gignit. Medetur lienibus, conſtatque ſic inventam. *Plin. l. 25. c. 5.* Cum exta ſuper eam projecta eſſent, fertur adhæſiſſe Lieni, eumque exinaniſſe. Narrant, ſues, qui radicem ejus comederint, ſine ſplene inveniri. *Thelyphonum* radicem Scorpioni ſimilem habet; eoſdem, admotum, occidit: reviviſcere, candido ſi linantur elleboro, traditur: haud credendum. *Theophraſt. lib. 9. c. 19. Taxus* baccas fert rubentes, vinoſas; quas qui comederint, in febres incidunt & dyſenteriam: Iumenta etiam mori, ſi folia comederint, evadere ruminantia, traditum à *Theophraſt. lib. 3. c. 10.* à *Plinio lib. 16. c. 10.* refutatum. In Arcadia enim tam præſentis eſt veneni, ut qui ſub ea obdormiverint, intereant. *Ovetan. ſum. c. 78.* In India os, oculoſque dormientium reddit tumidos. *Thapſia* in terra naſcitur Attica, in qua pecudes incolæ eam non rangunt, depaſcunt peregrinæ, paſtum aut alvi ſolutio excipit, aut mors. *Theophraſt. l. 9. c. 22.*

Acce-

Accepit Claritatem à Nerone. *Hic enim nocturnis graſſationibus converberatam faciem, illinens ſibi cum Thapſia, thure & cera, ſequenti die contra famam, cutem ſinceram circumferebat.* Mirum enim in modum ſugillata dolet. *Plin. l.* 13. *c.* 22. *Thauzargent* radix eſt in Occidentali Mauritania, tam boni odoris, ut appenſa laquearibus haud magnâ quantitas, magni ſuffimenti vicem ſuppleat. *Scalig. exerc.* 142. *ſ.* 6.

CAPUT XLIV.

DE VITE.

Vitium ingens interdum magnitudo eſt. In *Campania* enim *quæ populis junguntur, per ramos earum procacibus brachii geniculato curſu ſcandentes, cacumina æquant, ut vindemiator autoratus rogum aut tumulum excipiat. Plin. l.* 4. *cap.* 1. Non facile corrumpi addit *Plinius.* Iovis enim ſimulachrum in Populonia urbe in multis incorruptum ævis viſum eſt, & tectum Epheſiæ Dianæ ſcalis ſcandebatur ex vite una Cypria. Ter quotannis fructum edunt nonnullæ. Vidit Dalechampius, multis in locis, in horto *Guilel. Caulii*, Lugduni præcipue. Inſanæ dicuntur. *Dalechamp. ad cap.* 27. *l.* 16. *Plinii.* Sub finem veris, minutos & ſtellatos proferunt floſculos, ramentis orbiculatis obſitos, colore ſubſpiceo. His in aſteriſci formam deciduis, confeſtim racemorum exhibetur ſpecimen. *Lemnius in herb. biblic. c.* 2. Odor illarum venenatas abigit beſtias; Aqua vitium dum amputatur, ſanat ſcabiem. Vitrea à quibuſdam excipitur lenticula, poſt integro anno inſolatur, loco ſubdiali & impluvio. Melligo tandem concreſcit, quæ balſamo viribus æqualis. Purgat enim, carne implet, glutinat, papularum delet veſtigia. E tenellis vitis foliis menſe deſtillata Majo gravidis malaxizantibus commendatur. Nullo tanguntur incommodo, quamvis caruerint. *Sennert. l.* 4. *p.* 2. *c.* 2. Ex uvis vinum torcularibus exprimitur quo in potu utimur. Mira ejus ſunt varia, quæ ipſorum vinorum variat diverſitas. *Lemn. l. de occult. l.* 1. *c.* 16. Ex Pictavienſis potu moroſi incolæ & calcitroſi efficiuntur

tur (mordaces enim infert cerebro fumos' blandiores Rhenani In Goritienſi Comitatu laudatiſſimum eſt, proximum Pucinum & Vipacum. *Mathiol.* cum diu ventriculo laborat, robur hujus adeptus eſt uſu. Livia Auguſta octoginta duos vitæ annos, Tucino retulit acceptos. *Plin. l.* 14. *c.* 6. Ruſtici lapidiæ incolæ quia Pucino cognatis utuntur, raro ægrotant. Nunquam ſeneſcere optimum ſcripſit *Galenus de Theriaca:* ducentis aliqua durare annis reliquit *Plinius.* Corruptum faceſſit in acetum, naturali ſoluto calore. Hoc inſignis eſt naturæ. Nam tempeſtatem & navigantium ſedat excidium, vitioſum diſſipat aërem, humores putreſcere prohibet. *Plin. l.* 2. *c.* 48. Margaritas & uniones eo in pulverem verti, Cleopatræ exemplo. Antonio una cœna ſe ſolam centies ſeſtertium abſumpturam objecit; & unum Vnionem, cui parem Oriens non vidit, aure detractum, oxybapho aceti immerſit, liquefactum abſorpſit. *Plin. lib.* 9. *c.* 35. Componitur etiam ex eo Aqua vitæ; quæ alias Elixir, Aqua auri, Cœlum Philoſophorum, quinta eſſentia, anima vini, Aqua divina, & clavis Philoſophorum dicitur. *Canonher. de Admirand. vini l.* 1. *c.* 5. Miranda de ea ſcribunt Medici, imperitis impoſſibilia. Tenuis eſt & in auras tam celeriter in optima parte, ut mireris, evaneſcit. Calor enim intus ſervatus, aëris motu coadjuvante ſubtilem ſubſtantiam in vaporem reſolvit. *Cardan. de æthere.* Quæ illi immerguntur, viginti quatuor horarum ſpacio ſuis exuuntur viribus *Heurn l.* 1. *prax. medic.* Antidotum eſt ad omnia *Mathiolo in Dioſc. l.* 6. & non ſolum hauſta, ſed in faciem ex alterius projecta ore, epilepticos, mulieres hyſtericas revocat, loquelamque amiſſam reſtituit. Certe Antonius della Scarparia, octuageſimum dum duceret annum, dictabar. *O aqua vitæ per te jam mihi vita annis viginti duobus prorogata fuit. Savanorola de arte conficiendi aquam vitæ ſimplicem & compoſitam.* Delectabatur quoque ea Franciſcus primus Dux Mantuæ. Frigidi enim cum eſſet ſtomachi, ventoſitate vexabatur. Vox ejus. *Cum multiplicis ordinis medicamenta tentaſſet, in talium remedia, nullum tam ſalutiferum ut aquam vitæ inveniſſe. Canonher. loc. cit.*

cit. Modum vini probandi inuſitatum recenſet *Quercetan.in Diætetica* his verbis; *Omnia Vaſconiæ vina, quæ mari in varias provincias avehenda, Burdegalam comportantur, illuc convecta in cellas publicas immenſæ longitudinis ac latitudinis, ut forum vinarium vere dici poſſint, in hunc finem conſtructas, & ab urbe pauliſper ſubductas, reponuntur, atque ita compreſſis ordinibus ſeriatim componuntur, ut inter ordines deſit ſpacium ad perforandum dolium, è quo vinum hauriatur. Quo fit, ut mercatores vina empturientes, & in hac re verſatiſſimi, non ex guſtu vini notent, quæ probant, vini dolia; ſed ſuper ſingulorum ordines vaſorum gradientes, in ſingulis vaſis greſſum prementes, facile dignoſcant, quæ ſpirituoſiora ſunt & leviora, ſigillis ſuis adnotent. Levius enim ac agilius ſuper meliora incedunt vina, quam ſuper craſſiora ac terreſtriora, quæ graviorem & tardiorem greſſum reddunt.* Prodigia ejus apud *Plinium lib.* 14. *cap.* 18. In Arcadia ſterilitatem fœminis importat, rabiem viris. *Theophraſt. lib.* 6. *c.* 19. In Achaja partum abigit; uvas ſi canes guſtaverint, catuli eliduntur. *Victor. lib.* 7. *c.* 23. Træzenium qui bibunt negantur generare. Apud Thaſias uno genere ſomnus conciliatur, fugatur altero. Vva horum dulcis eſt in Ægypto, & ſolvit alvum; firmat ſolutam in Lycia.

CAPUT XLV.

DE XAQUA ET ZUCCARO.

XAQVA arbor eſt Hiſpaniolæ. Fructus ei papaveris ſpecie, inde pellucida aqua albicans manat, qua quicquid aſpergitur, nigreſcit, adeo ut nulla lotione mundetur. Die vigeſima ſponte de cute decidit. *Ovetan. ſumm. c.* 77. *Zuccari* duæ ſpecies: Altera à Cannis, altera ex herba. Eſt & aliud ex arbore indica, quæ vocatur Hæoſcer. *Scalig. exerc.* 164. Sed hoc vix ſaccarum, ſed lactis tenuior pars, calore concreta: quæ ex oculis ſedibuſque foliorum exiens gummi condenſatur modo. Fructum ajunt ſimillimum teſticulis Camelorum. Ex arboris quacunque parte inciſa, ſtillat lac tam fervidum, ut pro Pſilothro præſtantiſſimo habea-

habeatur. Indigenæ depilant eo coria. Veri ſunt duæ ſpecies. Vna ex Cannis duobus habetur modis. Nam vel exprimitur, ac decoquitur ad candorem & ſpiſſitudinem; vel ſponte prodit ex arundine, lachrymarum inſtar. Id ita collectum cum ſuis arundinibus olim mittebat, inter cæteras merces India. Illud certe quod Candi nominatur arundinibus circumfertur. Natura fieri legitur in Hiſtoriis. Etenim ad Dachecalam Indiæ venit in mercatibus. In Inſula S. Thomæ ſingulis menſibus arundines ferunt, quinto menſe maturæ ſunt; tum ſecantur, tempeſtive moluntur, premuntur ad ſuccum. Quod reliquum eſt, datur alitibus, porcis. Hoc mirandum in modum pingues fiunt. Id adeo, ut tam delicata cato comparetur, quæ & nulli ſit inferior Gallinaceæ, & ægrotis detur in cibum. Altera Succari ſpecies ex herba miro reſudat modo. Tigala ei nomen eſt apud Arabas & Ægyptios. Erodi ajunt herbam à vermiculo quodam. Vnde Zuccarum exturgeſcit, concreſcitque in minutas grandines. Extinguit ſitim, pectori accommodum, tuſſim tollit.

CAPUT XLVI.

DE MIRACULIS ALIIS QUIBUSDAM ARBORUM.

Dives natura eſt, tam variæ illi opes, ut humanum non tantum delectet ingenium, ſed & fatiget ſedulitatem. Certe præter illa, quæ adduximus, inſignia quædam adhuc inveniuntur θαύματα. In Inſula Tylos *lanigeræ arbores* ſunt; ferunt coronei mali amplitudine cucurbitas quæ maturitate ruptæ, oſtendunt lanuginis pilas, ex quibus veſtes pretioſo linteo faciunt. *Plin. l.* 12. *c.* 10. In Java Majore ajunt raram eſſe arborem, cujus medulla ferrea ſit; exilis illa quidem, cæterum porrecta ab imo ad ſummum plantæ faſtigium. Ex eo fructum quem gerit, ferro impenetrabilem μητροσίδηρον appellavit *Scaliger. Exerc.* 181. *ſect.* 27. In Inſula Cimbubon eſt alia, cujus frondes in terram lapſæ reptione quadam ſeipſas & movent & promovent.

rent. Frondibus facies, quæ Mori. Vtrinque habent quàſi pedes puſillos binos. Compreſſæ nullum edunt ſanguinem. Tactæ abeunt aut refugiunt. Ex iis una dies octo ſervata in ſcutella vixit; movitque ſeſe quoties tangeretur. *Scalig. exerc.* 112. In Malavar planta eſt, cui ſi quis manum admoveat, illico contrahitur; nitorem recuperat, ſi eandem retraxeris. *Garzias ab horto.* Illa quam *Minoſa hortenſis* nomine à Coſta deſcripſit, manu admota ſeneſcit, revireſcit remota. Eodem autore arbor quædam nocte pulcherrimis & ſuaviſſimis onuſta floribus, ſimul atque à Solis illuſtratur radiis, tota marceſcit; quamvis tenuitati ſpirituum hoc quicquid eſt, poſſit aſſcribi. Eſſe autem cujus contraria ratio eſt *Linſchot.* teſtatur. In Virginia herba eſt, in cujus foliis præſtans ſericum naſcitur, membranæ tenui ſplendenti, quæ inde detrahitur, ſimile. Alta eſt duos pedes & dimidium; foliorum longitudo duorum pedum eſt, latitudo dimidii. In Anglia ſpecimen hujus texturæ confectum eſt: Nam ex iſta planta tela integra è ſtamine ſerico parata pro bona & legitima eſt habita. *Arioth. in Virginia.* In America eſt flos Granadillæ, in quo oſtendunt inſtrumenta paſſionis Dominicæ, clavos, ſcuticam, columnam, coronam, vulnera. *Mejer. in Annal. Scoticis.* Id imaginationi videtur aſſcribere *Libav. lib.* 4. *de orig. rer. Et eſt*, addit alicubi, *apud amicum noſtrum oſſiculum Ceraſii, in quo centum viginti ſeptem facies oſtenduntur.* In Inſulis Aquilonaribus ſub Polo ſitis ſunt Cautes Magneticæ, Fagi ſi illis adhæreant in Magnetes vertuntur. *Olaus l.* 2. *c.* 1. Eſt & quædam arbor Indica in Muſicano altiſſima; cujus rami excreſcunt ſupra 12 cubitos, reliquum non tantum flectitur ſponte deorſum uſque in ipſum ſolum, ſed & terræ ſponte infigitur, radiceſque mittit, quæ novam efficiunt arborem. Hujus reflexionem imitantur rami & novam propaginem, tam in diducta ſerie, ut porticus fiat, ſub qua quadringentis locus eſſe poſſit. Non procul à Malacca eſt alia, cujus cum multæ ſint radices, in varias diſpertiuntur partes & vires. Quæ enim ad Orientem ſpectant, Antidotum præbent adverſus venenum; quæ ad occaſum ipſiſſimum

mum ſunt. *Sinar. res. pag.* 4. *c.* 17. Radix quædam ignea diſſecta, ſi è diametro candelæ ardenti exponatur, vacillare primo eam facit, poſt extinguit, idque repetitis exploratum vicibus. *Biker. in proph. ſect.* 2. *Abies* admirationis præcipuæ viſa eſt in navi, quæ ex Ægypto Caji Principis juſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit. Arboris ejus craſſitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. *Plin. l.* 16. *cap.* 40. *Aproxeos herba radix* è longinquo ignem concipit. *Plin l.* 24. *cap.* 17. Ex arboribus in India cedro vel cupreſſo proceritate paribus, cum foliis latioribus, palmæ, quibus nomen *Carpion*, oleum deſtillat, quod lana arboribus impreſſa excipitur, & ad quinque ſtadia odorem jaculatur; Apud eundem legitur narratio de ligno *Parebo*, in regiis tantum hortis naſcente, quod ſit oleæ magnitudine abſque flore & fructu, duntaxat ſub terra craſſis radicibus inſtar brachii, cujus dodrans trahat aurum, æs, argentum, lapides, & alia quæque præter Electrum ſeu ſuccinum: quantitate vero cubitali poſſe trahi agnos & aves. Eodem aquam concreſcere injecto obuli pondere: & vinum ſimiliter, quod ut cera poſtea manibus teneatur vel tractetur, quamvis poſtridie ſolvatur. *Libavio l.* 2. *debitum. c.* 6. putidum hoc mendacium videtur, ni dextre explicetur. Et certe Phyſico non defuerit dextra interpretatio: quam apud eundem vide *loc. cit.*

CAPUT XLVII.
DE PRODIGIIS ARBORUM.

INveniuntur quædam ſine foliis natæ, vitem & malum punicam ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite, aut ramis, vitem uvas ſine foliis, oleas quoque amiſiſſe folia baccis hærentibus, eſt apud *Plin. l.* 17. *cap.* 25. Olivam in totum ambuſtam revixiſſe diximus & in Bæotia deroſæ à locuſtis ficus, regerminavere. Pauſaniæ in Arcadicis ex una & eadem radice ilex & olea enata ſunt. *Dalechamp. ad loc. cit.* Eadem in

in Corinthiacis Clava Herculis ex oleaſtro actis radicibus regerminavit. Laodiceæ Xerxis adventu platanus in oleam abiit. Subſedit in Cumano arbor, gravi oſtento paulo ante Pompeji bella civilia, paucis ramis eminentibus. Ficus in lauro nata eſt Cyzici ante obſidionem Mithridatis, qui eam centum millibus & equitatu multo oppugnavit. *Strabo l.* 12. Palma viridis Trallibus in æde Victoriæ ſub Cæſaris ſtatua inter coagmenta lapidum, juſtæ magnitudinis enata. *Valer. l.* 1. *c.* 6. Nec non & Romæ in Capitolio in capite (ſummum tecti faſtigium quidam explicant) bis bello Perſei enata palma, victoriam & triumphos portendit, hac tempeſtatibus proſtrata, eodem loco ficus enata eſt, M. Meſſalæ C. Caſſii Cenſorum luſtro. A. P. Sulpicio proconſule literæ ex Macedonia allatæ nunciarunt in puppi longæ navis enatam laurum. Præterito denique in Sileſia anno, arbuſcula quædam in pinnis murorum templi in palmam mutata eſt. Mutata poſt & religio; Haud ſine vindice; ſpecies transmutata ſpem facit.

THAU-

THAUMATO-
GRAPHIÆ
NATURALIS
CLASSIS SEXTA.

In quâ

AVIUM
ADMIRANDA.

Seneca Natur. quæſt. l. 2. cap. 32.

Et illa quæ aut immota ſunt, aut propter velocitatem univerſo mundo parem, immotis ſimilia, non extra jus dominiumque noſtri ſunt.

SYLLABUS CAPITUM.

CLASSIS SEXTÆ.

CAP. I. *De Aquila.*
CAP. II. *De Accipitre.*
CAP. III. *De Aſſalone & Ardea.*
CAP. IV. *De Aſſione & Alucone.*
CAP. V. *De Anſere.*
CAP. VI. *De Alcyone, Anate & avi Emme.*
CAP. VII. *De Bernichia avi.*
CAP. VIII. *De Bubone & Catarrhacta.*
CAP. IX. *De Collurione & Caprimulgo.*
CAP. X. *De Cuculo.*
CAP. XI. *De Corvo.*
CAP. XII. *De Cornice & Chryſaetho.*
CAP. XIII. *De Columba.*
CAP. XIV. *De Cygno.*
CAP. XV. *De Ciconia.*
CAP. XVI. *De Falcone.*
CAP. XVII. *De Gallina.*
CAP. XVIII. *De Grue & Galbula.*
CAP. XIX. *De Graculo.*
CAP. XX. *De Hirundine.*
CAP. XXI. *De Haliæto, Ibide & Loxia.*
CAP. XXII. *De Milvo.*
CAP. XXIII. *De Manucodiata & Mergo.*
CAP. XXIV. *De Noctua & Niſo.*
CAP. XXV. *De Onocrotalo & Rhinocerote.*
CAP. XXVI. *De Pſittaco.*
CAP. XXVII. *De Phœnice & Pico.*
CAP. XXVIII. *De Pica.*
CAP. XXIX. *De Pavone.*
CAP. XXX. *De Phaſiano & Paſſere.*
CAP. XXXI. *De Perdice.*
CAP. XXXII. *De Struthiocamelo.*
CAP. XXXIII. *De Scythica avi & Tinnunculo.*
CAP. XXXIV. *De Turdo & Torquilla.*
CAP. XXXV. *De Vrogallo.*
CAP. XXXVI. *De Veſpertilione.*
CAP. XXXVII. *De Vulture.*

AD-

ADMIRANDA.
AVIUM.

CAPUT I.
DE AQUILA.

Aquila primo reponitur loco: non quaſi inter primas ſibi locum venditet menſas (abhorret enim ab omnibus) ſed quod Rex avium ſupremum ſibi vendicet faſtigium. Eſt autem ex genere rapacium. Pes ei dexter ſiniſtro major eſt, cerebrum adeo calidum, ut in pulverem redactum, etiam cum cicutæ permiſtum ſucco, maniam inducat propinatum. Non bibit, quia prædarum ſanguis videtur ſufficere; in ultimo tamen ſenio, ubi roſtrum præ ſiccitate incurvatum, potu vitam ſuſtentat. *Ælian.* Viſæ ſunt cubitalis magnitudinis: Viſus & pullus, cujus alæ expanſæ ſeptem ulnarum æquarunt menſuram. Vngues viri corpulenti digitis, crura Leoninis majora. Id inter Dreſdam & Miſenam factum teſtatur *Geſnerus.* Cum incubare debet, aëtidem lapidem adjungit, qui, quoniam incaleſcunt tantopere ac ſi bulliant, fervorem temperare dicitur. Excluſos pullos unguibus arreptos ad ſolem obvertit, pro legitimis agnitos humeris portat, firmiores in ſublime delatos demittit, demiſſos volatu antevertit & ſuſcipit, grandiores nido & regione exturbat. Fæmina tam ſalax eſt, ut decies ter in die compreſſa, poſtquam ſurrexerit, ſi mas revocet, denuo accurrat. Viſus tam exacti ut ſupra maria extra humanum elata contuitum, piſciculos minimos natare conſpiciat. Quantum ad odorem, cadavera quindecim diſſita miliaribus eò proſequitur. Vox boatui ſimilis eſt, ſed pulli ob præpeditam ab humore linguam, ſunt muti. Inimicitiæ illi cum gruibus. Hinc iſti cum Taurum montem ex Cilicia tranſmittunt, lapillis in os ſumptis vocem cohibent, & no-

& noctu tranſvolant. Viſu, roſtro, & pennis fallentibus ſuper nubes volat, ibi ſolis calore vitium oculis demitur, ipſa in fervore illo in aquam ſe demergit, nidum petit, febre corripitur, pennas excutit, à pullis nutritur & renovatur; facilius, ſi paſtum habuerit ſerpentinum.

CAPUT II.

DE ACCIPITRE.

MAgnitudo Accipitris à ſexu & regione variatur, fœminæ majores ob remiſſionem caloris. *Calent. in Epiſt.* Cor ei magnum cuſpide obtuſa ad pectus tendente. Lien adeo exiguus, ut viſum propemodum effugiat. *Ariſt. de partib. animal. cap.* 38. Plumæ copioſiores; eas in primordio ætatis quater rejicit. Fœcunditas illi exigua. Condenſat enim ſemen nimius calor, humor etiam ad pennas, ungues & crura tranſmittitur. Libidinoſus tamen eſt, ita ut fœmina trigeſies una die requiſita, redeat vocata. *Alb l.* 10. *c* 8. Cadavera fugit, & ſi hominis attigerit, jejunus manet, bibit, cum ſanguine prædæ deſtituitur. Quantum ad volatum, ita ſe aliquando effert, ut viſum effugiat; in aëre vero ſe reſupinat, caudam, dorſum & alas expandit, quibus vice ſoli utitur. *Ælian.* Ingenium illi mirum. Avem quam ſub noctem cepit, totam ſub pedibus tenet, exoriente ſole dimittit, obviam poſt factam nunquam proſequitur. Oculorum acie laborans, herbam Hieracium quærit, hujus confricatæ ſucco, tangit oculos, *Ælian. l.* 2. *de anim. c* 43. Hominem mortuum lugere videtur, inque ejus oculos humum ingerere; imo ſi inhumatum offenderit, gleba injecta humare. Os tibiæ ejus ſi ad aurum admoveatur, illecebra quadam illud ad ſe allicit. *Ælian. l.* 4. *c.* 43. Columbæ quamprimum vocem ejus audiverint, fugiunt; Gallinarum ova, ſi incubant, vitium capiunt; aviculæ, ad ejus conſpectum ita perturbantur, ut manu poſſint de arbuſtis demi. Morbus illi præcipuus pennarum depoſitio. Fit antequam Nilus campos inundat,

undat, id eſt, in Auguſto. Flante enim Auſtro alas expandunt, & venti tepore incaleſcunt; hic ſi defuerit, alis contra ſolis expanſis & percuſſis radios, tepentem ſibi faciunt auram; Capto tepore, laxatis poris, & veteres exiliunt, & novæ creſcunt. Ad ſeptingentos annos pertingere putarunt Ægyptii.

CAPUT III.

DE ASSALONE ET ARDEA.

Aſſalon Smerillus & Merillus dicitur. Alaudas tam avide inſectatur, ut vel ad clibanum uſque ardentem; quandoque ad puteum, vel hominum veſtes offendat. *Geſſent. l. 10. c. 13.* Cum vulpe & Corvis bellum gerit, & horum ova conterit, illius necat catulos. *Ardeas* in Anglia occidere capitale eſt. Hinc magnus illarum ibi numerus. Tanta præditæ ſunt continentia, ut ad Venerem acceſſuræ, dies quadraginta triſtentur. *Glycas l. 1. animal.* Excrementa ſua in accipitrem ſi ejecerint, pennas ejus & putrefaciunt & exurunt. Imminente pluvia ſupra nubes evolant. Oſtreas cum teſtis devorant; ſed ubi apertas à calore interno eſſe credunt, evomunt iterum, & carnem à teſtis ſeparant. Aſtute inſidiantur piſcibus. Nam ſolis ita excipiunt radios, ne illi viſa umbra, refugiant. Ea vero vi pollere *ruſtici Colonienſes* aſſerunt, ut pede aquæ impoſito, tanquam illicio, piſces allicere dicantur. *Geſnerus* certe in libro Germanico ſe legiſſe ſcribit, ſi pedes illarum deſtillentur per deſcenſum, & oleo inde collecto inungantur manus, piſces ſponte advolaturos, ut comprehendi poſſint. *Franciſcus Valleſius* I. Rex Gallorum adeo cicures reddidit, ut à paſtu redeuntes, licet natura feræ eſſent, ad ardearia ſeſe reciperent. In coitu ſanguinem ſudare, ſcripſere quidam, refellit *Albertus.*

CAPUT IV.

DE ASIONE ET ALUCONE.

A*Sio* ſeu *Otis* & *Nyctocorax*, vocem emittit ſimilem ei, quia homo frigore rigens, exclamare ſolet hu hu. Cum Lingula & Cyncramo, Coturnicibus hinc proficiſcentibus, ducem ſe præbet. Imitatur res eas, quas ab homine agi videt, etiam ab aucupibus: ſtant illi à regione, & viſcoſo quodam pharmaco oculos inungunt, illud poſt in pelvibus relinquunt, & abeunt. Accedit Otis, & oculos ſibi conglutinat; ſicque capitur. *Aluconis* duo ſunt genera, Majus & Minus. *Major Aluco* habet hoc peculiare, ut palpebram à ſummo oculo ad imum adducens conniveat. Auriculis ſeu cornibus caret, ſed horum loco habet veluti coronam quandam è plumis conſtructam, quæ faciem totam obit, pinnulis nempe ſupra oculos, ſuperciliorum altorum modo elevatis, & utrinque per tempora, nec non ſub mentum deſcendendo coëuntibus, in formam pepli muliebris. Minor in rimis quercuum à teredine excavatis, invenitur. Quod forte animalculum cepit, deglutit integrum. Tam ampla enim ei gula, ut bolos ovo majores integros tranſmittat; neque quicquam cibi ſumit, antequam oſſa, pilos, plumas rejecerit.

CAPUT V.

DE ANSERE.

ANſeres in regno Senegæ colore ſunt variato. Oloribus candidiores, & capite rubeo Hiſpaniola profert. *Cadamuſt.* In regione Manci Indiæ ſuperioris os ſupra caput habere ovi magnitudine, ſanguineo colore, pelle ſub gula per ſemiſſem pendente, autor eſt *Odoricus à Foro Iulii.* Ex Onocrotalorum genere putat *Aldrovandus.* In Arabiæ parte, quæ verſus Auſtrum aſſurgit, non eſſe ſcribit *Strabo l. 6. Geographic.* Vitam in multos producunt annos. Sexaginta exceſ-

fiſſe teſtatur *Albertus*, ducentos *Gratarolus*, ſed ne juranti quidem ſe crediturum ſcribit *Aldrovandus*. *Cardanus* vix fabuloſa exiſtimat, quod ſolidæ admodum ſint carnis. Conſtat enim Sylveſtrem anſerem tribus perpetuis diebus excoctam, emolliri non potuiſſe, objectam canibus manſiſſe intactam. Cæterum inter omnia anſerum genera, maxime mirificum illud eſt, quod in Scotia Solandgus vocant incolæ. De eo ita *Boëtius in deſcript. Scotiæ. Præter alias Inſulas nobilis eſt Maja D. Hadriani, ac ejus ſodalium martyrio pro Chriſti nomine coronatorum reliquiis. Altiſſimo hic ſcopulo fons aquæ dulcis largiſſimus, admirando naturæ miraculo, medio mari ſcaturit. Omnia exſuperans rerum novitate Bas Caſtellum, viribus humanis inexpugnabile. In hoc quoque æſtuario ſitus eſt Scopulus anguſto aditu, vix piſcariam navim recipiens, qui non in ſeſe ædificia excavata habet, ſed excavatus non incommodiora domicilia intus præbet, quam ſi magnis operibus extructus eſſet. Cæterum hac re longe munitiora. Quicquid autem in eo eſt, portentoſa plenum eſt novitatis. Avium enim, quas vernacula lingua Solandis appellamus, haud abſimilium illis, quas Aquilas Plinius aquatiles vocat, in eo ingens copia inhabitat, nec in ullo alio ferè loco. Eæ, quamprimum adveniunt, incipiente vere, conſtituendis nidis tantam lignorum copiam comportant, ut auferentibus, qui illic habitant (nec enim id ægrè ferunt) ſatis in annum ex ea parte proſpectum ſit. Pullos ſuos piſcium alunt uſque delicatiſſimis. Nam ſi quempiam antecęperint, avolanteſque meliorem fundo maris nantem conſpiciant, abjecto illo, magno ſe impetu præcipitantes immergenteſque prædam perſequuntur illam. Vbi vero ad nidum eſcam pullis adportarunt, auferentibuſque rurſus hominibus haud gravatè concedunt, continuo pro aliis advolantes. Pullos quoque nec repugnantibus deprædantur, unde ingens commodum ad Caſtelli Dominum redit. Nam cutem detrahente, cum pingui, oleum inde magni pretii conficiunt. Habent quoque inteſtinum quoddam parvum, oleo ſingularis virtutis refertum. Coxendicem enim arthritimque & id genus morbos ſanare conſuevit, ut appareat hanc avem, cum omnibus modis hominum uſi-*

uſibus inſerviat, quod rarior ſit, hoc ſolo ſe eſſe inferiorem. Hactenus Boetius. Nos odorem halecis, dum aſſatur, emittere, in Scotia dum eſſemus, percepimus.

CAPUT VI.

DE ALCYONE, ANATIBUS, ET AVI EMME.

FAma eſt *Alcyones* nidos ſuos ex duriſſimis piſcium oſſibus, & acutiſſimis ſpinis fingere, ac rarius niſi ſupra mare videri, inter ſalſuginoſa maris incunabula. Pariunt circa brumam. Quamobrem quoties bruma ſerena exiſtit, *dies Alcyones* appellantur, ſeptem ante brumam, ſeptem à bruma. Illis autem nidum conficit; bis parit. *Plin. l. 5. c. 8.* Nidi figura pineali aſſimilatur, aut ventoſæ cui collum longum. *Albert.* Propter artificioſam compoſitionem non facile ferro ſecatur: *Ariſtoteles* tamen, ſi manu atteratur & conſticetur, ac una ferro tundatur, facile confringi ait. Mare illum ne intret, oſtiolum ex intumeſcente ſpongiæ inſtar materia, conſtruit, tumore claudente; Ab ingreſſuris comprimitur, & aquam exudans, præbet aditum. Tantus fœminarum erga maritos amor, ut ſemper iis adſint, humeris ſuis in gravida ætate portent, qui tandem in coitu obeunt. *Plutarch. de Solert. animal.* *Anates* domeſticæ omnibus fere ſunt notæ. Lybicæ mediæ ſunt inter Anſerem & Anatem magnitudinis. Membrum genitale habent tam magnum, ut digiti unius craſſitudinem, aut quinque longitudinem æquet, ſanguinis inſtar rubrum. *Bellon.* Ova illarum ſi ad ſolem deſpicias, deprehendes in ſummo nigredinem, quæ in earum roſtris. *Scaliger.* Nullam emittunt vocem, quamvis & pulmones & arteriam habeant. Alturus numeroſum illarum gregem, duas noſtrates ſingulis maribus deſtinet; ſic magnum ovorum numerum parient. Sed ita geniti pulli, nullam poſtea ſobolem procreabunt, ut alia animalia, quæ ex diverſis generibus naſcuntur. Sunt in Ancyra, quæ voce cornuum imitantur ſonitum, qualia inflare ſolent per diſpoſitos equos iter facientium duces. *Au-*

ger.

ger. Libertatis tam ſunt amantes, ut per totum triennium in corbe nutricæ, ſi occaſio detur, aufugiant. Feratum in Septentrione tanta eſt copia, ut cunctas fere aquas cooperiant. Nonniſi autem in tepidis vivunt. Ne hyeme glacie conſtringantur, naturæ inſtinctu circulariter & oblique natantes, eas apertas ſervant, tantumque vociferantur, ut ad magnam viarum inde audiantur diſtantiam. Frigoris ſuperatæ vehementia, in ſublime elatæ, mare petunt. *Olaus lib. 19. c. 6. Avem Emme* Hollandi ex Iava ſecum adduxere. Cycui duplicem habet magnitudinem, colore nigra, penniſque nigris veſtita. Sed ex ſingulis originibus binæ procedunt, quæ ſtruthionis æmulæ. Alis caret & lingua. In capitis corona, peltam habet duritie teſtudinis, peltæ ſimilem. Non poma tantum pugni magnitudine, ſed & glaciei fruſta, ardentes denique prunas, abſque noxa deglutiebat. *Aldrovand.*

CAPUT VII.

DE AVE BERNICHIA.

AVis eſt in Britannia, quam Berniclam, Bernichiam & Brantam Angli appellant, Scoti nomine *Clakguſe* dignantur. Fero eſt anſere minor, pectore aliquouſque nigro, cætera cinereo. Anſerum ferorum modo volat, ſtrepit, paludes frequentat, & ſegetem depopulatur. De ortu illius magna eſt inter doctos controverſia. Nam quidam ex putreſcentibus lignis, quidam ex pomis, quidam ex fructu foliis conglomeratis ſimili, qui cum opportuno tempore decidit in ſubjectam aquam, reviviſcit, convertiturque in avem vivam, oriri exiſtimant. Creſcit illa in Inſula Pomonia in Scotia verſus Aquilonem. Et hujus opinionis ſunt *Iſidorus*, *Alexander ab Alexandro*, *Olaus Magnus*, *Geſnerus*, *Boetius & alii.* E contra *Albertus* & nonnulli ex coitu generari aſſerunt. Batavi ex propria inſpectione in Groenlandia, Barniclas, quæ ovis incubarent, pulloſque educarent, ſeſe inveniſſe affirmant. Sed ut hæc conſiſtere poſſunt, cum ex putridis nata ova ferant; ſic evidentiſſimum videtur, quod de

illis longo orationis tractu, *Boetius* prodidit. Vt quivis animadvertat haud fabuloſa iſta eſſe, adjiciam. *Reſtat jam*, inquit ille, *de Anſeribus quos Clagis appellant, quoſque vulgo perperam in arboribus naſci in his inſulis credunt, & quæ hujus rei cognoſcendæ multo jam tempore ſtudioſi, re diligenter explorata cognovimus, diſſerere. Mari enim illis interjecto, mihi magis eorum procreandi vis quædam ineſſe videtur, quam alicui alii rei. Variis enim modis, rerum in mari ſemper provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id projiciat, temporis tractu, primum in eo excavato vermes naſcuntur, qui ſenſim enatis capite, pedibus atque aliis plumas poſtremo edunt. Demum anſeribus magnitudine æquales, cum ad juſtam pervenerint quantitatem, cœlum petunt, avium reliquarum more, remigio alarum per aëra delati. Id quod luce clarius, anno à partu virgineo, milleſimo quadringenteſ. nonageſimo pluribus ſpectantibus in Buchania viſum eſt. Nam cum in ea ad Petſchlege caſtellum, fluctibus hujuſcemodi lignum quoddam ingens delatum eſſet, rei novitatem, qui primi conſpexerant, admirantibus, ad loci illius Dominum accurrentes, rem novam nunciant. Is adveniens trabem ſerra dividi jubet; quo facto, ingens confeſtim apparet multitudo partim vermium, aliis adhuc rudibus, aliis membra quædam formata habentibus, partim etiam formatarum perfecte avium; inter quas quædam plumas habebant, aliæ implumes erant. Itaque rei miraculo ſtupentes jubente Domino in templum Divi Andreæ, Tiræ, lignum illud somportant, ubi & hodie manet, ſicuti erat, à vermibus perforatum. Hujus ſimile duobus ſubinde annis in Thaum æſtu appulſum, ad Bruthe caſtellum, multis accurrentibus oſtenſum eſt, quod exinde duobus rurſum annis Lethæ portu Edinburgenſi univerſum populum ſpectare contigit. Ingens enim navis, cui inſigne ac nomen Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos, ad unam Hebridum in anchoris conſtitiſſet, huc reducta atque in terram ſubducta, plena omnia exeſis trabibus, quæ mari ſemper merſa fuerat, vermium hujuſcemodi, rudium partim, aut perfectam nondum avis formam habentium, partim jam abſolutorum oſtendit. Ceterum cavillari id quiſpiam poſſit*,

arbo-

arborum truncis ac ramis in Inſulis illis natarum, hanc virtutem ineſſe; Chriſtophorum quoque illam ex trabibus Hebridianis contextam aſſerens. Itaque quod ipſe abhinc ſeptem annis vidi, haud gravabor in medium adducere. Alexander Gallovidianus, Kilkendenſis Eccleſiæ paſtor (vir præter inſignem probitatem, rerum adnarrandarum ſtudio incomparabilis) cum extracta alga marina inter caules & ramos, a radice ſtatim pariter, & uſque ad cacumen enatos, qua conjunguntur, conchas adnatas videret, rei novitate attonitus, mox cognoſcendi ſtudio eas aperit, ubi magis multo quam antehac obſtupefactus, conſtitit. Non enim piſcem in teſtis concluſum comperit, ſed (dictu mirabile) avem. Itaque ad me extemplo, quem ejuſmodi rerum cognoſcendarum, jam olim magna cupiditate detentum noverat, celeriter accurrit, remque omnem monſtrat, non magis rei miraculo obſtupefacto, quam re tanta ac tam inaudita conſpecta, læto. Hac enim re ſatis conſtare arbitror, non hac procreandarum avium ſemina, aut truncis aut arborum ineſſe fructibus, ſed ipſi Oceano, quem Maro & Homerus patrem rerum haud temere appellavere. Verum quoniam id fieri videbant, cadentibus in aquam arborum ad littus poſitarum pomis, ut temporis tractu ex illis ea apparerent volucres alites, in eam ſententiam abducti ſunt, ut poma in illas ipſas commutari opinarentur, &c. Hactenus *Boëtius.* Tibi judicium permittitur, Lector: Ego Dei veneror potentiam; & ad finem claſſis Appendicis loco quædam ex diſcurſu *Majeri de volucre arborea* adjicio.

CAPUT VIII.
DE BUBONE ET CATARRHACTA.

B*Vbo* in rupibus nidulatur altiſſimis, ita ut ova ejus vix aliquando inventa fuerint. De ejus partu à Plinio traditur, quod cauda ab ovo exeat; quondam pondere capitum perverſa ova; poſteriorem corporum partem, matri fovendam applicet. Dicitur ſe in templis oleo è lampadibus ingurgitare. Non tantum aves

rapit, ſed & lepores. In diſſecto anas repertus eſt. Cerebrum ejus cum adipe anſerino mire vulnera conglutinat. *Catarrhacta* mirum incubandi modum habet; ſi verum eſt, quod *Oppianus* tradit. Algam ſuper petram inſternit ovis, & ventis relinquit expoſita. Hinc mas arripit illa, unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam. Tum unguibus in ſublime ferunt comprehenſa, mox mittunt in pelagus; repetitis vicibus calefiunt motu, & excluduntur.

CAPUT IX.

DE COLLURIONE, ET CAPRIMULGO.

C*Ollurio* in dumetis nidum collocat, cujus parietes ex muſco, lana & herbis tomentoſis, fundus ex erica. In eo pulli ſex inveniuntur, parentibus adeo diſſimiles, ut vix unica nota eoſdem referant. Parum quia volat, cantum aliarum avium imitatur, capit advolantes. Capitur facile. Nam cum caveæ incluſam videt avem, deſuper volat invaſura. *Caprimulgus* paſtorum intrat ſtabula, capratumque advolvitur uberibus propter ſuccum lactis; qua injuria uber emoritur, capriſque quas ita emulſere oboritur cæcitas. *Plinius lib.* 10. *cap.* 40. Interdiu parum videt, noctu perſpicax eſt. *Ariſt. hiſt.* 9. *cap.* 30. In Creta tam horribilem vocem edit, ut pavorem incutiat incolis. *Bellonius.*

CAPUT X.

DE CUCULO.

C*Vculus* eſt avis frigidiſſimæ corporis conſtitutionis, inde & tam timida eſt, ut ab omnibus aviculis infeſtetur. *Plin. l.* 10 *c.* 9. & alienis pariat nidis, præcipue Palumbi, Currucæ, Alaudæ, Rubeculæ, & Luſciniæ. Si vacuos repererit, non eo divertit; ſi cum ovis, quædam deſtruit & abſorbet, ſua reponit, quibuſdam omnia deſtruere dicitur. *Ariſt. lib.* 6. *cap.* 7. Excluſi pulli & ab ave agniti, verberari dicuntur, & avolare

avolare ad parentem. Nota autem naturæ bonitatem. In illarum avium deponere eum docuit nidis, qui communi cibo fruuntur. Veſcitur autem vermibus, inſectis, ſed & granis. Cicadæ ante caniculam ubi vocem ejus audiverint, agmine in eam irruunt, ſub alis reconditæ morſus ingerunt & interimunt. *Iſidor. l. 12. c.* 8. Ex ſaliva autem illius naſci dicuntur. Hyeme deplumeſcit & colorem mutat. *Ariſt. 9. hiſtor. c.* 43. In monte Græciæ Coccygio paliurus naſci dicitur, cui omne animal, quod inſederit, hæret, tanquam viſco retinente, excepto cuculo, inquit *Plin. l.* 30. *cap.* 10. Quo quis loco primo audiat alitem illam, ſi dexter pes circumſcribatur, ac veſtigium id effodiatur, non gigni pulices, ubicunque ſpargatur.

CAPUT XI.

DE CORVO.

ALbos Corvos reperiri in Septentrionalibus & novo orbe, certum eſt. Apud *Alphonſum Siciliæ Regem*, unus etiam erat. Dealbatum iri aſſerunt, ſi ovum ejus pinguedine vel cerebro felis illitum, gallinæ albæ loco frigido ſupponatur. In agro uberrimo gregatim feruntur, bini infructuoſo. Varias fundit voces, numerati ſexaginta quatuor; propriiſſima crocitatus, quem nullo pathemate aut aëris tempeſtate immutatus occinit. Carnem appetit tum crudam, tum morticinam; ſi ab hac abſtinet, malum indicium eſſe Thucidides in Athenienſi exploravit peſtilentia. *Iulius Cæſar Moderatus Ariminenſis* experientia didicit, eum oſſa & pediculos per os revomere. *Hyginus* negat quamdiu ficus coquuntur bibere poſſe, quia guttur tunc habeat pertuſum. Excluſos pullos expellit, ob albicantem colorem: quamvis ſeptimo à natali die nigrum recipere ſcribunt. *Caſſiodorus* eos tum rore cæleſti paſci credit, ex *Pſalmo*. Cicur nummos de menſa Erfurti tollebat, & ſervabat. Coquum Conradum in fame tam articulate invocabat, ut loqui putarent hominem; librum denique Muſicum inventum, quaſi notas legeret, pertudit, *Scalig. exerc.* 237. Cadente fulmi-

fulmine ore ignem ferre notavit *Barbarus*, favillas ignis cum exhalationes in fulmine accenduntur, loco fruſti carnis arripere putant quidam. Ad centum & octo annos pertingere dicitur. Certe in urbe Galliæ quadam per centum annos fuere. *Albert. 9. hiſt. c. 10.* Medicus quidam ætate Plinii celebris, duos corvos menſe Martio è nido ſublatos, combuſtos, & in leviſſimum pollinem redactos, epilepticis propinabat, bis vel ter in die, drachmæ pondere, cum aqua decoctionis caſtorei.

CAPUT XII.
DE CORNICE ET CHRYSAETHO.

IN Britannia ingens *Cornicum* copia, tum quia mari undiquaque alluitur, tum quia in pabulo ejus ſoli humido vermes abundant. *Cardanus.* Albam *Ludovicus Rhodiginus* vidit, capite nigricante, haud procul à Rhodigii mœnibus. *lib. 17. Antiquit. lect. c. 11.* Nucibus præcipue gaudet, quas ſi perfringere nequit, in ſaxa ut perfringantur demittit. *Ælian. l. 3. c. 9* Non temere miſcentur, imo uno mortuo viduitatem illibatam alter ſervat. Ciconiis trans mare volantibus ducem ſe præbet. Tam induſtria eſt, ut Merthes Ægyptiorum Rex unam habuerit, quæ literas quocunque juberet, deferebat. *Porphyr. de abſtin. ab animal.* Occiſa & donec putreat relicta, elicit mares, poſita in loco ubi ſunt, ut occidi poſſint. *Geſner. Chryſaetho* lingua humanæ ſimilis eſt, verſus radicem duobus utrinque ceu hamatis appendicibus corneis armata. Longitudo ejus interdum à roſtro ad ungues quatuor ſpithamarum & media, latitudo expanſis aliis octo. Verum tantum ovum ponit, ſi duo, putre unum eſt.

CAPUT XIII.
DE COLUMBA.

Columbæ cum duo edunt ova, mas uno editur, alʼtero fœmina, ſed quia major in illo virtus, prior exire dicitur. *Paul. à Caſtro.* Excluſis pullis ſalſuginoſam terram in os, præmanſam, ingerunt, tum ut præparent ad recipiendum poſtmodum cibum, tum ut fœcunditatem implantent, tum denique appetitum excitent. *Athen. 9. hiſt. c.24.* Dociles eſſe multa probant. Ex aure Mahumetis una capiebat cibum; Leydenſis obſidionis tempore literas portabant nonnullæ. *Lipſius.* Idem in nupera Buſcoducana factum. Vt in Columbariis retineantur, aliaſque alliciant, varia adhibent varii. Quidam enim ſanguinem humanum cum piſis integris, in vaſe figlino, per horæ circumagunt quadrantem, tum illo columbas illinunt, hæc devoranda objiciunt. *Geſner.* Quidam cranium hominis ſenis in columbario ſuſpendunt. *Albertus.* Nonnulli lori particulam quo homo ſtrangulatus, feneſtris appendunt. *Pallad. l. 3. c. 44. Plin. l. 11. c. 37.* hominum dentibus quoddam virus ineſſe, quod columbarum fætus implumes necat, ſcribit. Ex arcanis Ægyptiorum accepimus, columbarum victitantes carnibus, peſtilentia non capi. Hinc ſolæ tempore peſtilentiæ illorum Regum obſonium; *Cardanus* eaſdem cum jure præſcribit. Stercus illarum tam calidum; ut à ſole accenſum, ædes, referente Galeno, exuſſerit. Idem eo ceu calefaciente pharmaco utitur, & cum naſturtii ſemine tuſum aridum pro ſinapi in iis quæ phænigino indigent adhibet. Anno 1550. capta eſt una in Germania, quatuor pedibus, duplici alvo. Ad *Carolum* & *Electores* allata, omnibus miraculo fuit.

CAPUT XIV.
DE CYGNO.

Cygnorum magna multis in locis copia. In Moravia Scotiæ provincia eſt lacus Spina nomine, inſignis olo-

Muſicorum, quæ inferiori ſui parte ſimili fiſſura patulæ ſunt, figura ac compoſitione repræſentans. Sub hac larynge arteria in duos canales divaricatur; quorum ſinguli in medio ampliori capacitate protuberantes, recta in pulmones exiguos coſtis retro totos affixos, abeuntes, diſtribuuntur. Mira hæc conſtitutio, & reſpirationi inſervit & voci. Nam cum in ſtagnorum fundo, edulia pro victu quærat, longiſſimo indiguit collo; ne longa mora ſuffocationis incurreret periculum tali arteria. Et certe dum per dimidiam ferè horam collo & capite pronis, vado immergitur, ex ea arteriæ, quæ pectoris dictæ vaginæ recluſa eſt, portione, ſpiritum haurit. Quantum ad cantum, ante mortem canere plurimi affirmant, negant plurimi. *Oppianus* diluculo canere ante ſolis exortum ait, in maris etiam littoribus; in ſenecta denique morti vicinum, ſed remiſſius. Favonium, addit, tum ad canendum obſervant, ignavi cruribus & membrorum viribus deſtituti. Videtur in hanc ſententiam aſperæ arteriæ facere efformatio.

CAPUT XV.
DE CICONIA.

Ciconiæ olim in Fidenate agro, nec pullos alebant, nec faciebant nidum, ad Larium etiam lacum in Tranſpadana Italia arbuſtis amœnum, vix viſæ, referente Plinio. Germaniæ quandam urbem in qua decimæ non ſolvuntur, neque intrare, neque inhabitare, autor libri de Natura ſcribit. Sunt aves migratoriæ, dubium an omnes. Multæ velut extinctæ à piſcatoribus reti in ſiccum tractæ ſunt, eæque ſimul junctæ mutuo, ſimul roſtra in ano inſerta habuere & calefactæ revixere in thermis. In Lotharingia certe id accidiſſe anno 1467 refert *Campoſulgoſus l. 1. memorab.* Abituræ in certo congregantur loco, comitatæque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur. Notatum poſt Idus Auguſti non temere viſas. Roſtro, cum venter non obedit, in anum indito, fæces ejiciunt, ſic clyſteris invenere uſum. Gratitudinis & caſtitatis ſumma illis cura eſt.

eſt. Valedicebat quædam ſuo, Veſaliæ ſuperiori, hoſpiti, ſalutabat eundem redux. Non contenta tandem vocali gratitudine, radicem viridis Zingiberis attulit. Alia abſentis hoſpitis uxoris ſtupratori oculos effodit. Alia denique ſuæ conjugis adulterium in abſentia commiſſum cum deprehendiſſet, multis aliis adductis, eam laniavit. Feſſos parentes fert humeris; & ore iiſdem ſuppeditat cibos. Hinc pietatis vocabulum ἀντιπελαργεῖν. *Geſner*. Præſagam illam eſſe Attilæ demonſtratur exemplo. Is enim, ut ſcribit *Æneas Sylvius*, niſi ciconias ex altis turribus in obſidione Aquilejæ vidiſſet, receſſiſſet ab ea. At id augurium capiendæ urbis ratus in propoſito perſtitit, brevique ea potitus eſt, cum triennio eam obſediſſet. In Anglia nullæ dantur, ut ex Cl. Baudartio accepimus.

CAPUT XVI.

DE FALCONE.

IN *Falcone* tantum eſt robur, ut avem percuſſam à capite ad caudam uſque diſſecet. Drepanis avicula lacuſtris, ubi tintinnabuli ſonitum audiverit, mavult ab hominibus lapidibus obrui, quam ſe attollere. Solet laborare morbo quodam, quem Falconarii Filandram vocant. Eſt vero id quoddam genus vermium non longe à renibus, juxta quos membranæ cuidam tenui & propriæ involuti ſunt, inſtar fili graciles, longitudine dimidii cubiti, fortaſſe à generationis primordio; niſi occurreris, principales partes exedunt & corpſum. *Gyrfalconum diverſa ſunt genera.* Albi reperiuntur in Moſcovia, Norvegia, Hibernia. Audaces ſunt. Si in quinque grues unus emittatur, tamdiu perſequitur, donec ſingulas in terram dejecerit. Eſcam in caverna ſervatam, quodam ſeriei ordine ſumit. Nunquam ſeſe aqua abluit, ſed ſola arena. Frigore tantopere gaudet, ut ſemper aut ſuper algido geſtiat ſtare lapide. Etiamnum tudis plerumque quinquaginta aureis vænit. *Falco Rubeus* ſic dictus eſt, quia guttæ in cæteris albæ in hoc genere rubræ & nigræ ſunt: non autem videntur eſſe, niſi cum alas explicat.

Rubedinis

Rubedinis cauſa, color debilis infuſis in ſuperficiem corporis & inflammans fumoſum humidum, quod excernitur ad generationem pennarum.

CAPUT XVII.
DE GALLINA ET GALLO.

GAllina in regno Senegæ triplo ſunt majores noſtris, multæ prope Theſſalonicam. In oppido Furch verſus orientem albæ lana tectæ inveniuntur. in civitate Quelinſu regni Mangi loco pennatum pilos habent. *M. Paulus. Venet. l. 2. c. 68.* Pariunt quædam ova gemina, id eſt geminis vitellis, qui ne confunderentur ſeptum fecit tranſverſum. Refert *Ariſt. in Mirabil.* duodeviginti gemina peperiſſe quaſdam, & excluſiſſe, fætum unum altero fuiſſe minorem, in monſtrum degeneraſſe tandem. Apud Macedones unam repertam, quæ duodeviginti ſemel ediderit, & incubitu binos pullos ſimul excluſerit, author eſt *Pierius lib. 34. Hieroglyph.* Ova autem & in illis & in avibus aliis primo ſuperius ad ſeptum tranſverſum concipiuntur; ubi primo minutum & candidum cernitur, ut *Ariſtotel.* tradit, mox rubrum cruentumque, deinde increſcens luteum & flavum efficitur totum; jam amplius auctum diſcernitur, ita ut intus pars lutea ſit, foris candida ambiat. Vbi perfectum eſt, abſolvitur, atque exit putamine, dum patitur molli, ſed protinus dureſcente. Locus perfectionis eſt ipſe uterus, in quem decidunt. *Aldrovand. lib. 14. Ornithol.* Refertur autem à quibuſdam Gallum etiam ovum parere nono aut decimo quarto ætatis anno. Id autem ex putrefacto intus ſemine, aut humorum colluvie conflari exiſtimant: Rotundum eſſe putatur, & ſub caniculæ edi exortum. Ab ambientis enim tum calore, expultrix languida, in alite decrepita juvatur. Apud Ferrantem Imperatum Pharmacopæum Neapolitanum oblongum viſum eſt. *Aldrov.* Gallis ingens eſt ſalacitas. Nam quinquagies etiam uno die uxores ineunt, quin ſemen ad conſpectum vel vocem gallinæ, emittere viſi ſunt. *Ælian.* Lex quondam erat, teſte *Plutarcho in libro, Num-*

Nam bruta ratione careant, ut, ſi Gallus iniviſſet Gallum, vivus combureretur. Sanguinis ubi ſe gravari ſentit copia, criſtas tam diu ſcalpit, donec ſanguinem eliceerit. Mane cantare omnibus notum. Cauſam alii in amicitiam cum ſydere, alii in ſalacitatem, in famem deniq; nonnulli referunt. Mahumetani ad vocem Galli in cœlo cantantis reſpondere, aſſerunt. *Keckerm. in Phyſicis.* Prius aliquid videtur. Nam canit etiam ſatur, nec non à coitu Canit & illa præſente. Caſtratus canere deſinit. *Plin.* vero *l.* 19. *c.* 4. circulo è ſarmentis collo addito, non cantaturum promittit, *Albertus* capite & fronte oleo inunctis. Cum Alcyone amicitiam ſummam colit, ita ut ſi in eadem ſint domo, & illa intereat, hic etiam inedia ſe interimat. Vulpium carnes coctas qui deguſtaverunt, per duos menſes ab illorum cauti ſunt inſidiis. *Boetius.* Quantum ad Gallum Gallinacium, *Geſnerus* ex manuſcripto Germanico ſe decerpſiſſe ait: Virum quendam nobilem in colicis affectibus, poſt multa remedia fruſtra tentata, epoto tandem pinguedinis capi in aqua abſque ſale decocti cyatho, ſanitati reſtitutum eſſe. Oportet autem, inquit, pinguedinem juri innatantem bibere calidiſſimam.

CAPUT XVIII.
DE GRUE ET GALBULA.

GRues omnem terrarum peragrant orbem; in omni tamen ſponte degere terra, vix crediderim, inquit *Aldrovandus l.* 20. Aſpera ejus arteria utrinque inſeritur in carnem, penitus ad os ſternon. Vnde ex longinquo auditur. Migrant, ſed haud obſervato tempore, quam autem celeriter, exemplo Cyri patet, qui per intervalla locorum, tabellarios ita diſpoſuiſſe legitur, ut fatigatis recentes, & nocturni diurnis ſuccederent, quo volantes ſuperarent grues. Inter volandum trianguli oxygonii conſtituunt formam, ut aërem adverſum penetrent facilius. Quæ agmen cogit cæteras, ut ait *Iſidorus*, caſtigat, rauceſcenti ſuccedit alia. Vbi in terram deſcenderint cibi gratia, dux in altum caput erigit in cuſtodiam omnium, cæteræ ſecurè paſcuntur.

ſcuntur. Antequam quieſcant, ducem rurſus conſtituunt, qui erecto collo provideat, tum cæteræ dormiunt, capite ſub alam condito, alternis inſiſtentes pedibus. Dux agmen circuit, & ſi quid accidat, exclamat. Ne ſomno opprimantur, unico inſiſtunt pede, altero ſublimi lapillum continentes, ut ſi quando labore fatigatas ſomnus oppreſſerit, edito ſtrepitu ex lapilli expergiſcantur caſu. Magnus illis erga pullos amor eſt, ut pro educandis decertent. Vidit Albertus gruem marem dejicere fœminam & occidere, roſtro undecim inflictis vulneribus, eo quod pullos, quo minus ſe ſequerentur, abſtraxiſſet. Hoc accidit Coloniæ, ubi grues manſuetæ generare ſolent. Quæ de illarum & Pygmæorum concertatione dicuntur, anilia ſunt. *Galbula* ſuſpendit ſuum nidum in ramis cyathi modo, ut nulla quadrupes accedere poſſit. Figuram teſticulorum arietis nidus refert. *Albert. Magn.* Sunt qui dicunt ſericum in eo reperiri, avem ab aqua non longe ædificare, nidum ex muſco, funiculos vero quibus eum ſuſpendit ex pilo equino eſſe. Diſcedit ex Italia Arcturi ſyderis exortu. Dependens pedibus ſomnum capit, quod ſe tutiorem ſperet. *Plin. l.* 10. *c.* 33. Cum ad Germanos accidit, non amplius naſcituras pruinas certa ſpes eſt.

CAPUT XIX.
DE GRACULO.

G*Raculum* præter ſegetes locuſtis veſci colligitur, quia à Lemni Inſulæ incolis, has aves coli ſolitas tradunt, quoniam adverſo volatu occurrerent locuſtarum exitio. *Plin.* 10 *c.* 29. Mares malunt vitam perdere, quam fœmellas deſerere. Oculos retenti impetere ſolent. Ratio redditur à *Nicolao Leonico*: Vel quod clari perfulgenteſque exiſtunt oculi, & bene mobiles: hujuſmodi autem aves res ad ſe trahere & allicere natæ ſunt. Nam & commotum etiam circa roſtrum digitum frequenter appetere & ſcalpere ſolent volucres: Vel quia oculis abſoluta adeſt ſpeculorum vis, adeo ut tam parva pupilla, totius ex adverſo ſtantis,

tis, reddat imaginem. Aliter igitur, quia effigiem in his cernunt ſuam, velut ad cognita deſideria tendere cupientes, illos appetere, veriſimile eſt.

CAPUT XX.
DE HIRUNDINE.

IN omnibus fere regionibus Hirundines reperiuntur: tamen nec tecta Thebarum, quia ſæpiſſime captæ, ſubire, nec Biziæ in Thracia propter ſcelera Terei inveniri autor eſt *Plinius*. Frigoris ſunt impatientiſſimæ. Hinc *Claudianus*:

Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis Hirundo.

Vbi autem tempore hyemis degant, varie deſcribitur. Certum videtur, in arborum cavis ſeſe ſuo calore glomeratim invicem adhærentes fovere. In ſeptentrionalibus autem plagis, ubi præ frigore homines emoriuntur, in aquis reſidere, *Olaus Magnus Epiſcopus Vpſalienſis*, relinquit. Etſi multarum, ait, naturalium rerum ſcriptores memoriæ prodiderunt, hirundines mutare ſtationes, hoc eſt, exurgente hieme repetere terras calidiores: attamen in ſeptentrionalibus ſæpius caſu piſcatoris extrahuntur hirundines, in modum conglomeratæ maſſæ, quæ ore ad os, alâ ad alam, pede ad pedem, poſt principium autumni ſeſe inter cannas deſcenſuræ, colligarunt, &c. Maſſa autem illa extracta, atque in æſtuaria portata, caloris acceſſu hirundines reſolutæ, volare quidem incipiunt, ſed exiguo tempore durant, quia immatura acceleratione non liberæ, ſed captivæ ſunt reductæ. Ingentem illarum induſtriam Ægyptus oſtendit. In Heracliotico enim Ægypti oſtio, uſque adeo molem continuatione nidorum vaganti Nilo inexpugnabilem opponunt ſtadii unius ſpacio, ut id humano opere perfici, vix poſſe credatur. *Plinius.* In eadem Ægypto juxta oppidum Copton, inſulam eſſe ajunt Iſidi ſacram, quam ne laceret amnis idem, muniunt opere, incipientibus vernis diebus, palea & ſtramento oſtium ejus firmantes, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, ut

multas

multas in opere emori conſtet. Pulli earum cæci naſcuntur, ſi Philoſopho & Plinio credimus; ubi vero tardius viſum recipiunt, herba admota, Chelidoniam quidam appellant, ei reſtituunt. Coitus eis mirus. Nam cum cæteræ à majoribus conſcendantur, Hirundines contrario miſcentur modo. *Geſner.* Corda earum augere memoriam, ſi cum cinnamomo, & his quas elephanginas ſpecies nominant, ſumantur, ex *Hieronymo Montuo Medico Praſtantiſſimo*, audiviſſe ſe refert *Iacobus Olivarius*. Hinc *Iohannes Vrcinus*.

- - - Cor mandito amomis
Commixtum, ingenii vis tibi major erit.

CAPUT XXI.
DE HALIÆTO, IBIDE, ET LOXIA.

EX *Haliatis*, ſeu aquilis marinis, quidam dicuntur habere unum pedem aquilinum & aduncum, planum alterum anſeris inſtar, eo ad natandum uti. Adipem etiam pretioſum in cauda continere, per aëra volare, & in eo veluti pendere, tum adipis aliquid in aquam immittere, à quo in piſces ſtupor, ut ſupini vertantur, & illorum captura, refertur à nonnullis. *Ibis* avis eſt Ægypto tam propitia, ut extra non vivat. Simul ac nata eſt, ſi perpendatur, duas ponderat drachmas. *Plutarch. de avib. l. 4. c. 9.* Majus illi cor quàm ut proportione reſpondeat, inteſtinum nonaginta ſex cubitorum, idque in Lunæ defectione comprimi, donec aucto ſplendore augeatur, refert *Gaudentius Merula.* Cum Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus eſt, ut morſum, antè mors quam dolor inſequatur, ſagacitate quadam ad hoc velut excitatæ, in procinctum eunt univerſæ, & priuſquam terminos proprios malum vaſtat, in aëre occurſant catervis peſtilentibus. *Marcell. Loxias* ratione roſtri nullam cum aliis avibus ſimilitudinem gerit. Hinc putatur Ariſtoteli incognita. Rubere ſolet pectore, collo & ventre, ſed hyeme mutat colorem. Seminibus cannabis, cadaveribus, nucleiſ-

nucleiſque abietum delectatur; in ejuſmodi denique arboribus Ianuario & Februario menſibus nidificat. Hyemali tempore, cum frigore omnia rigent, cantat; æſtate abſtinet.

CAPUT XXII.
DE MILVO.

MIlvi ubique fere gentium degunt, ſed loca mutant, præſertim ſi ſint in vicinia. Nam alias in cavernis quercuum inventi ſunt, pulvere carioſo corpus foventes. Circa Pontum Euxinum tam multi hyeme adventante conſpiciuntur, ut ſi per quindecim dies tanta advolaret, quantam *Bellonius* una die vidit, copia, hominum exuperarent numerum. Adducunt ſecum Cuculum ſcapulis propter breves ejus volatus ſuſceptum. *Iſidor.* Mutandi temporis cognitionem ſcriptura illis adſcribit *Ierem. c.* 8. Tempore Caniculæ in mediam aëris regionem tanquam frigidam ſe confert, & ibi à meridie ad veſperam degit. *Herodot. l.* 2. In Lybia tamen & Sancti Dominici Inſula perennes ſunt; Londini quoque, quia non licet occidere. Hinc per confertos etiam homines, prædam (eſt autem ſpurcities in urbem aut Thameſin ab incolis ejecta) in altum tollunt. *Cluſ. l.* 2 *c.* 36. *in obſervat. Bellonii.* Carnes etiam è macello auferunt, panem è manibus puerorum, pileos de capitibus, nidulandi præſertim tempore. *Ælian. l.* 2. *c.* 47. Primis annis magnas venantur aves, vegetiores facti, parvas, tertio anno muſcas & culices. Viſum prædicat *Apulejus*, παντόφθαλμον certè *Ariſtophanes* dixit. Tam altè volat, ut ſe interdum humanæ eripiat aciei, tam late, ut nulla tam ampla aëris emetiatur ſpacia: tam denique celeriter ſe demittit, ut ſegmenta pulmonum bubulorum projecta arripiat, priuſquam in terram deciderint. *Bellon. l.* 2. *de Avib. c.* 26. Immotis alis interdum ſe per horam in aëre vibrat. Elata enim ex parte pauliſper ala, unde ſubit aura, motum etiam aëris in reliquum excipiunt corpus, atque ita ſuſtinentur. Punicæ malo nunquam inſidet, imo ne aſpectum fert:

at

at bubonis videndi maxime tenetur deſiderio. Comitialem morbum vivus in olla crematus, ſanare dicitur.

CAPUT XXIII.
DE MANUCODIATA ET MERGO.

QVinque *Manucodiatarum* ſpecies obſervavit *Aldrovandus*; Omnes quoad corpus vix hirundine majores, haud diſſimiles caput. Vita illis continua in aëre dicitur quies, & non niſi in motu tonico. Carent enim pedibus & nonniſi exſortes vitæ terra ſuſtinuit. Vanum. Difficulter enim in eo ligatis ſenſibus capietur ſomnus; ſummum quippe motus tonicus exercitium eſt. Par illud, in muſculorum dorſo cavitatem eſſe, in hanc fœmellas, quibus etiam venter cavus, ova ſua deponere. Nil tale invenit *Aldrovandus*, qui Manucodiatas vidit. Nec diverſum, paſci rore, tum quia ſublime volare dicuntur, tum quia non ſemper ros eſt. Reſtaurandum autem ſemper, quod ſemper deperditur. Ianiſſaros Indiæ populos pennis ejus exornari dicit *Bellonius*, harum adjumento illæſos ſe in prima acie futuros exiſtimant. De Paradyſo venire, voluptatum illius indicem, perſuaſere Regibus Marmin Mahumetani. *Mergi* in Oriente piſcium capiendorum capiuntur cauſa. *In civitate quadam*, inquit *Odoricus à Foro Iulii, ad magnum fluvium ſita in Oriente, hoſpitem piſcaturum comitatus, vidi in Naviculis ejus mergos ſuper pertica alligatos, quibus ille guttur filo ligavit, ne piſces captos devorare poſſent. Ponunt autem ad ſingulas naves tres magnas ciſtas, unam in medio, & ab utroque extremo ſingulas. Tum mergos ſolutos dimiſit; qui mox piſces quam plurimos cepere, & ipſimet in ciſtas illas impoſuere, ita ut brevi tempore omnes repleverint. Tum hoſpes filis à gutture ſolutis, eos jam ſibi ipſis piſcari, & piſcibus paſci permiſit. Hi paſti ad loca propria revertuntur, iterumque perticis alligantur.* Idem Venetiis factum ſcribit *Scalig.* Dimiſſo in profundum capite, auratarum ſigna ſub fluctibus colligunt, & prævidentes æquoris tempeſtatem cum clamore ad litto-

ra tendunt. *Iſidor. l.* 12. *c.* 7. *Mizaldus* vapores ab aquis ad imbriferam nubem erigendam ſurſum attolli, ſagaciter ſubodorari ait. Iecur ejus aſſatum cum oleo & modico ſale, tam præſentaneum eſſe à rabido cane demorſis, ut æger protinus aquam flagitet, auctor eſt *Aetius*. Idem inveteratum ſale, ex hydromelite duobus cochlearibus potum, ſecundas pellere apud *Dioſcoridem* legimus.

CAPUT XXIV.
DE NOCTUA ET NISO.

NOctuarum quondam in Attica maxima copia. In Creta nec naſcitur, nec vivit advecta. In Alpinis etiam Helvetiæ regionibus non eſt. Sexagenis diebus hyemis cubat. Novem dierum abſtinentia non læditur. *Plin. l.* 10 *c.* 17. In tenebris etiam & ſilente luna videre ſcribit Euſthatius. Vix, propter defectum medii. *Creſcent. l.* 10. *c.* 16. Die tamen non videt, propter nimis ſiccam & tenuem humoris ſubſtantiam, quæ ad luminis igneam diſſipatur. Sonum edit duplicem, Vnum tou, tou; alterum vocant cucubare. Cum corvis ſummas inimicitias gerit. Scribit *Pauſanias* haſtam noctuæ & cariotas, quæ in palma ad ſimilitudinem palmularum ex auro factæ fuerunt, corvos abripuiſſe. Vulgo obſervatum eſt: Noctuam, ſi nemora relinquat, annum ſterilem præſagire. Ebrioſis ova ejus per triduum in vino data, tædium ejus inferunt. *Plin. Niſus* tempore hyberno in ſylvis cæduis habitat, non ante occaſum, in ſuum latibulum revertitur. Cum viſum intendit in aliquid, nigredo oculorum pupillæ major evadit, quam aliâs. De hac ave in legibus Salicis legitur, quod, qui eam furatus fuerit, centum & viginti denariis deprehenſus teneatur.

CA-

CAPUT XXV.

DE ONOCROTALO ET RHINOCEROTE.

ONocrotalus magnitudine à ſumma roſtri extremitate ad imos pedes, ſpithamas decem exſuperat, *Aldrovando* teſtante. Alæ extenſæ ſpithamas decem perficiunt. Sub inferiore mandibula receptaculum illi ceu uter quidam ejuſdem longitudinis cum ea, longius dependens. Tantæ autem illud capacitatis, ut ingentis ſtaturæ homo ocreatus pedem ad genu in fauces immiſerit, exemerit inoffenſum. *Perottus.* Quin parvum in eo repertum Æthiopem, refert *Sanctius*. Erat Mechliniæ octogenarius, & Cæſaris Maximiliani caſtra aliquot annis præcedebat, quaſi locum illis ſignaturus. Poſtea impenſis regiis â quadam alebatur vetula; quatuor ſtupheris in ſingulos decretis dies. Enutritus ab illa annis quinquaginta ſex. In juventa tam ſublimi in aërem volatu quandoque evehebatur, ut hirundine nihilo appareret major. *Geſner.* Vlnæ etiam alatum membrana integuntur, ex qua numero viginti quatuor oriuntur tendines, qui tam tenaciter in eas inſerti, ut nullo ſeparentur pacto. Circa Lauſannam in lacu Lemano ſemel anno apparere, ſeſe audiviſſe ſcribit *Geſnerus*. *Rhinoceros* avis occiſa dicitur in aëre & in ipſo volatu cum Turcam Chriſtiani acie ſuperabant navali. Caput duorum propemodum dodrantum, cirrhis ornatum nigris, altis, deorſum ſpectantibus. Roſtrum propemodum dodrantes longum, recurvum, inſtar arcus cujuſpiam. Cornu è fronte enaſcitur, & ſupinæ roſtri parti adhæret magnæ molis. Nam prope frontem palmum unum latum eſt. Videtur eſſe *Aldrovando* Tragopanada Plinii.

CAPUT XXVI.

DE PSITTACO.

PRiſcis unum tantum fuit *Pſittacorum* genus: at qui Indias luſtrarunt ſupra centenos colore & magnitudine diſcrepantes offenderunt. *Veſputius* ſcribit in regione, ſupra promontorium Bonæ ſpei, è Pſittacis cognominata, in tantam eos excreſcere proceritatem, ut brachium in longitudine cum dimidio expleant. *Scalig. Exercit.* 236. unum tantæ magnitudinis ſe vidiſſe affirmat, ut clathratæ feneſtræ ſpacium fere impleret: quidam turdum, columbam, paſſerem, magnitudine non excedunt. Color tam multiplex eſt ut à nemine hodie ſufficienter deſcriptus fuerit. In fervidiſſima Æthiopia & ultima India toti albi ſunt, in Braſilia rubri, in Calecut praſſini, ſcutulati, purpurei. *Scalig. Exercit.* 59. *ſ.* 2. Apud veteres virore præcipue inſignes erant. Capite & roſtro duriſſimo eſt. Vnde cum loqui docetur, niſi radio ferreo ictus non ſentit; ligneis ideo non coërcetur clathris, & ferreis etiam ab eo periculum. Solus cum Crocodilo mandibulam ſuperiorem movet. Roſtrum præterea, quod nulli alii contigit, qua collo committitur, inferne ſub faucibus apertum eſt. Lingua lata inſtar humanæ, cucurbitæ ſeminis formam repræſentat. Pedum ſpecies cum picis communis. In deſertis *Iohannis Pretioſi* cum ſex digitis inveniri dicuntur. Humano more admovet ori eſcam. Non tantum diſcindit Amygdalas; ſed volutando etiam inter roſtri cavitatem, & lingua ſubigendo, & terendo comminuit & quaſi mandit, tandem deglutit. Roſtrum illi aduncum in hemicycli formam natura dedit & robuſtum; quod ſit natura ſcanſilis, nec obtineat caudæ pennas, quibus in arborem defixis veſtigium figeret. Roſtro igitur opus habuit, quod velut hamum quendam primum injiceret, mox ſublevaret corpus, tum etiam pedes obfirmaret. Degunt in calidis regionibus: In Pſittacorum regione adeo vili æſtimantur, ut ſinguli gemino denario veneant. Volant ſemper bini, & ne pedes debiles ob corporis deorſum labentis pondus offen-

offendant, roſtri robori confidentes, hoc ipſo violentiam caſus frangentes, ſeſe excipiunt. Imitantur hominem, accipiunt verba, & pronuntiant articulatè penitus omnia. Symbolum Apoſtolicum quidam apud Cardinalem pronuntiavit. *Scalig. Exercit.* 238. Ad interrogata reſpondet. *Henrici VIII. Regis Angliæ* in mare delapſus auxilium implorabat, & viginti librarum promittebat, extractus quatuor denarios dari juſſit. Accenditur, blande attrectatus, libidine, ita ut oſcula figat. *Scalig. Exerc.* 236. Si inter lugentes agat, lamentatur etiam. Fœminas Pſittacos nunquam aut rarenter humanas reddere voces, ſcribit *Tiraquell.* Simplicitas eis tanta, ut ad crocitantem Pſittacum, ex arbore, in cujus ramis auceps latet, multitudo ingens convolitet facileque ſe capi patiantur. *Petr. Martyr. in Decad. Oceani.* Carthami ſemine quod homini catharticum eſt, nutriuntur ac pingueſcunt. Pedibus ſuſpenſi caudam in altum, & caput deorſum ad aquam extendunt. Nidificant in procera arbore, ramis tenuibus, ad cacumina penſilem ſurculum alligant, & nidum ex eo in pilæ forma rotundum, exiguo foramine ſuſpendunt. Ova pro magnitudine ponunt. A qua pluvia moriuntur. Sacri apud Indos, ſed non *Columbi* tempore.

CAPUT XXVII.
DE PHOENICE ET PICO.

PHœnicem *Claudianus* ſic deſcribit:

> *Arcanum radiant oculi jubar, igneus ora*
> *Cingit honos; rutilo cognatum vertice ſydus*
> *Attollit criſtatus apex, tenebraſque ſerena*
> *Luce ſecat; Tyrio tinguntur crura veneno.*

Habitare dicitur in Arabia, & primo Heliopoli, quæ Civitas Ægypti, creditur conſpectus. Nidus ei ex aromatibus, Cinnamomo nimirum & Caſſia prope Nilum: In eo conſidet, & ventilatione alarum accendit ignem. Ex cinere vermiculus prodit, ex quo pullus. *Oppian.* ne vermis quidem meminit. De annorum numero varie ſcribitur. Maxime vulgatum quingento-

rum ſpacium. Sunt qui aſſererent, mille quadringentos ſexaginta unum interjici. Sed hæc omnia fabuloſa. *Pici* habent roſtrum acutum, durum, rotundum & robuſtum ad perforandas arbores: lingua illis longa ad occiput uſque extenditur, & ſuper totum capitis verticem ceu in glomum convolvitur, acutiſſima & in fine cartilaginea. Veſcuntur vermibus; cum vero eos venantur, tam vehementer arbores excavant, ut ipſas ſternant. *Ariſt. l. 9. hiſt. c. 9.* Nidum tanto artificio conſtruunt, ut ligna illa ex quibus inter ſe confertis conſtat, manibus facilius ſeparentur, quam ferro diſſecentur. Pullos cauda ex ovo exire refert *Plinius:* quoniam pondere capitum perverſa ova poſteriorem partem corporum fovendam matri applicent. Nunquam ſaxis inſident, ne unguium lædatur acies. Scandunt in ſubrectum felium modo, & quidem ſupini. In quacunque arbore nidificaverint, clavus aut cuneus hærere nequit: quin imo ubi inſederit, cum crepitu arboris decidit. *Plin. lib. 10. cap. 18.* Exiſtimant eum habere Lunariam majorem, herbam quæ creſcit & minuitur.

CAPUT XXVIII.

DE PICA.

Pica ſingulis fere horis mutat vocem. Humanam non tantum diſcit, ſed & diligit. Romæ audito buccinarum cantu quædam obſtupuit, poſt ſibi reddita, optime expreſſit. *Plutarch.* Deprehenſa laqueo roſtrum tantum movet, ne, ſi totum corpus, magis ſe conſtringeret. Cum rapæ feruntur proprium illius eſt calveſcere. A plumis depurgata & exenterata, ſi in vino albo ad conſumptionem ejus & carnis ab oſſibus ſeparationem decocta ſimul cum jure teratur, Solique ita per triduum exponatur, & ſubtili linteolo oculis applicetur, aſperitatem, obſcuritatem & ruborem eorum tollit. *Pica glandaria* habet ad alarum latera tranſverſales notas cæruleas, quales in nullo fere alio volucrum genere conſpicies; hiatum oris tam magnum, ut caſtaneas deglutiat. *Pica Braſilica* roſtrum duos

duos palmos longum obtinet, unum fere latum, ab inferioris partis initio ad ſuperioris extremitatem dimenſum. Subſtantia ejus eſt tenuiſſima ad inſtar membranæ, ſed oſſea, ſplendida, cava, auris inſtar capaciſſima: eſt etiam ſerratum & velut ſquamulis quibuſdam compactum. Pipere veſcitur, ſed mox incoctum & crudum ejicit.

CAPUT XXIX.
DE PAVONE.

P*Avones* olim in Europa rari. Hinc cum apud Indos Alexander vidiſſet, ſub pœna capitis occidi prohibuit. At poſt Athenæi ævo ita abundabant, ut vel coturnicibus nihilo rariores eſſent. In Temiſtana terra viginti, imo triginta aliquando pariunt ova. *Martyr.* Mundiciem ita amant, ut, ſi dum pulli ſunt madefiant, moriantur. *Albert.* Cum refrigeratione ipſis opus eſt, tum paſſis pennis & in anteriorem reflexis ex ſeſe ſuum operiunt corpus, atque ita caloris vim propulſant: ſin à tergo ventus ſpiret, alas paulatim pandunt, unde ab interſpirante vento refrigerantur. Agnoſcere dicuntur venenoſi medicamenti apparatum; ad locumque ubi tales parantur inſidiæ accurrere & proclamare. *Ælianus* refert, Pavonem, faſcini naturale velut amuletum, lini inquirere radicem, & ſub alarum altera retruſam geſtare. Patitur languores qualibus infantes torqueri ſolent, quibus primum dentes erumpunt, eſtque magnum illis periculum cum primum criſta produci incipit. *Pallad. lib. 1. de re ruſtica cap. 18.* Vocem noctu clangoſam ingeminantes ſubinde, pluviam jam jam imminentem ſignificant. Cauſa adfertur, quod vocis illius obſtrepere congeminatio, acutum intus cum calore vocalem ſpiritum, per arteriam vaporoſo aëre imbutam, erumpere teſtetur. *Mizald.* Caro putredinem non facile capit. Poſt annum nihil offendit olfactum, niſi quod aliquanto ſiccioris oſtendatur corpulentiæ. *Antonius Gigas* fruſtum anno 1592. coctæ, anno 1598. donavit *Aldrovando*, foraminibus rotundis cribri modo

 pervium,

pervium, ex quibus, ſi leviter quateretur, pulvis excidebat; non aliter, ac ex quibuſdam arboribus caries. Saporis ſalſi & ſubamari erat. *Aldrovand.*

CAPUT XXX.
DE PHASIANO ET PASSERE.

IN Curiana regione tam numeroſe capiuntur Phaſiani, ut duabus aciculis ſingulos Chriſtianis eo venientibus vendant. *Martyr. l. 8. Decad.* Fridericus Dux Saxoniæ ducentos per Saxoniam emiſſos capi vetuit. In Scandinaviæ locis ſine cibo ſub nive latitant. *Olaus.* Pennas, dum pingueſcunt, amittunt. *Paſſer* Accipitrem tantopere horret, ut imperitus in Xenocratis devolarit ſinum. Libidinoſiſſimus fere eſt omnium avium. Dimidiæ enim horæ ſpacio vigeſies compreſſiſſe fœminam viſus eſt. *Scalig.* Venenoſa devorat ſemina citra detrimentum, id vero exilitati venarum adſcribitur à quibuſdam. Herba, cujus nomen eſt ignotum in quatuor ſegetis defoſſa angulis, à frumento abigi ſcripſit *Plin.* Alii rubetam noctu arvo circumferri jubent, priuſquam feretur, & vaſe fictili in medio defodi incluſam: ſed ne amareſcant ſegetes, ante meſſem erui debet. Taprobanenſes dum in alto ſunt mari, paſſeres, quos ad id ferunt, emittunt, illorumque ductu, magnetis uſus ignari, ad propria facile revertuntur. *Acoſta.* Mirum eſt, quod de paſſere vitulino qui juxta Mexicum dicitur. Ape magna haud major eſt; plumâ tenuiſſima veſtitur, roſtro longo & gracili inſtructus, alitur rore, melle & florum ſuccis. Octobri menſe, inquit *Lycoſtenes ex Cardano*; uno pede annixus ramuſculo, hæret uſque ad Aprilem, loco tecto, atque ita mortuus veluti jacet: Cum redeunt flores reviviſcit, atque ea de cauſa paſſerem reſuſcitatum vocant. Hæc priuſquam fabuloſa pronuncies, lector, quid de urſis, gliribus, muſcis & aliis experientia ipſa dictet, conſidera.

CA-

CAPUT XXXI.

DE PERDICE.

IN ea orbis parte, cui continens nomen, *Perdices* ſunt duplici pulpa, tam conſpicua, ut diſcernatur, tantæ molis, ut ne maximo quidem Comedone unâ menſâ una poſſit abſumi. *Gonſal. Oviedus.* Teſtes earum in venere inſigni augentur magnitudine; nulli hyeme apparent. *Ariſt. lib.* 3. *hiſt. c.* 21. Salacitas illis tanta, ut, cum deſunt fœminæ, inter ſe & cum pullis coëant, cum adſunt, vento à maribus delato, quin voce & ſuperno volatu impleantur. *Plin. l.* 10. *c.* 33. *Ariſt. l.* 5. *c.* 5. Fœtificus autem ſpiritus id facere exiſtimatur, quem Epheſius vaporem interpretatur, qui defert calorem elevatum à genitali ſemine maris, quique ſuſceptus per meatus perdicis, penetrat ad menſtruum illius. Pulli illarum moræ impatientes, antequam ova aperiantur, ſponte erumpunt, pertuſiſque ovis, ubi caput primum exeruerint, pedeſque protulerint, reliquo adhæreſcente corpore procurrunt, & ſibi cibum quærunt. Docilitatem earum *Odoricus de Foro Iulii* oſtendit, dum inquit: *In regionibus circa Trapezuntem quæ Pontus olim dicebatur, vidi hominem ducentem ſecum ſupra quatuor millia perdicum. Is iter faciebat per terram, perdices per aërem volabant, quas ducebat ad quoddam caſtrum nomine Thanega, quod à Trapezunte diſtat trium dierum itinere. Hæ perdices, cum Duci ipſarum homini quieſcere aut dormire libebat, omnes quieſcebant circa eum, tanquam pulli gallinarum. Cum verò ſic quieſcebat, capiebat de illis quantum volebat numerum, reliquos ad locum, in quo prius erant, reducebat.*

CAPUT XXXII.

DE STRUTHIOCAMELO.

STruthiocamelo caput eſt anſerinum parvum, plumis haud coopertum, pedes biſulci. *Ariſt.* 4. *hiſtor.* Propter corporis molem à terra non elevatur; feſtinantiſſimæ

tiſſime tamen interdum incedit, ingruente in alas vento & tanquam vela eas extendente. Certè equitem equo inſidentem ſuperat. Carpophagus eſt. Oſſa in breves partes truncata, & lapides avide devorat, ſed exſpuit; immo & fruſta ferri. Quomodo enim illa concoquat, cum nec Leo majoris caloris concoquere poſſit? Nidum ex ſabulo humilem & concavum extruit, & contra pluvias munit. Octoginta amplius ova excludit: ſed non uno eodemque tempore ex omnibus pulli naſcuntur, ſuntque ova maxima; utpote capitis infantis magnitudine, plus minus quindecim libras pendentia, duriſſima, & quaſi lapidea cruſta munita. Ex illis Solis calore pulli naſcuntur. Quidam, quia intueri ea avem viderunt, viſu excludere putarunt. Mira vero ejus ſtoliditas; cum collum frutice occultavit, latere ſe putat.

CAPUT XXXIII.
DE SCYTHICA AVE, ET TINNUNCULO.

DE *Scythica ave* ita ſcribit Ariſtoteles. Scythiæ terræ incola eſt avis magnitudine Otidis ſeu Tardæ avis, quæ duos procreat pullos, & quæ peperit ova non incubatu fovet, ſed condita in leporina aut vulpina pelle relinquit, atque ita obvoluta, in ſumma arbore collocat. Cum à venatione vacat, cuſtodit ea, contraque aſcendentem defendit. *Tinnunculus* ſive Cenchris columbis eſt amiciſſimus. Hinc ruſtici ejus pullos ſingulis fictilibus ollis condunt, ſtipatiſque opercula ſuperimponunt, & gypſo lita, in angulis columbarii reponunt. Hoc illis loci amorem inculcat, accipitres ita terret, ut viſum ejus vocemque fugiant. *Columell.*

CAPUT XXXIV.
DE TURDO ET TORQUILLA.

IN magnis olim deliciis *Turdi* apud Romanos. Conſtat enim ternis denariis, id eſt, duodenis nummis væniſſe ſingulos turdos Romæ. Ex uno autem Ornithone

thone quinque millia turdorum eodem pretio divendira fuiſſe, autor locupletiſſimus *Varro* atteſtatur. In villa, inquit, materteræ meæ in Sabinis, ad quartum & vigeſimum lapidem à Roma, Ornithon eſt, ex quo uno quinque millia ſcio væniſſe turdorum denariis ternis ut H. S. ſexaginta millia ea pars villæ reddiderit eo anno, bis tanto, quam tuus (Axium alloquitur) fundus ducentorum jugerum Reate reddit. Docilem eſſe Agrippinæ turdus oſtendit. Hic enim omnium imitabatur ſermones. Mirum id, ſi verum, peculiarem turdis ſurditiem adſcribi. Apud *Scaligerum* egregium de eo cantillante extat carmen, quod adjicimus.

Dulci Turdille docte gutturillo
Aſperas animi levare curas.
Cantillans modulos minutiores:
Condito mihi pectoris medullas
Cantiuncula, ut inquietiore
Oblitus veterum miſer malorum
Mentis improbus acquieſcat aſtus.
Da mihi blandula murmurilla mille,
Mille anfractibus implicata: quid ſit
Pote eludere vortices charybdis.
O Princeps avium beatiorum?
Quot grato Dominum excitant ſuſurro.
Rex noſtra volucelle vocis alma.
Dulci Turdule docte gutturillo.

Torquilla, Linx alias dicitur. Linguæ illi aculeus tam acutus, ut humanam cutem haud aliter ac acicula penetret. Ea infra arteriæ ſummum ſubit, & ſuper cranium reflexo, prope nares inſeritur. Eſt autem gemina, ubi ab occipitio reflecti incipit, & in ſincipite rurſus utræque partes conveniunt. Digitorum talis conſtitutio, ut ubique longior alter cum breviore altero conjungatur.

CAPUT XXXV.

DE UROGALLO.

U*Rogallus* in altiſſimis montium verſatur jugis, Germaniam & Septentrionalia loca præcipue amat-

mat. De ejus coitu portentoſa ſcribit *Encelius lib. 3. de Lapid. c. 54.* Gallus quippe hujus ſpeciei ſperma ex ore coitus tempore in vere excreat & evomit, & voce magna advocat gallinas ipſas, quæ ſperma ejectum ore legunt, ac degluriunt, ac tali modo concipiunt. Illas poſtea gallus comprimit, & quaſi ratum facit ſemen comeſtum. Super quas gallinas non aſcendit, illæ ova hypenemia pariunt. *Olaus Magnus* ſcribit in ſeptentrione Vrogallos minores ſub nive duobus aut tribus menſibus latitare. In Ponto vero ajunt per hyemem aves quaſdam reperiri, quæ neque excernant, neque cum pennæ eis avelluntur, ſentiant, neque cum veru transfiguntur, ſed tum demum cum ab igne incaluerint. Vix verum. Grygallus major adeo ſurda eſt avis, ut ne bombardæ ſono abigi poſſit.

CAPUT XXXVI.

DE VESPERTILIONE.

VEſpertilionem *Plato* vocat avem non avem, *Valla* ſemimurem. Amat cavernas & meatus ſubterraneos. In Apennini ſpeluncis aliquot millia ſtabulantur. Formatos pullos parit: nati muſculis recens natis ſunt ſimiles, glabri plane & nudi, infantis humani inſtar. Fœtus nutrit lacte admotos uberibus, eoſque intra tegularum præſertim ejicit hiatus. Hi matris uberibus adeo adhærent, ut nec à mortua divellantur. Illa ſecundo à partu die ad paſtum provolat, & interim devorat ſecundinas. Interdum è putri materia gignitur. *Friſius* certe ab aëris morbida excretione naſci aſſerit. Volat alis pellitis, ſeu, ut *Iſidorus* ait, brachiorum membranis ſuſpenſus, volatu tortuoſo, nec longe à terra. Feſſus hamis digitulorum ſe appendit, quorum rudimenta in mediis alis habent. Volat etiam geminos implexa infantes. Cibus illi culices, muſcæ, lardum; ſuccidiam à lacunari ſuſpenſam ita exedit, ut in excavata ſcrobe ſtabuletur. In regionibus calidis hominum invadit facies. In Dariene novi orbis provincia Hiſpanos noctu infeſtavit, gallum & gallinam comprehendit, gallum morſu interemit. *Martyr. Pompilius Azalius* narrat apud

Indos

Indos Orientalis regione quadam tam immanes eſſe, ut homines tranſeuntes alis proſternant. Argumentum hujus eſſe cadavera tota jacentia valle. Contactu veſpertilionis Ciconiæ ſterileſcunt ova, niſi platani foliis in nidum poſitis ſibi caverit. Hederæ odore & ſuffitu perimitur. *Ælian. de animal.* Locuſtæ locum ſubjectum minime tranſvolabunt, ubi quis veſpertiliones clarioribus arboribus ſuſpenderit. Morſus ejus aqua marina vel alia calente aut cinere fervente, quantum tolerari poteſt, tollitur. *Strabo* autor eſt, in Borſippa urbe Babyloniæ, ubi majores ſunt quam in cæteris locis, in eſum condiri. Sic & in Inſula S. Iohannis fervente expilantur aqua, fiuntque quales apud nos pulli deplumati, carne admodum candida. Ab incolis etiam Inſulæ Catigan in mari del Zur ſitæ, eſitantur, aquilæ magnitudine, gallinæ ſapore. *Scalig. Exercit.* 236. *ſect.* 3.

CAPUT XXXVII.
DE VULTURE.

Vlturi oculi ſunt fœdi & truculenti, ſub gutture ſpacium palmi latitudine, pilis vitulinis ſimilibus obſitum. *Bellon. l.* 2. *obſ. c.* 1. Venatur in Chyla occidentalis Indiæ provincia pecudes, idque non ab ortu Solis ad meridiem, ſed à meridie ad Solis occaſum. *Monard. de Arom.* Non naſci quidam mares aſſerunt, vento tantum concipere fœminas: at id falſum. Viſi enim inter VVormatiam & Auguſtam Trevirorum miſceri & ova ponere. *Alb. Mag.* Tantæ autem ſunt libidinis, ut accenſæ, ubi mas defuerit, inter ſeſe ſaliant, mutua libidinis imaginatione concipiant, vel ipſo vi pruritus attracto pulvere, atque ova edant. Vbi prædæ ad alendum ſentit defectum, ſanguinem ex cruribus ſuis elicit, hoc nutrit. Triennio uterum gerere, ſcripſit *Simocatta.* Viſus ei excellens. Oriente enim Sole in occaſum, occidente in orientem proſpicit. Per quingenta millia paſſuum fœtorem percipit cadaverum. *Aldrovand.* Videre elatam avem, ait *Avicenna*, cadavera, exhalationis putris ſublatam materiam conglobatam, vento deferri, ſcripſit

Aldro-

Aldrovandus; hinc in exquiſito perceptionem ſenſu. Vita centum annorum definitur ſpacio. Penna ejus ſi dentes ſcalpantur, acidus anhelitus redditur. Grano mali punici perit. *Plin. l.* 30. *c.* 4. *Ælian. l.* 6. *c.* 46.

APPENDIX
AD CLASSEM VI.
In qua quadam ex tractatu Michaëlis Majeri Medici Nobiliſſimi
DE VOLUCRE ARBOREA.

SI quis legat in hiſtoriis, eſſe locum in mundo, ubi anſeres innaſcantur, ut poma, arboribus, forte hæſitans de autoris vel ſcriptoris fide dubitabit; Et ſi quis dicat, ab arboribus & vegetabilibus produci animalia, non unius ſaltem generis, ſed diverſi, partim volatilia, partim non; niſi mendacii ſtigmate inuri velit, ſatis habebit negotii, ut dicta demonſtret; quod tamen facile fieri poſſe opinor ex jam ante relatis, ubi culices robori & muſcæ quercui, nec non aliis arboribus ſeu vegetabilibus vermes innaſci, experientia atteſtante, aſſeruimus: Quæ licet minuta ſint, in animalium tamen habentur numero, cum ſentiant & moveantur. Verum primum illud, prout ſonat, non affirmavero; Nam volucres nidos quidem ſuos aliquando faciunt in arboribus, fruticibus, ſenticetis, & aliis vegetabilibus, at quod in iis creſcant pyrorum inſtar, prorſus incredibile eſt. Inſula quædam ex Canariis Ferro dicta, abſcondit fontem aquæ dulcis (qua alias tota Inſula caret) in arboribus ex mirabili Naturæ indulgentia, cum certarum arborum folia ex terra vel aëre attrahant copioſiſſime aquam, quam reddunt ſua propria & naturali diſtillatione, & incolæ uſurpant pro potu; Si enim hoc dono carerent, tota inſula inhabitabilis eſſet hominibus & pecudibus, quia nulli ſunt fontes, at ſaltem Oceanus ſive ſalum cingit eam undiquaque:

In his

In his magna eſt Naturæ liberalitas, quæ etiam illis dat aquam, quibus aliæ circumſtantiæ denegatunt, veluti & Ægypto, ubi pluvia nulla cadit, Nili inundatione annuatim conſuluit, nec non aliis regionibus aliis muneribus. Sic quoque Orcadibus inſulis, illiſque vicinis locis hanc volucrem conceſſit, quam alibi invenire non licet: Et ſane ſi quis eam in arboribus naſcentem quæreret, omnes ſylvas peteraret, nec ullam inveniret; ut nec piratæ apud Ferrenſes aquam cujus inopia terram relinquere coguntur, nec in arboribus creſcentem animadvertunt: De hac ave non omnino fabuloſa, tamen graviſſimi ſcripſerunt Autores, in ſuis libris ejus mentionem facientes, ut ſunt *Hieronymus Cardanus de varietate rer. c. 36. Du Bartas* in Septimana ſua, die ſexta, & 1. die ſecundæ Sept. Verum de locis & modo generationis non omnes conſentiunt: *Munſterus Orcades* his volucribus refertas tradit, *Gyraldus* de Hybernia, *Dubertas* de Scotia, quam Luturnen vocat, veluti & *Mela* ſcribit; *Hector Boëthius* de Hibridibus idem refert. Quidam ex Gallis de quocunque Mari *Heſperii tractus id intelligit*, *dum ita ait: Avis quædam generatur ſine patre & ſine matre, ſed ex ſola eſſentia ſimplicis vegetabilis, videlicet in provincia Scotia ex arboribus illius regionis: Similiter, inquit, naves confectæ ex ligno dictarum arborum exiſtentes in medio mari eaſdem aves producunt, & vocantur illæ aves gallicè Marquerello, quæ comeditur facillime: Ejuſmodi avis mentionem facit Plutarchus in tractatu, qui incipit, An ovum ſit prius gallina?* Hæc ille. Scoti vocant eas Klekgues; alii ita de iis ſcribunt; *In Inſulis Orcadibus in Scotia maritima arbor eſt, quæ ſupra amnium ripas enata fructum fert nonnihil anatibus ſimilem, iſque cum maturuit, decidit; Quod ſi in undas cadat, mox animatum enatat ex undis, & volucris eſt, putreſcit vero cum in terram cadit.* Alii eas vocant *Bernacas*, veluti in parvo mundi Theatro Irlandiæ aſſcriptæ appellantur, & in hunc depinguntur modum: *Sunt quoque hic volucres Bernaces dictæ per naturam admirabili prorſus modo contra naturæ ſeriem productæ anatibus non abſimiles, at iis minores: Nam ex lignis malorum nauticorum in Ocea-*

in Oceano natantibus primo protruditur aliquod gummi; deinde ex alga (maritimo gramine Wier dicto) illis lignis una cum pice adhærente conchula dependent, quæ temporis ſucceſſu alas accipiunt & per aëra volant, aut decidunt in aquas & natant: ſæpiſſime vidi (inquit Sylveſter) *magnam copiam horum Zoophyton ad lignum penſilium, conchis incluſorum eouſque donec volare poſſint: Ex iis nulla ova ut ab aliis volucribus eduntur, nec ex ovis excluduntur, ita ut aliquibus in locis hæ aves pro piſcibus comedantur, utpote carnem non habentes, nec ex carnibus productæ. Hector Boëthius* hoc miraculum ſimiliter narrat de volucri, quam ipſe Clakis vocitat; *Quod ſi*, inquit *ille*, *lignum in Oceanum circa Hebrides projeceris, ſuccedente tempore vermes in eo naſcuntur, qui corrodunt & excavant illud lignum, ac poſtea formam acquirunt volucrum, inque eam magnitudinem denique accreſcunt, ut inſtar anſerum volent*: Generationem illarum adſcribit Oceano ab Homero & Virgilio patre omnium rerum appellato: Sed hæ diverſorum autorum deſcriptiones inter ſe, nec cum veritate rei in omnibus conveniunt. Quoad locum, alii Scotiam, alii Hiberniam, quidam Orcades, nonnulli Hebrides aſſignant iis patriam: nec forte falluntur, cum in Oceano inter Scotiam & Orcades, & inter Hyberniam & Hebrides utrobique naſci dicantur. Nec enim exiguo Oceani aut terræ ſpacio id includendum eſt, ſed toti illi tractui maritimo ad extrema Scotiæ & Hiberniæ extenſo appropriandum. De nomine quoque concordant, diverſis enim gentibus diverſimode eas appellari vero conſentaneum eſt: An vero ea vis aſſcribenda ſit ligno ejus regionis, an arboribus, an vermibus ex ligno generatis in conchas tranſeuntibus, hic non injuria quæri poſſit, veluti ante citati in has opiniones ſunt diſtracti. Sed nos ex his nulli aſſentiri poſſumus: Si enim *ligno ſoli ineſſet ea virtus*, quidni & lignis ejuſdem ſpeciei pro malis navium uſurpatis quibuſcunque in locis adeſſet? quod tamen experientiæ reclamat, veluti & illud, quod naves ex eo ligno confectæ in medio mari eas aves producant. Quis enim unquam hoc audivit in Gallia aut Germania ſive etiam Anglia factum,

ctum, etiamſi portus harum omnium frequententur ab incolis Scotiæ & Orcadum maritimis? *Nec arboribus vegetantibus ibidem hoc acceptum referendum eſt*, quia illæ non ferunt volucres ſed fructus ſuæ ſpeciei convenientes: Quod ſi decidantur, & alteri uſui accommodentur, deinde in Oceani aquas ibi locorum projiciantur, ut putreſcant cariemq; ſentiant, hoc eſt, quaſi emoriantur quoad primam earum vitam & in materiam communem ligneam convertantur, tum hanc novam generationem animalium incipit ex influxu cœli, Solis calore operante: quomodo enim id quod vegetat, produceret animal volatile inſtar anſeris? Annon quælibet arbor cognoſcitur ex genere ſui fructus boni vel mali, nec non ſpeciei ſuæ debiti? Et vice verſa, an nôn quilibet fructus aut fœtus teſtatur de genere ſui parentis, ejuſdque ſpeciei? Imo, non geſtant arbores piſces, nec mare dat arbores: In ſylvis lepores, in herbis quære lepôres, non contrario modo. Vegetabile igitur genus non miſcetur animali, nec hoc illi in generatione; quodlibet manet in ſua tribu, quam non egreditur, niſi forte Natura, putrefactionis beneficio uſa, levicula in vegetabilibus (ut ante tradidimus) producat animalcula. *Qui putant ex vermibus, metamorphoſi quadam, fieri aves, nec illi veriſimilem ſententiam, meo judicio, dicunt*: unde enim conchæ ex Coſſo? At hæc ita intellecta velim, ut quod de ſingulis ſolis negarim, de omnibus conjunctis facile conceſſerim; *Quia vero hanc rem non ex auditione cognoverimus, ſed oculis teſtibus ſupra* 50 (*fere centenas*) *viderimus ejuſmodi conchulas, iiſque apertis fœtus avium exiguos veluti ex ovo mox prodituros, cum omnibus membris avi ad volandum neceſſariis notaverimus & in manibus habuerimus, non erit omittendum hoc loco exactiſſimam earum deſcriptionem ponere: quæ ſic habet.* Si quando malorum nauticorum pice illitorum portio in aquas eas Oceani in extremis partibus Scotiæ, non procul ab Orcadibus aut Hebrîdibus deciderit, ibique aliquamdiu jacuerit, cariem non ſolum ſentit à vermibus intus generatis, ſed quoque ab alga ſeu gramine marino undiquaque tegitur? Ejus enim graminis ibi eſt magna copia,

copia, quod omni ligno facile adnaſcitur, præſertim ſi piceam reſudet pinguedinem, veluti mali nautici, qui ſunt abietes vel piceæ, reſina picis ſua natura abundantes, ac deinde in uſu navium eadem imbuti, ut nimirum carbaſa veloci motu ſurſum vel deorſum duci trahique poſſint, ne alicubi firmius adhæreſcant. Fert autem mare in fundo littorali hanc algam majoris vel minoris longitudinis, unde certo tempore emergit, ſurſumque fertur in ſuperficiem aquæ, fluctibus eam quaſi evellentibus aut demetentibus. Hæc ut in aqua nata; non facile putreſcit, ſalinæ naturæ multum apud ſe habens. Ideo in Northollandia, aliiſque multis locis ex eo gramine faciunt vallum muniti ſſimum adverſus impetum Oceani, ita ut remedium ab eo petatur, à quo Morbus vel damnum infertur. Lignis itaque dictis malorum hac alga circumtectis, quæ ſe inſinuat in foraminula à carie relicta, ſucceſſu temporis ab altera parte cujuſque graminis creſcunt conchulæ exiguæ, quæ ſunt ſubalbæ vel onychini ſive unguis manuum coloris, & in forma, cavitate, & oblonga figura unguis minoris digiti valde ſimiles; quarum duæ ſi conjungantur invicem, ita ut probe cohæreant, ſupremis partibus magis acuminatis, accipiunt algæ extremitatem, & ſunt firmiter clauſæ latioribus; quæ poſtea aperiuntur, ut fructus maturatus ſua ſponte excidat ad volatum. Hac ratione mille, plures vel pauciores conchulæ adhærent ſingulæ ſingulis graminibus ad extremitates, quæ, ut dictum, altera extremitate alligantur lignis picatis tanta copia, ut lignum vix videri poſſit. Gramina autem illa vix excedunt 12. digitos tranſverſos ſua longitudine & ſunt firmioris ligamenti, tanquam eſſent ex corio. Aliquando ſunt longiora & ad pedes aliquot extenduntur. Hæc eſt tota deſcriptio externa. Nihil enim videtur niſi portio mali nautici foraminibus carioſis excavati, quibus undiquaque inſeruntur gramina marina, ad extremitatem alteram habentia conchulas unguis minimi vel annularis digiti humani figura & colore. Intus vero ſi conchæ aperiantur, apparent fœtus illi exigui, veluti pulli

pulli avium in ſuis ovis, qui habent roſtrum, oculos, pedes, alas, etiam piloſitatem incipientium pennarum & reliqua omnia Embryonis volucris membra. Prout fœtus creſcit, ita & conchæ ſeu tegumenta eorum, quemadmodum in aliis omnibus oſtreis, conchis, cochleis, teſtudinibus & his ſimilibus domi-portis contingit. De nutrimento quæri poſſet, unde illud acquirat? Reſpondeo, veluti reliqua hujuſmodi Zoophyta, partim ab aquæ parte dulciori, vel etiam veluti conchæ margaritiferæ & oſtrea, à rore, pluvia, partim à ligni carioſi viſcoſa pinguedine, ſeu oleoſa ſubſtantia, pice ſeu reſina: Hæc enim per gramina illa intermedia, tanquam per venas umbilicales, fœtibus ſuppeditatur in nutrimentum; dum lignum illud per fluxus & refluxus Oceani hinc inde in aquis natat. Nec enim fieri poteſt, ut in ſicco illud manens eaſdem conchulas producat. Hujus rei exemplum eſt in locis maritimis, ubi conchæ illæ nigri tegminis ſemper captantur, adhærentes lignis in aqua poſitis, ut pontium fundamentis ligneis, navibus ſubmerſis. Adhærent autem lignis, filamentis quibuſdam piloſis ſeu muſcoſis vel etiam alga. Vnde apparet nonnihil viſcoſæ humiditatis conferri conchis cuicunque ligno (etiam querno) adhærentibus; multo magis abietino reſinoſo, ex quo conſtant mali nautici. Hoc enim lignum calidius eſt, quam quernum, & ideo aëreæ viſcoſitatis multum poſſidet, unde ignem facile corripit, & ubi vulneratum fuerit, reſinam oleoſam ex vulnere emittit adhuc virens; ſiccum vero ſub aquis manens facile quoque putreſcit; quercus econtra, quia frigidæ & ſiccæ eſt naturæ, reſiſtit diutius putredini, & ſub aquis lapideam fere acquirit duritiem.

Si quis conſideret diverſitatem & copiam immenſam piſcium ſeu animalium, quæ in Oceano ac maribus paſſim naſcuntur, non poteſt non fateri Elemento aquæ ineſſe miram fœcunditatem, quod producat non ſolum animalium maxima, veluti cetos (quorum nonnullos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum latitudinis intraſſe in flumen Arabiæ teſtatur *Plin. lib.* 32.) ſed etiam tantam abundantiam

tiam & varietatem, ut 176 genera ſaltem in mari viventium idem autor recenſeat, exceptis fluviatilibus. Admirari inprimis liceat concharum marinarum pulchritudinem & diverſitatem tantam, ut meminerim, me *Roterodami* apud Clariſſ. virum *Petrum Carpenterium*, anno 1611. vidiſſe forte mille earum formas tanta copia, ut magnam cameram illis, tanquam pretioſis theſauris & ſpectandis naturæ miraculis, inſtruxerit & exornaverit. Has eſſe luxuriantis naturæ inſignia, quibus ingenii ſui ubertatem atteſtari velit, non eſt dubium. Ad decus enim & ornatum mundi potius ea ſpectare, quam ad neceſſitatem hominum dixerim, in quibus & formarum & artificii varietas affectata videatur. Inde quoque Oceani fertilitatem miram deducere poſſumus, ut qui terris in animalibus & Zoophytis generandis non ſolum non cedat, ſed quoque anteferatur ex Naturæ benignitate. Quod cum animadverterint antiqui; Neptuno, qui Oceano præeſſe ſtatuebatur, innumeros fere liberos aſſcribunt ex diverſis Nymphis pellicibus natos, inter quos eſt Triton & Protheus, quorum ille concham inflans tubicen eſt Neptuni patris, hic in varias formas, ignem, ſerpentem, & in his ſimiles mutatur, non obſcuro documento, Oceanum eſſe variarum formarum productorem. Hiſce cauſis moti fuere illi, qui hujus quoque volucris Orcadiæ generationem ſoli Oceano aſſcripſerint, tanquam fœcunditatis & rerum diverſitatis autori: verum quam recte id fecerint, videndum erit. Conchas varii generis pulcherrimas ab eo produci non negamus, ſed ex Naturæ omnipotentis inſtinctu & influxu, ita ut ſaltem domicilium & materiam rebus generandis præbeat Oceanus, non autem formam ac cauſam efficientem. Piſces quotquot ſunt, paucis exceptis, ex ſeminibus aliorum generantur, ſecundum Naturam, de quibus hic nihil in dubium aut quæſtionem vertimus. An vero tot conchæ ex ſemine ſuorum parentum quoque oriantur, ſive non, dubitare licet. De volucri prædicta, quod non fiat ex ovo (ut ſolent aves) nec ex ſemine, conſtat. Vnde igitur? an ex Oceano; aut num cauſa

Occa-

Oceano imputanda? Minime. Etſi enim locus dicatur generare locatum, hoc tamen intelligendum eſt de matricibus, quæ ſunt generationis cauſa ſine qua non, non autem efficiens, multo minus, formalis, materialis, aut finalis, & non de quocunque continente generali. *Vt autem hujus mirifici animalis naturam exactius ſcrutemur, quatuor illa cauſarum genera percurremus, nil dubitantes, his, ut decet, perluſtratis, Quid, cur, & unde ſit, facile conſtiturum.* Efficiens itaque *hujus generationis eſt calor tam externus, qualis à Sole diffunditur in hac inferiora, quam internus, in materia putredinali:* Sine calore enim nulla fit naturæ generatio, quæ eo tanquam præcipuo utitur inſtrumento, quo homogenea congregentur, heterogenea ſeparentur, membra & viſcera in animalibus formentur & diſponantur ſuo ordine & figura. In artificialibus, quæ fiunt hominum induſtria & arte, ſunt varia organa, utpote manus, quæ organorum organum non immerito dicitur, malleus, incus, lima vel ſecuris, terebra, & his ſimilia, quibus opera mechanica perficiuntur. In naturalibus ſaltem unus eſt calor, ut inſtrumentalis efficiens, & movens illum eſt Natura, ut in iis artifex: Calor externus internum in actum ducit, ſine quo hic inefficax foret & quaſi torpore concluſus in materia; quemadmodum etiam in vivis quibuſdam animalibus apparet, quæ ingruente hyeme ac deficiente calore externo, ipſa veluti ſopore detenta, & quaſi mortua deliteſcunt, veluti ſunt hirundines, ranæ, muſcæ; & id genus alia; quamprimum vero ſolares radii aquam & terram calefecerint, mox apparent hæ omnes, vitam ſuam Solis calori debentes beſtiolæ: quarum quoque in æſtu majori major eſt efficacia volatus & coaxatus, ceu conſtat ex muſcis & ranis. Quantum ad calorem, Sol magnum mundi lumen ejus pater eſt, eumque mittit in terrena omnia quæ vivificat & illuſtrat. Vnde dicitur, quod Sol & homo generent hominem, nempe per ſpermata media; alias quoque abſque mediis illis procedit, utpote in iis, quæ ex ſola putrefactione generari ſuperius recenſuimus. Dum enim calor externus Solaris vel etiam Elementaris ambit

bit aliquod mixtum corpus, in quo ſit calor naturalis incluſus, hic ab illo excitatur, movetur, & ad operandum ſuas actiones acuitur, veluti patet in ovorum excluſione tam per artificialem calorem furnorum, quam naturalem gallinarum. In his calor naturalis latet, videlicet in vitellis, qui per externum irritatur & movetur, ita ut Elementorum circulatione factâ aqua in aërem, aër in ignem, ignis in terram, terra in aquam mutetur, & pulli membra & viſcera à calore naturali diſponantur & fiant, qui eſt præcipuum agens internum. *Cauſa materialis* in hoc generando fœtu anſerino eſt *viſcoſum illud ſubjectum ligni dicti abjetini, ſive reſina oleoſa & picea ſubſtantia*, in quam operatur calor externus Solis & internus putredinali auctus: Hæc materia etſi ſit exigua, valde tamen primum rudimentum huic Embryoni præbere poteſt, qui deinde nutritur Oceani ſubſtantia viſcida, veluti oſtrea & alia concharum genera creſcunt & augmentantur: Nec vero ipſa dura lignea ſubſtantia, nec graminea, quid materiæ illi præſtat, quarum illa ut continens, hæc ut tranſmittens veram materiam animadvertitur. Vt enim nec matrix, nec vena umbilicalis in generatione hominis quicquam materiæ præſtent, ſed ut inſtrumenta neceſſaria requiruntur alias, ſic quoque hic ſentiendum de ligno & gramine marino. Aliqui volunt ex vermiculo in putrido ligno enato, ut dictum, tranſmutationem quandam fieri, eumque materiam huic generationi primam miniſtrare, quorum ſententia tamen recipienda non eſt; cum vermiculus ille nec ad extremitatem graminum prodire, nec ſibi conchas fabricare poſſit, ſed oportet, ut illud vitæ ſuæ initium capiat in dicto loco extremitatis graminis, nec aliunde eo affluat, ita ut migret de loco ad locum animali motu, antequam eſſentialem ſuam formam recipiat. *Plinius* de Pinnothere piſce ſcribit, quod ei tanta ſit ſolertia, ut ſe inanibus Oſtrearum teſtis recondat, & cum accreverit, migret in capaciores. Tale quid velle imaginari de coſſo illo, ſeu vermiculo lignum exedente, cum rei ipſius natura non convenit. Materiam vero illam reſinoſam vel piceam communica-

nicare poſſe extremitati propendentis graminis non eſt dubium, quod naturæ tamen artificio, nec ad ſenſum hominum perceptibili, fieri neceſſum eſt, veluti alias natura in omni generatione ſecretis viis & mediis utitur, quæ magis per rationem, quam oculos indagantur. Quis enim vidit, quomodo cor in generatione animalis primo fabricetur, quibus fibris & venulis ibi natura, ut inſtrumentis utatur, quomodo & per quæ media hoc fiat, factum reliqua viſcera diſponat & faciat ex materia ſeminali & menſtruali? Nemo adeo Lynceus inventus eſt, ut ſenſu hæc, dum fierent, penetrarit; cum vero facta fuerint, ratione ita eſſe quilibet æſtimare potuit; Sic nullus perfectiſſime ſcire poterit, quomodo hæc materia, quæ prius fuit in ligno humidum radicale, tranſeat ad extremas partes illius graminis marini, ibique formam ſuam acquirat; nihilominus conſtat poſtea hoc factum eſſe. Nec vero id erit adeo difficile, cum per continuata gramina facilius illa materiam uſque ad extremitates illorum fluere poſſit, quam per nulla intermedia corpora.

Sed majoris ut difficultatis, ſic operæ eſt pretium indagare *hujus admirabilis ortus cauſam formalem ſeu ſeminalem*, quæ cum in ſeminibus præhabitis non contineantur (hæc enim nulla hic habentur) neceſſarium omnino eſt, quod aliunde influat materiæ præter communem generationis modum. Nam ſemina, quæ ab utroque animalium ſexu conferuntur, & in coitu miſcentur, ſunt tanquam thecæ & vaginæ virtutis formatricis & ſpermaticæ, quæ format materiam præjacentem ſpermatis vel ſanguinis in eſſentialem formam convenientem illi ſpeciei, cujus ſunt ſemina, quocunque modo miſta vel in actum producta. Vis autem illa naturæ eſt benedictio à Deo creatore ei conceſſa in verbo *Creſcite*; quod verbum nunquam inane ut fuit, ſic nec erit donec mundus conſtabit. Dixit Deus, & omnia quæ dixit, facta ſunt valde bona; in ſe ipſis principia multiplicandi ſuam ſpeciem continentia, ubi individua pereant. Cælum cum ſuis ſtellis ab initio ad finem perdurabunt, & elementa integra, aër, aqua, & terra: ſed ex his compoſita, ut intereunt

reunt, ſic per multiplicationem ſeminis redeunt, non quidem eadem numero, ſed ſpecie, non forma externa, ſed interna & eſſentiali:- Verum cum Deus hanc propagationem Naturæ ſublunari commiſerit, atque hæc mediatè procedat ſemper, quamvis in hoc generando fœtu viſibilia non adſint ſemina, à quibus forma materiæ ſuppeditetur, quocirca naturæ & rationi congruum eſt, formam tamen aliunde in materiam profluere, ne quid ex nihilo poſt primam creationem fieri contra Dei voluntatem videatur. Nihil enim ſeipſum efformat & ſui-ipſius cauſa eſt, præter æternum & infinitum Deum; cætera omnia ex nihilo quidem facta ſunt ab illo; at non à ſeipſis, nec propagantur ex nihilo, nec à ſeipſis, ſed per media naturæ præſcripta. Plato ideas conſtituit univerſales cujuſque ſpeciei generabilium in certo loco fixas, unde deſcendat vis formatrix ad cujuſlibet ſpeciei individua formanda ſeu generanda. Quæ opinio pulchra vel jucunda quidem eſt, at veritati reclamat. Nullæ enim ſunt, vel eſſe poſſunt ſubſtantiæ univerſales extra intellectum, at ſaltem individua, quæ, quod non habent, dare nequeunt, aut quod dant, non ſemper ipſa poſſident. Natura eſt in omnibus rebus ſeu individuis univerſim perfuſa, quæ tamen in ſingulis ſubjectis operatur ſecundum ſubjectorum conditionem & requiſitum, quod verum eſt in omnibus ſemina habentibus, cum illa ſint ipſa ſubjecta & vaſa naturæ, in quæ operatur. Sed jam quæritur, quomodo ea vis ſeminibus imprimitur & unde, an ab ipſa natura? quod ſi verum, ergo ex qualibet materia facit, quid velit, cum cuilibet materiæ formam, quam velit, imprimere poſſit. Et deinde quomodo natura in hoc animali, quod nullum ſeminium viſibile præſuppoſitum habet, generando procedat, & in ſimilibus aliis ex putredine ſola natis? Ut in homine eſt vis cogitativa ſeu imaginativa, quæ fit ſubtili quodam artificio imaginum in cerebro conceptarum à ſenſuum organis incipiendo & ad interiora cerebri locomotive procedendo, abſque vero loci mutatione cœlum, longiſſime diſtantia, quæ olim viſa, cogitata aut facta ſint,

teme-

rememorando; ita in Sole & cœlo, ipſique affixis ſtellis conſiſtit quædam virtus imaginativa, non paſſiva, ut in animalibus, ſed merè activa, quæ locomorivæ inde profluit ad ſublunaria, & communicatur certis ſubjectis, utpote ſeminibus individuorum, & hæc eſt forma omnis generationis inceptrix & auctrix, eſſentiam cuilibet rei communicans, ut ſit talis & non alia. Hæc vis eſt primum movens, fabricans ſuum ſubjectum, velut architectrix, & conſtituens ſibi domum, in qua habitet, quam gubernet ad eum finem, cui à natura artifice aſſignatur. Illa eſt virtus ſpermatica, quæ reſidet in corpore ſpermatis, ſine qua hoc eſt ſterile & inane, nec ullam generationem promovet; Hæc ſi evaneſcat tempore, vel contritione ſui continentis, nullus inde fructus ſequitur, ut patet in frumentis, quæ ſi ſeneſcant, aut in farinam rediguntur, ſe propagare amplius nequeunt. Aut cur hæc potentia in eo corpore reſidet potius, quam in alio; nec mox perit? Reſpondeo: Non alia hic quærenda aut danda cauſa eſt, quam quod natura his mediis gaudeat, & eam virtutem concluſerit, ne abire poſſit, ſi naturæ ſit obediens: quam, ſi voluiſſet, aliis ſubjectis indidiſſet. Admirabile eſt; quod ſpiritus animales nervis in homine contineantur, nec ex illis abeant in auras, & quod iiſdem nervis compreſſis à tranſitu impediantur, unde ſtupor & paralyſis ad tempus toti brachio vel pedi accedit, quæ ſpiritibus per nervos ſuccedentibus mox tollitur. Eundem ad modum virtus ea imaginativa cœleſtium corporum, inprimis Solis, ſi individuis quibuſdam ſubjectis ſeu ſpermatibus rerum immittitur, naturaliter manet in illis ad naturæ nutum & libitum. At ubi ſemina nulla adſint, tum eadem virtus cœli communicatur materiæ cuidam certæ immediate, veluti in hac generatione, ſubjecto illi viſcoſo & pingui, de quo in præcedentibus, tanquam de materiali cauſa diximus; Sunt enim duo in ſingulis ſpermatibus, materia elementalis, & forma aſtralis, quarum ultima perire poteſt, materia & forma externa integre permanente; nihil autem generari ex materia, forma aſtrali perdita. Materia in hac gene-

neratione tempore prior eſt forma, & eam recipit influentem, quamvis antea neque omnino aliqua forma orbata ſit, ut de materia prima intelligi poſſit, ſed ſubſequens forma priorem ſi non tollit, tamen perficit. Verum quæri poſſet, cur hæc vis formalis, exempli gratia, formandæ volucris, non omni materiæ aut cuicunque immittatur, cum abſque vaſis certis ſeu corporibus ſpermatum ea recipiatur? Reſpondeo; ea materia ita præparata in ligno tali & non alio, inque loco dicto & non alio, vicem ſeminalis corporis præſtat, cujus qualitates cum non inſint alteri, hinc neque aliud ſubjectum ejus virtutis formalis certæ & determinatæ capax eſt. Hujuſce imaginationis ſeu influentiæ cœleſtis paſſim exempla ſunt obvia, nempe in quibuſdam locis Comitatus Mansfeldici, ubi mineræ æris in lapide ſciſſili exprimunt omnis generis piſces, eorumque formas, qui in proximo habentur lacu: quemadmodum & dentes, cornua, integros leones à natura formatos in ſpeluncis ſubterraneis, & aliis videre licet. In ſuccino quoque quod fluctibus marinis in Boruſſia ad littora Inſulæ Sudaviæ nunc dictæ, ejicitur, variæ formæ muſcarum, culicum, araneorum, papilionum, ranarum, lacertarum & aliorum animalium apparent non quidem reipſa, ſed ex ſola imaginatione cœli illis ſubjectis impreſſa. Si enim per inciſionem aut fractionem eæ quærantur, vacua eſſe ſpacia ſic colorata ex naturæ luſu invenientur; nihilominus omnia membra & particulæ adeo ſunt ad vivum expreſſæ, ut quis juret, revera animalcula talia fuiſſe iis materiis recondita, forte tum, cum gummi adhuc liquidum fuerit ſuccino involuta; quod tamen longe aliter ſe habet, cum nihil terreni aut non pellucidi in illis figuris concavis reperiatur, quod tamen ſecus fieri deberet, cum ſubſtantia corporea evaneſcere nequeat, remanente ejus ſola forma ſuperſtite. Adhæc ſi animalcula talia in gummeam ejuſmodi ſubſtantiam, ut eſt terebintina vel reſina, incidiſſent, alæ vel pedes eorum inviſcati apparerent, & non integre extenſi aut directi, quod hic non ita fit ſed omnia integra videntur, veluti per Criſtallinam pelluci-

luciditatem. Deinde ſi ex arboribus illud in aquam decideret, arbores illæ non eſſent ignotæ. *Plin. lib.* 37. *c.* 2. & 3. De ſuccino tradit hoc modo: *Pytheus*, inquit, *Guttonibus Germanicæ genti accolis æſtuarium oceani prodidit Mentonomon nomine, ſpacio ſtadiorum ſex millium. Ab hoc, diei navigatione, inſulam abeſſe Abalum. Illo vere fluctibus advehi ſuccinum, & eſſe concreti maris purgamentum; Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximiſque Teutonis vendere. Huic & Timaus credidit, ſed Inſulam Baltiam vocavit. Mithridates in Germaniæ littoribus eſſe Inſulam ait, vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſylvoſam, inde defluere in petras. Certum autem eſt gigni in Inſulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari Gleſſum, itaque & à noſtris unam inſularum ob id Gleſſariam appellatam. Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtraviam à barbaris dictam. Affertur à Germanicis in Pannoniam maxime Provinciam. Inde Veneti primum, quos Græci Henetos vocant, rei famam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Sexcenta fere millia paſſuum à Carnunto Pannoniæ abeſt littus illud Germaniæ, ex quo invehitur, percognitum nuper. Vidit enim eques Romanus miſſus ad id comparandum à Iuliano curante gladiatorium munus. Neronis principis, qui hæc commercia & littora peragravit, tanta copia invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia ſuccinis nodarentur; arma vero & Libitina, totuſque unius diei apparatus eſſet è ſuccino. Maximum pondus is gleba attulit.* 13. *librarum.* Hæc Plinius. In ſuccino vero utpote pellucido, ea figura incorporea ex imaginatione cœli infuſa, facile apparet, in aliis opacis corporibus non item. Vti nec in materia ligni dicti, cui non ſolum figura avis, ſed etiam vis naturalis ſpermatica eam formandi, nutriendi, augmentandi, & in vitæ functionibus conſervandi, ut in aliis avibus, implantatur. Cum vero non ex traduce ſeminis aut ovi propagetur, nec ſemen nec ovum relinquit, ne plus alteri det, quam acceperit à natura: Si enim ova generaret in pullos excluſibilia, ipſa quoque inde prodiiſſet, quorum neutrum vero applaudit. Quemadmodum enim mulus

non eſt natus à mulo, ſed mixto genere equæ & aſini, ſic nec gignit mulum, ſed ſterilis permanet, ita & dicta avis. Apes ex vermibus naſcuntur, vermes in favo ex melle ex naturæ mirifica operatione, licet abſque ſenſibili ſeminis corpore, non tamen abſque virtute ſeminis per apes favo impreſſa, cœlitus primum recepta. Nec vero poſſibile eſt, has virtutes ſpirituales & efficaciſſimas à nudis Elementis prodire, aut ſola propagatione cum materia ſeminis, quæ ex alimento & ſanguine fit, extendi in infinitum poſſe abſque ſui diminutione, cum animadvertamus, Elementa fere eſſe mortua & ſaltem receptacula materialia virtutum formalium, & materiam ſeminis ex iiſdem Elementis ſuppleri indies & coacervari. Ideo neceſſum eſt, quod quotidie affluat vis formalis in ſemina formata, vel in eorum defectu, in materiam à natura præparatam per putrefactionem, vel alias operationes. Vnde *forma hujus mirabilis fœtus facile deducitur, quod nempe ſit virtus cœli aut Solis imaginativa activè infuſa materiæ viſcoſa, ligni illius in illis locis ita per putrefactionem diſpoſiti, ut eam vivificet, & in novam ſpeciem Zoophyti ſeu volucris in concha concluſa promoveat*, quæ ubi deciderit in aquas natare & volare pennis accretis poſſit. *Finalis autem cauſa eſt communis ornatus mundi, Naturæ admirabilitas & varietas, utilitas hominum accolarum. Et inprimis Dei Opt. Max. providentia, omnipotentia, & clementia.* quæ ex hac creatura aquæ, ut ex aliis humano generi innoteſcunt, dum annum coronat ſuis dotibus & orbem terrarum diverſis creaturis, ut longe potentior ille in creando & producendo varias animalium ſpecies fuerit, quam nos habiles ſumus in exprimendo, nominando, aut cognoſcendo illas. Satis ſit nobis aliquam Dei magnalium partem vidiſſe aut luſtraſſe cum non omnia capere homini mortali ſit poſſibile, nulla vero velle conſiderate belluinum ſit.

THAU-

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS SEPTIMA.

In quâ

QUADRUPEDUM ADMIRANDA.

Seneca l. 3. de Ira. cap. 30.

Frivolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aſpis exurgit. Vrſos leoneſque mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad vana. Idem inquietis & ſtolidis ingeniis evenit: rerum ſuſpicione feriuntur.

SYLLABUS CAPITUM, CLASSIS SEPTIMÆ.

Cap. I. *De Alce & Ariete.*
Cap. II. *De Aſino.*
Cap. III. *De Apro & Arctopiteco.*
Cap. IV. *De Bove.*
Cap. V. *De Biſonte & Bonaſo.*
Cap. VI. *De Camelo.*
Cap. VII. *De Capra.*
Cap. VIII. *De Caſtore & Colo.*
Cap. IX. *De Cato & Cuniculo.*
Cap. X. *De Cervo.*
Cap. XI. *De Cane.*
Cap. XII. *De Cercopitheco & catoblepa.*
Cap. XIII. *De Cynocephalo & chamaleonte.*
Cap. XIV. *De Crocodilo.*
Cap. XV. *De Equo.*
Cap. XVI. *De Echino.*
Cap. XVII. *De Elephante.*
Cap. XVIII. *De Glire & Gulone.*
Cap. XIX. *De Hyæna & Hyſtrice.*
Cap. XX. *De Hirco.*
Cap. XXI. *De Ibice, Ichneumone, & Igrana.*
Cap. XXII. *De Leone.*
Cap. XXIII. *De Lepore.*
Cap. XXIV. *De Lupo.*
Cap. XXV. *De Lacerta,*
Cap. XXVI. *De Lynce & Lutra.*
Cap. XXVII. *De Mure.*
Cap. XXVIII. *De Muſtella & muſtella Zobella.*
Cap. XXIX. *De Ove.*
Cap. XXX. *De Oryge & Panthera.*
Cap. XXXI. *De Rana.*
Cap. XXXII. *De Rangifere & Rhinocerote.*
Cap. XXXIII. *De Serpentibus variis.*
Cap. XXXIV. *De Sciuro & Simivulpa.*
Cap. XXXV. *De Simia.*
Cap. XXXVI. *De Su & Subo.*
Cap. XXXVII. *De Sue.*
Cap. XXXVIII. *De Talpa.*
Cap. XXXIX. *De Tato & Tigride.*
Cap. XL. *De Teſtudine.*
Cap. XLI. *De Vrſo.*
Cap. XLI. *De Vulpe.*
Cap. XLII. *De Vnicornu.*

ADMI-

ADMIRANDA QUADRUPEDUM.

CAPUT I.

DE ALCE ET ARIETE.

Alce fera in Scandinavia quadrupes eſt, ſubcinericii æſtate coloris, hyeme ad nigredinem vergit, cornua ſcabellis idonea, duodecim librarum pondere ſingula, duorum pedum longitudine. Labrum ei ſuperius adeo propenſum eſt, ut niſi in poſteriora recedens veſtigia, paſci nequeat. Morbo infeſtari ſacro ſcribunt; dextri poſterioris pedis ungula, auriculæ ſiniſtræ immiſſa, levari. Retinet eandem virtutem, ſi libidine turgenti, menſe Auguſto, vel Septembri abſcideris. Celeritas laudatur tantum enim die emetitur, quantum triduo equus. Nec leve robur eſt. Fortiſſimus quippe anterioris pedis, mors venatoris, ictus. *Aries* per ſex hybernos menſes, in lævo latere capit quietem, dextro ab æquinoctio verno incumbit. Id Ælianus prodidit, negant lanii. In Tartariæ regione Camandu vix aſinis minores, triginta librarum pondus caudæ æquat, viſus in Regis Arabum ædibus, cujus ad quadraginta aſcendit. *Vartom.* quadraginta & ſemiducentarum librarum ponderis Africanus mentionem facit. Addit, ſaginatis adeò craſſeſcere caudam, ut ſeipſos dimovere non poſſint. *l.* 9. *deſcript. Africæ* Frigido temperamento id adſcripſit *Cardanus.* Cum cætera oſſa extendi nequeant, propria ne obruatur pinguedine, humorem in caudam tranſmittit. In Sardinia naſcuntur, qui lanæ loco pilum ferunt caprinum, & vocantur Muſmones. Horum pellibus Thoracum loco utuntur. *Strabo l.* 5.

CAPUT II.
DE ASINO.

TAm pulchri in Perſiæ regno *Aſini*, ut unus triginta auri vendatur ponderibus; apud Pygmæos, noſtrorum arietum æquant magnitudinem. *Paul. Venet.* In Ægypto tanta tollutatiorum velocitas, ut quadraginta paſſuum millia, uno ſine noxa abſolvant die. *Scalig. Exerc.* 217. *ſ.* 1. Parce mergit os, dum bibit. Timor in cauſa *Cardano*. Ingentem enim aurium dum conſpicatur umbram, ne madefiant, veretur. Reperti apud Afros, qui non biberunt. Mingit, ubi minxiſſe alium viderit, aut ſuper fimum. Naturâ enim ſegnes, odoris acrimonia extimulat. *Cardan. l.* 10. *ſubtil.* Abroſa ab aſino viris palmite, feraciorem proveniſſe vindemiam, dedit obſervatio. Rei monumentum Naupliæ ſpectabatur, ubi lapideus aſinus grata poſteritatis memoria dedicatus fuerat. Fertilem hortum, in cujus medio ejus calvaria, ſcripſit *Vadimonius*: *Aldrov. l.* 1. *de quadr. c.* 2. Depaſtos cicutam ſomnus corripit in Hetruria, ut non tantum ſtupidi, ſed & mortui videantur. Fraus inde ad ruſticos. Nam multoties ſemiexcoriati, cum terrore reſurgunt. *Mathiol. in Dioſc.* Ruunt in ſtabulum oves, ſtabulo aſinorum ſi incluſeris: percuſſus vero à Scorpio, ſi ſuper aſino rectus deſideat, ad caudam, pati pro ſe aſinum cogit. Signum; quia pedendo moritur. *Merula.* Lac illius in laude. Poppæa certe Domitii Neronis conjunx, quingentas ſecum per omnia trahens fœtas, balnearum etiam ſolio, totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutim credens. *Plin. lib.* 15. *cap.* 40. Bathylis Cretenſis, phthiſi correptus, imperato aſininæ carnis eſu, reſtitutus eſt. Cæterum ſunt in Scythia, quorum cornu Stygis continet aquam, ferrea etiam tranſmittentem vaſa in India unicum gerunt in fronte cornu quidam. A morbo præſervatur ex eo qui biberit: quin peſtilentis ſiquid aſſumtum eſt, potu excernitur. Robur illis tantum, ut equorum in curſu diſrumpant latera. Mirus & is erat, qui inter Regis Aſſyriorum

riorum ad Ferdinandum Neapolitanum dona. Miraculoſo enim pilo, virgato corpore, diverſis coloribus, & paribus lineis. *Pontan. de Magnificent.*

CAPUT III.
DE APRO ET ARCHOPITECO.

IN Creta nulli *Apri:* in quadam novi orbis parte noſtris minores. Caudæ illis tam breves, ut abſciſſas Hiſpani putarent; ſolipedes etiam anterius, poſterius biſulci. In quibuſdam Scandinaviæ locis, duodecim ſunt pedum longitudine. Regulus Salvimontis ingentem habebat, quem cum hero & canibus, ad cornuum concentus venatum exiviſſe tradit *Scaliger.* *Archopitecus* animal eſt in America, corpore, ſupra modum deformi, Haüt vocant incolæ. Magnitudo illi Cercopitheci, venter ad terram demiſſus, caput & facies infantis, ejuſdem captus imitatur ſuſpiria. Terni pedibus hærent ungues, quatuor longi digitis, magnis Cyprinorum ſpinis ſimiles, his per arbores repit. Cauda tres digitos longa eſt. Vivi hominis carnem nunquam deguſtaſſe viſum, ſolis foliis, quæ Amahut vernacule vocant, vivere exiſtimant. Hominem deamat manſuetus, humeros ſubinde aſcendens. Sub dio retentum, nunquam madefactum reliquit *Thevetus.*

CAPUT IV.
DE BOVE.

IN extrema quadam Aſiæ provincia, inter extremos Indiæ montes & Cathajum, albi nigrique naſcuntur *Boves*, equina cauda, ſed piloſiore & ad pedes uſque protenſa. Pili ejus ſubtiliſſimi plumas referunt, & poſcunt precium. *Venet.* In Hiſpaniolam adducti, tantopere creſcunt, ut Elephantibus hyperbolice æquentur. *Petr. Martyr in Decad.* In his oris, in quibus hæc ſcribimus, pondus ſedecies centum librarum excede-

re interdum teſtatur *Guicciardinus*. 2970. librarum unum Leydæ vidimus. Ptolemæus vero 11. unius habuit cornu, quod tres capiebat amphoras. Gravidæ, in dextro, ut fertur, ſemper gerunt ſinu, gemellos etiamſi conceperint. At qui ex Charadro fluvio, non procul à Patrenſium Urbe bibunt, mares ut plurimum pariunt; fiet idem, ſi tempore coitus, vinculo ſiniſtrum exceperis teſtem, vel ſpirante Borea præparaveris congreſſus. *Pauſan. in Achaicis*. Nam ſi dextrum, vel Auſtro, fœminam dabunt. Vaccæ per æſtatem fœcundiores, pluvioſæ hyemis ſunt indices. Nec enim poteſt fœcundum animal genitali ſcatere humore, niſi cœleſti commoveatur influxu. *Albert.* Nimis interdum ferociunt. Anno quippe 1551. in Rhetia inter Duriam & Velcuriam, ex duobus in pratum eductæ pagis, tantum inivere certamen, ut non niſi viginti quatuor ſopiri potuerit cæde. *Geſner. de Quadrup.* Inflantur interdum plenitudine: ad cujus curationem incantatione utuntur, in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, veſicam nominantes. Narratur de Pythagora eum bovem prope Tarentum aliquot inſuſurratis verbis, ita reddidiſſe manſuetum, ut & fabacea abſtinuerit ſegete, & de rureſtri colono urbanus ambulator factus, Tarenti conſenuerit placide, de manibus hominum victitans. *Cœlius*. Fimi bubuli ſuffitus libera à muſcis & araneis ſervat alvearia: ſanguis verò vaccinus, vulneri infuſus, ſiſtit ſanguinem; ſtercus etiam aridum uſtum tribus cochlearibus potum, hydropicos juvat.

CAPUT V.

DE BISONTE ET BONASO.

B*iſon* animal eſt majus bobus, gibboſum, latiſſima fronte (duo enim vel tres inter cornua conſidere poſſunt) & criſpa villis moſchum redolentibus; Caro ei æſtate pinguiſſima, at fœtore allii, quo victitat, vitiatur. Robur ingens. Nam & equum & ſeſſorem cornibus ventilat. Sanguinem habet, plus quam purpu-

purpurei coloris, caliditatis tantæ, ut & ferrum venabuli in omnes partes reddat tractabile, & intenſiſſimis etiam frigoribus intra duas putreſcat horas. In Sylva Caledonia humanum adeo horrent conſortium; ut attrectatos ab homine frutices, aliquot diebus averſentur, & arte capti, moriantur mœrore. *Cambd. in Scotia.* Genus biſontis Bonaſum facit *Geſnerus*, de quo ſcribitur, quod ferventiſſimum, inſequente venatore, rejiciat ſtercus. Id vero, ut accidat animalibus, curſus facit. Calefiunt eo inteſtina, flatus ob calorem excitantur, quibus incluſis, violenta per anguſtiam fit eruptio, locorum præſertim ex motu ſi compreſſio accidat; quid & metum exprimere, ſepiæ attramentum in exemplo. Philippus Rex Macedonum ad pedem Orbeli montis unum jaculo confodit, cornua ſedecim palmarum Herculis religioni data.

CAPUT VI.
DE CAMELO.

Camelus multiplicem habet ventrem, vel quia magni eſt corporis, vel quia ſpinoſa edit & lignea, providit ſupremus ut concoqueret. Turbida ſuavis illi eſt, nec fluvialem guſtat pede niſi turbatam; Africi inedia quinquaginta dierum perpeſſa, ſerotino tempore non attingunt pabulum, ſed exoneratos campus frondibus alit. *Leo Aphric. l.* 3. Vitæ terminum centeſimus annus claudit; aëris inſolentia ſi non contraxerit morbum. *Plin.* Indis ad curſum ſerviunt, ſi Philoſtrato credimus, nec ſupra vires eſt, mille ſtadiorum una die conficere iter. At genus illud, quod *Ragnail* apud Afros dicitur, centum paſſuum abſolvit millia, modico victu per octo dies iter perpetuans. Cum matre nunquam illis res. Cum paſtor ad obtectam admiſiſſet, detecta adeo exarſit, ut eum obtriverit, ſe egerit præcipitem. *Ariſt. in admir.* Dociles eſſe docuerunt exempla. Si quando inter Æthiopiam & Barbariam ſolito diutius dici protrahitur iter, parcunt defeſſis flagro: at certa cantilena in tantum concitantur curſum, ut difficultas ſit aſſequi. Viſus Alcairi, ad tym-

pani ſaltare ſonum, miro edoctus modo. Iuvenculus quippe in hypocauſtum introducitur, cujus pavimentum, igneum imbibit calorem. Pulſatur præ foribus tympanum, caloris hic gratia alterum pedem exigit; continuato per annum exercitio ita aſſuevit, ut publico datus, calidi pavimenti memoria, ad ſonum tympani pedes erigat & ſaltare videatur. *Leo Aphric.* In terra Gigantum animal eſt, capite, auriculis, collo Mulæ, corpore Cameli, cauda Equi. Altitudo illi pedum ſex, longitudo quinque, collum Cygneo colore candidiſſimum. Advectum anno 1558. Middelburgum Zelandiæ, ovis dicebatur Indica, *Allo Camelum* nuncupavit in *Exercitat. Scaliger.*

CAPUT VII.
DE CAPRA.

TRadunt noctu non minus cernere capras, quam die. Ideo caprino jecore, ſi veſcantur nyctalopæ, veſpertino reſtituuntur viſui. Et auribus & naribus reſpirant, ſi paſtoribus credimus. Philes ſignum addit, quia naſo obſtructo nil offenduntur. *Ælian.* Averſæ jacent in paſcuis Sole in occaſum declivi, adverſæ aliis horis, & inter cognitiores. Cornu caprinum capiti infirmi ſuppoſitum, ſomnum illi conciliat; raſum cum melle ventris fluxum ſiſtit; aduſtum lethargicos excitat. In Ægypto quinos fœtus parere dicuntur. In cauſa eſt Nili aqua, quæ ſterilibus & inopibus lactis propinatur. Syrii revolutionem indicant. Nam quoties cum Sole oritur, in ortum converſæ reſpiciunt. *Plutarch.* In Africæ parte tonſiles ſunt, & ex villis earum fiunt rudentes, pluvias præſentiunt Lybicæ. Nam ut extra caprile proceſſerunt, concitato curſu ad paſtionem accedunt, mox ad ſtabulum convertuntur. *Ælian.* Gymanteæ ſex non bibunt menſibus, ſed mare intuentes, ore hiantes auras excipiunt, inde levatur ſitis. Mambriva ferti equitantem, ſellam & frenum admittit; ad terram illi auriculæ demiſſæ cornua revoluta ſub ore: *Geſn. l. 1. Quadrup.* Sylveſtres in Lybia boum commemorantur magnitudine, tam agiles, ut

in di-

in diſtantiſſima ſaliant cacumina, tanta membrorum duritie, ut nec frangant cornua, nec caput diminuant delapſæ. *Ælian. l. 14. c. 16.*

CAPUT VIII.
DE CASTORE ET COLO.

Morſu potentiſſimum *Caſtor* animal eſt, non prius concurſum laxat dentium, quam oſſa concrepuiſſe audiverit. *Plin.* Anſeris illi poſteriores pedes, ſimiæ priores. Squammoſo corio præpinguis tegitur cauda, gubernaculi vice, piſces cum perſequitur. Noctu prodit ex latibulis, & amputatis arborum ramis circa fluvios, caſas cum ſuperiore tabulato conſtruit, in his creſcente aqua habitat. *Albert.* Reſecti, maxime placent, uni reſupinato inter crura deponuntur. Comprimit hic ne dilabantur, cauda ad caſas trahunt reliqui. *Colus* quadrupes fera, eſt apud Scythas & Sarmatas, magnitudine inter cervum &.arietem. Albicat corpore, curſu valet. Naribus potum ad caput trahit, per aliquot dies retinet, adeo ut per carentes aquis agros pabulum facile carpat. *Strab. l. 7.* Obambulant quingenti interdum, ac circa feſtum Paſchatis duo millia ſimul conſpiciuntur. Effodiunt in Martio herbam, hujus odore ſuam excitant Venerem: iſta exhauſta reſolutis nervis per diei ſpacium ſemimortui jacent, guſtata alia ſibi reſtituuntur. *Geſn.*

CAPUT IX.
DE CATO ET CUNICULO.

Cato oculi tam acuti, ut nec in tenebris quicquam fugiat. *Alb.* Felis vero Ægyptii matis, ad Solis rationem, variari pupillas, obſervatum eſt. Longæ fiunt in ortu, rotundæ meridie, declivum Sol cum ſpectat, obſcurantur. *Gellius.* Supinus plerumque ludit, undique ut circumſpiciat. Abſciſſis auriculis domi detinetur facilius. Guttas enim, auriculis apertis illabentes, ſuſtinere non poteſt. Pilus ejus in os hominis ſi inciderit, inhæret. Hinc aggeſta materia ſtrumæ ortum

tum acquirunt. *In Malabar provincia*, inquit *Scaliger*, *feles ſunt agreſtes in arboribus agitantes; de earum celeritate proditum eſt, ſaltu potius valere. peculiaris vero volatus, idque quod magis mirum eſt, ſine alis. Membranam ab anterioribus pedibus ad poſteriores uſque productam tendi; quam dum quieſcunt, ad alvum contrahunt. Vbi volare inſtituunt, pedum crurumque agitatione, protenta collectaque membrana, tum ſuſtinentur, tum feruntur, mirabiliſque eſt earum tanquam per aerem currentium ſpecies.* *Cuniculi* in Balearibus abundant, inde ſegeti & campis noxa. *Solin.* Omni menſe pariunt, nec cæcos, ſtatim à partu implentur, ubera quamvis ſiccante fœtu. *Plin. l.* 10. Lac ſtatim à partu fœmina non habet, priuſquam per ſex horas cum mare fuerit, avenæ deinde exceperit grana. *Geſn. de Quadrup.* In nova Albione talpâs pedibus, caudâ glires referunt, habentque ab utroque latere ſacculum quem poſtquam ſaturati fuerint, reliquias recondunt. *Latius l. 6. Amer. c.* 20.

CAPUT X.

DE CERVO.

Cervos dari albos, cornigeras cervas certum eſt. Vidit eos Apollonius Paracam Indiæ urbem prætergreſſus. *Philoſtrat. l.* 3. circumduxit Sertorius, à Diana datam, conſilia ſuggerere mentitus, milites in officio ut contineret. *Gellius.* Cepit ex his unam Ludovicus Rex Galliæ, cumque conjunx Anna Britanna, quid ſibi vellet, quæreret, omnes tales ante fuiſſe dixit, demptas à Deo propter ſuperbiam. Sanguini eorum nullæ fibræ: quare non ſimiliter ut aliorum craſſeſcit. Fel non in jecore, ſed aut inteſtinis aut cauda. Hinc tanta huic amarities, canes ut non attingant. *Plin.* In capite vivos habent vermes viginti interdum, & illos diſcretos; magnitudo eorum eſt quæ in putridis carnibus. Sub lingua in concavo naſci dicunt, circa vertebram, qua cervici annaſcitur caput. Nam grandibus os capitis ſub oculo ſi terebraveris, veſpas ex humore ſuperfluo concretas evo-

late

lare conſpicies, ſi Venatoribus credendum, & tunc diutius vivere nequit, niſi ſerpentum renovetur eſu. In cordis baſi, inter auriculam majoris ventriculi & urinalem venam os inveniri ſcribit *Geſner.* De ſanguine id cordis eſſe ſubruſum, & melancholicum addit, de vapore ob ſiccitatem in oſſeam ſubſtantiam converſo quidam adjiciunt. Subjungunt denique nonnulli non alio tempore inveniri, quam eo quod inter duos divæ Virginis feſtos intercedit dies; hoc eſt à medio circiter Auguſto, ad Idus Septembris. Cerva prope ſemitas parit. Tutam enim ſe exiſtimat frequentia hominum, ferarum ſolitudine; Vbi peperit, involuctum exedit primò, hinc ſeſeli herbam medicamenti in partu loco habet. *Ariſt. in hiſt. Animal.* Mare tranant, claſſium more, dux antecedit, ſequuntur cæteri: capita in mutua reclinantur terga, claudit mox primus agmen, feſſas ubi ſenſerit vires, eas ut recolligat. Serpentem naturæ munere vincit. Spiritu enim fortitér attracto, educit è latebris, poſt procumbentem vorat. Inſequitur balneum epulas canctorumque eſus, lachrymæ denique funduntur, in lapidem Bezoar vertuntur effuſæ. Perit, ſi his non præmiſſis biberit. *Geſner.*

CAPUT XI.
DE CANE.

MVlta in Cane miranda, partus, ſagacitas, morſus, docilitas, fidelitas, & alia. Cæcos gignit catulos, qui, quo largiore aluntur lacte, eò tardius vident; vulgaris tamen terminus ſeptimus eſt dies, ſi cito fit; vigeſimus, ſi tarde. Quidam tradunt, ſi unus gignatur, nono die cernere, ſi gemini decimo, idemque in ſingulos adjici, totidemque eſſe tarditatis luces: ab ea denique quæ fœmina ſit ex primipara genita, citius cerni. Optimus in fœtu qui noviſſime cernere incipit, aut quem primum fert in cubile fœta. *Albertus* ſcribit, viſam ſibi è maſtinorum genere canem, quæ primo novendecim ſimul peperit, poſt octodecim, tredecim tandem. Sagacitas ei tanta, ut nunquam canis

nis carnem, ne varietate quidem condimentorum falleciſſime temperatam, deguſtet. In Scotia genus eſt quoddam, quod furem perſequitur, qui ſi fluvium trajecerit tranat & idem, in adverſam ubi appulit ripam, tamdiu in gyrum procurrere non ceſſat, donec odoratu veſtigia aſſecutus fuerit. *Geſner.* Rabidi morſus & mire venenatus & lethalis eſt, (corripitur autem rabie circa caniculares menſes, ex nimio dentium dolore; reſtituitur ſibi, ſi, helleboro cum polenta comeſto, evomuerit) Vrina enim rabidi calcata, maxime nocet ulcus habentibus, & obſervatum aggregari vulnera illorum introitu qui unquam fuerint canis dente læſi: iidem gallinarum incubatus, pecorum fœtus abortu vitiant. Recruduit cuidam duodecimo poſt morſum anno in brachio vulnus. Et intra biduum obiit. *Albert.* Hydrophobia inprimis admorſos vexat, & quod magis mirum, ſeptennio quamvis latuerit. Liberatum ſe exiſtimabat quidam aqua marina lotus; poſt aliquot tamen menſes ligni cornui contactus morbum reduxit: *Geſner.* Quin in urina illorum canum apparere dicuntur capita. Docilitatem & fidelitatem quod ſpectat, multa ſuppetunt exempla. Advocabat ſervos Franciſci Marchionis Mantuæ canis; trahunt currus, ſarcinas in itinere portant in Ibiſſibur regione Tartariæ; ferebat Lovanienſis apud *Lipſium Cent.* 1. *ad Belg. Epiſt.* 44. Bruxellas literas, referebat & inde; Bruxellenſis pecuniam ad macellum, carnem è macello domum portabat: propugnabat contra impetentes eandem, partem de præda arripiebat victus. Rhodii Chriſtianos à Barbaris dignoſcebant. *Gabell. in Hiſtor.* Agyrtæ cujuſdam ſub Iuſtiniano principe, projectos in medium annulos unicuique reddebat, maritam, viduam, virginem, prehenſa notabat veſte. Denique quidam apud *Plutarchum* hominis veneno tollendi referebat ſpeciem. Fidelitatis egregiæ admirandum exemplum, apud Scaligerum in exercitationibus legitur: cujus fide & verbis idem appono. *Offenſus amici ſive potentia ſive perfidia quidam regis aulicus, cum ex inſidiis obtruncat, atque in avio agro ſepelit: Venaticus canis ibi tum forte hero comes fuerat; is amore victus diu*

ſedit

ſedit in tumulo. Poſteaquam fames pietatem ſuperavit, atque in aulam ſine domino reverſus eſt, rati illius contubernales beſtiam temere vagari, cibum ei dari jubent. Satur ille ad tumulum redit, it, redit toties, ut primum ſuſpicio invaderet animos incerta quadam ac fluctuans: mox etiam certi eſſe viderentur, heri id fieri deſiderio. Abeuntem proſecuti, deprehenſo telluris tumore effoſſum cadaver atque agnitum afficiunt ſepultura. Canis exequiis peractis, ſocius fit eorum, quibus fuerat dux ad perveſtigandum. Tandem aliquando in aulam, ubi homicida rediiſſet, eum conſpicatus canis, magnis illico editis latratibus ægre ab impetu cohibetur, quo tanquam indice, aucta ſuſpicio, in multorum animis certa fides evaſit. Cæterum beſtiæ perſeverantia in ejus odio atque perſecutione, etiam regem movit, ut juberet hominem cauſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere inficiatione. Canis ejus orationem latratibus atque aſſultibus obturbare: ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant interpretarentur. Eo res deducta eſt, ut juſſu regis homicida cum provocatore ſingulari certamine dimicaret. Picta eſt canis victoria in cœnaculo quodam regio. Pictura vetuſtate dilutior atque obſcurior facta, regum mandato, ſemel atque iterum reſtaurata eſt.

CAPUT XII.

DE CERCOPITHECO, ET CATOBLEPA.

IN Praſiana regione Cercopitheci, maximis canibus vix cedunt magnitudine. Cauda quinque cubitorum eſt; ex fronte propendent comæ, barbamque promittunt, ingenita quadam manſuetudine. *Strabo l.* 15. Sunt & alii miræ magnitudinis, forma hominis: Cruribus ſiquidem, virili membro, facie agreſtem repræſentant hominem, toti alias pilo obſiti. Amant pueros & mulieres, in harumque ruere conantur amplexus; *Cardan.* Communes noti ſunt, hi teſticulos habent, cœrulei & viridis coloris cum ſpicas depaſcunt, unus in campo excubat, edit clamorem percepto agricola, cæteri fugiunt. Crocodilum tantopere abhorrent, ut ne longinquum quidem pellis ejus conſpectum ferre poſſint. Cum aliquando id experiretur Gyllius,

lius, cùm tremore, & alvi dejectione vinculis quamvis conſtrictos, per ignes & aquas, ſutenter evadere voluiſſe, obſervavit. In Cariai orâ genus quoddam è ramo in ramum inſilit, ac ſi volaret, apto infeſtum. Nam in admotum furibunde inſiliit, & cauda circumligavit. Tauro ſimilem *Catoblepam* prodidit *Ælian. l. 3.* truculentam eandem, terribili aſpectu, oculis ſanguine ſuffuſis terram ſpectare. Mortiferas depaſcitur herbas, ac ſimul ut taurino aſpectu conſpexit, horret, jubamque erigit. Hac elatâ, apertiſque labris horrendum quiddam emittit de gutture, ut aër ſupra caput inficiatur, & ab aliis hauſtus vocis auferat uſum, lethaleſque convulſiones inducat. Rem ita eſſe, per Marii milites cognitum. Cum enim feram eſſe putarent ovem, ſtrictis in eam repetitis vicibus incurrêre gladiis: ſed necati naturam detexêre belluæ. Occiſa poſt per Nomades equites, & ad Marium adducta eſt.

CAPUT XIII.
DE CYNOCEPHALO, ET CHAMÆLEONTE.

Cynocephalus animal eſt capite canino, forma hominis, piſcationis peritiſſimum; toto enim die aquæ immerſum, cum magna piſcium copia emergit. Veſte indui mirifice gaudet, hominum nulli nocet. Indorum linguam intelligit, boves denique lactis cauſâ manſuete paſcit. *Plin. l. 7. c. 2. Strabo l. 15.* Duo in eo maxime mira. Primo, quod duobus anni æquinoctiis, duodecies in die, per ſingulas horas urinam reddit, noctu idem faciendo. *Precioſ. Iohan. in Epiſt. ad R. P.* Vnde imago apud Ægyptios Cynocephali in horologiis urinam mittentis. Alterum eſt, quod ubi aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers eſt luminis, mas nequicquam intuetur, nec veſcitur ſed demiſſo in terram perſiſtit vultu, fœmina etiam nuſquam oculos contorquet, miſſo inſuper è genitali vaſe ſemine. Ideo adhæc uſque tempora in ſacris nutriuntur, ut Solis & Lunæ conjunctionis ex iis cognoſci poſſit tempus. *Chamæleontem* Africa gignit, frequentio-

quentiorem India. Quinque digitos in pedibus habere dicitur, quibus ſtat paſſis, curvat eos ubi teretibus incumbit ſurculis. Mutat colorem ſubinde, & oculis & cauda & toto corpore; redditque ſemper, quemcunque proxime attingit, præter rubrum candidumque; defuncto pallor ineſt. *Plin.* Aërem illi aliquando pro cibo certum eſt. Nam & annum integrum inediam tolerat, & excepta hiatu aura, clauſiſque malis turgidum ventrem oſtentat. Fuere, qui obverſum ad ſolem haurire radios, eoſque hiatem ſequi dicerent. Muſcas venari ex Zandio habemus, qui etiam addit diſſectam à ſe linguam palmi inventam longitudine, cavam & inanem; in ſumma acetabulum cum mucco: hoc tuliſſe prædam. *Card. de ſubtil. Alexander Myndius* contra famelici ſerpentis impetum ſic ſe munire ait. *Feſtucam bene latam & validam tenet, ſub qua ceu clypeo ſe verſans contra hoſtem ſerpentem venit. Serpens, quia feſtuca latior eſt, quam ut oris hiatu ab eo ſeparari poſſit, & chamaleontis membra reliqua firmiora, quam ut morſibus lædatur, fruſtra ſe fatigat.*

CAPUT XIV.

DE CROCODILO.

CRocodilos Ægyptus alit, ſed non æquè noxios. Furibundi verſus montana, à Cairo ad mare mites; piſcium illud facit defectus, præmium hoc occiſi. Cuique enim, grandiorem in urbem deferenti, decem aurei nummi numerantur de fiſco. Nilo etiam ad alveum deducto, fame preſſi in inſidiis luto obvoluti latent, accedentes cauda percuſſos ſtrangulant. Tantum in ictu robur, ut quatuor grandioris animalis crura, uno perfregerit. *Martyr.* Vnum ovum anſeris edunt magnitudine; ad maximum tamen incrementum, minima origine decurrunt. Duodeviginti plerumque excedunt cubitos. Pſammetichi tempore viginti & quinque. Viginti ſex Amaſidis. *Plin.* Legitimum judicant fœtum, ſi quid ſimul atque excluſus eſt rapuerit. *Ælian.* Lingua eis adhæret tota, cauſa apud *Ariſt. l. 2. de partibus anim. c. 7.* Satellitem ejus trochi-

chilus agit, hoſtem Tentyritæ. Diſcutit ille dormienti ſomnum, Ichneumonis ubi conſpexit inſidias, & intra patulas fauces admiſſus, intra ſepta dentium roſtro excerpit carnes; quando avolare debeat, inclinata ſuperiori mandibula præmonetur. *Plutar. Plin.* 8. 25. Flumini hi innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, clavam ori ingerunt, ac voce ſola territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Hinc in illorum nulli inſula olfactuque ſolo hominum fugantur. Iſte quomodo pugnet, hiſtoria ejus oſtendet.

CAPUT XV.
DE EQUO.

EQuas in Luſitania vento concipere refert *Varro. Plinius* & *Solinus* partu evanido affirmant. Natos quippe pullos non plus triennium vivere. Fabulas appellat *Iuſtinus*. In Hiſpaniola inſula, decimo poſtquam natæ ſunt menſe concipiunt, &. gemini ſæpe in unico partu. *Petrus Martyr. Sterilis concipiet*, inquit, *Aldrovandus*, *ſi faſcem porrorum in pilo tuſum vini cyatho perfundes, & cantharides verſicolores numero duodecim ex aqua biduum oriculario clyſtere in vulvam ingeres, poſtero die equum ad jucundam fœminam emittes, poſtquam deſiliit, bis genitales locos elues.* In Provincia Belaſciæ tam duratum ſunt ungularum ut ſoleis non muniantur: apud Ambes tantæ celeritatis, ut intra νυχθήμερον centena millia itineris conficiant. *Ludov. Roman. l.* 4. *Navig.* & talem in Alanico bello à Probo principe captum Hiſtorici referunt. In Arteſia natus Mellomi arcis Toparchæ, grandi forma, cornibus eminentibus; ſaltus ejus adhuc oſtenditur pedum ſexaginta. *Lipſius Cent* 3. *ad Belg. epiſt.* 56. Sat diu vivunt; Viſi enim attigiſſe annum quinquageſimum: ſexageſimum exceſſiſſe ſcribit *Albert* ſeptuageſimum *Solinus* & *Niphus*. *Notatum advertimus*, inquit idem, *apud Opuntem nomine, Equum ad gregariam Venerem duraſſe annos quadraginta.* Camelum adeo reformidant, ut nec ſpeciem ejus intueri poſſint, nec ſentire odorem. Hinc Cyrus contra Crœſum pugnaturus,

tus, equitatui aciem illorum oppoſuit. *Herodot.* Scribit *Plinius*, veſtigia lupi calcata equis in cruribus adferre torporem. *Ælianus* vero addit, ſi lupi calcaneum, curtum trahentes, conculcent, ſiſti, tanquam cum quadriga conglaciatos. Caro illorum ſapit Tartaris, & apud Perſas in conviviis divitum apponebatur aſſa. Moſchi olim Tartarorum ſervi, potum lactis equini, illis tributum petentibus per ducem ſuum in itinere offerre conſueverant. Sudor abortum infert puerperis; etſi cultelli calefacti eum imbiberint, adeo inficiuntur, ut locus ab iis vulneratus, ſanguine ante mortem animantis manare non deſinat. *Albert.* Lachrymatos produnt exempla. Cæſar triduo ante obitus diem flentem ſuum invenit: Cardanus etiam Oſturconem ſuum ubertim fleviſſe teſtatur, æſtate præſertim. Tam denique dociles ſunt, ut nec Alexandri Bucephalus, nec C. Cæſaris Aſturco à quoquam regi potuerit, dominum ſi excipias. In Olandia Gothici maris inſula viſi qui ad tympani ſonitum greſſu glomerante, choreas exercuerunt. De ſimili ſic *Scaliger*: *Equum puſillum deformem circumducebat agyrta quidam; cujus juſſu, interdum nutu, omnia faceret: ambulare, ſuccuſſim propetare, currere, ſaltare, vel quadrupes, vel bipes. Vinum bibere vidimus in clunibus ſedentem, anteriores pedes ad pateram ferre: pelvim ſeu malluvium cruribus ſuſtinere, quaſi à tonſore lavaretur, humo ſternere, projectum atque porrectum jacere: ciliorum compreſſione annuere: caput ad heri nutum attollere, in terga vertere, ſupinus oſtendere, quo corporis ſitu mulier ineuntem admittat. Nos quoque vidimus*, inquit *Gaudentius Merula*, *equum Pannonici cujuſdam medici, qui præ foribus ſolutus, donec ab ægris rediret, expectabat, & ſi diem integrum abſolviſſet.* &c.

CAPUT XVI.

DE ECHINO.

Echinus ſeu herinaceus terreſtris, animal eſt porcino roſtro. Rigidiſſimos habet in cute aculeos, qui vix gladio ſecantur. In orbem rotari propter muſculum

lum per totum dorſum longum & latum qui cutem contrahit, primus *Volcherus Coiter* obſervavit. Aperitur, ſi è regione ventris aquam fundas. Nam quia aërem attrahere nequit, cum voce ſtridula dilatatur. *Roſenbach in Indice.* Vindemiæ tempore vires ſubit, & botrorum acinos decutit in terram, ſpiniſque excipit confixos. *Plutarch.* Captus tergus urina conſpergit, quod corrumpitur perfuſum. Ob id nonniſi noviſſima ſpe, maleficio iſto perfungitur. Quippe & ipſi odere inſitum veneficium, ita parcentes ſibi, terminumque ſupremum opperientes, ut ferme ante captivitas occupet.

CAPUT XVII.
DE ELEPHANTE.

Elephas peregrinum eſt apud nos animal. Indis & aliis notiſſimum & obvium. Certe Palibrotorum regi, nonaginta millia eorum erant: Siamenſi duodecim, quatuor ad ſubitos armata caſus. Sub imperio Regis magni Mogor quinquaginta: in Mozambica vero armenta eorum vidit *Vartomannus.* Quin & Africa illis gaudet. Nam traditur ab *Appiano Alexandrino* trecenta apud Carthaginem habuiſſe ſtabula. Multa de illis ſtupenda dicuntur, pleraque ultra fidem. Collegit in Epiſtola Lipſius, nos ad duo breviter reducemus. Corpus nempe & animam. Quantum ad illud, ingens eſt & inter terreſtria maximus. Hinc Hebræis in plurali *Behemoth.* Certe turres olim armatorum in prælia ferebant, & innominatus quidam author ſcribit, dentem ejus ſe vidiſſe, ducatis ſex & triginta emtum, longitudine dodrantum quatuordecim, craſſitudine dodrantum quatuor, tanto pondere ut humo tollere non potuerit. *Aldrovand.* In corde os habet eximiæ magnitudinis, quod in jugulato ſe vidiſſe ſcribit *Aldrovandus.* Tres ei vendicat ventriculos *Ariſtoteles*; duo ſunt inventi, qui ducentas viginti quinque æquabant libras. *Vertomannus.* Quantum ad animam magnis ornatur à ſcriptoribus dotibus.

dotibus. *Chriſtophorus Acoſta*, qui Indiam Orientalem diligenter luſtravit, multa ſupra fidem de iis. *Nihil certius eſſe* ait *in regno Malabar, quam quod Sermone communicent inter ſe, quin humanam edere vocem* adjicit. *Erat*, inquit, *in urbe Cochin Elephas qui operas diurnas præbere ſolitus ad portum & res marinas. Eum forte jam feſſum urgebat nihilominus urbis ejus præfectus, ut Liburnicam quam commovere cœperat, deduceret porro in mare. Ille abnuere, inſtare alter multis blandiſque verbis, & ad extremum in gratiam Luſitani regis, ut id vellet orare. Hinc* (immane dictu) *elephas motus, clare hæc duo verba ingeminat, Hoo Hoo, quod Malabarum lingua eſt Volo, volo, ac ſine mora navim traxit in mare.* Huc pertinet exemplum, quod Romæ accidit. *Ludis quibuſdam, Tiberio principe, duodecim elephanti theatrum inducti ſunt ſive Circum, induti floridas & hiſtrionias veſtes. Ac primum ad vocem Magiſtri dividebantur in diverſas Circi partes, inter eundum molli & ſaltatorio greſſu intendentes: iterumque ad eandem vocem coibant, & efficiebant ſaltatorium quendam orbem. Sed & flores ſpargebant, & corollas, & ad cantum terram pedibus leniter, & numeroſe pulſabant, & omnia præſtabant, quæ præſtantiſſimi ludionum. Iam iidem* (quod inſanum mirum) *docti menſas accumbere, cibum, potumque ſumere, parce, ordine, modeſte, humanum in modum. Lecti erant humiles inſtrati purpura & aulæis: menſæ ad eos vario & dapſili inſtrumento: diſpoſita pocula aurea, argentea, minuta grandia: cibi in lancibus, panis, caro, fructus. Ecce, ingreſſi Elephantes, ſex mares, ſex fœminæ: illi togati, hæ ſtolatæ. Decorè & verecundè in lectis ſe reclinant, menſam accumbunt, tum ſigno dato in menſam promuſcides ſive manus ſuas extendunt: ſumma modeſtia cibos capiunt, delibant, non ulla voracitas in illis, non aviditas viſa, non majoris meliorisve partis appetitio, præreptio. Denique cum bibendum pateram pueri porrigebant: iique promuſcide eandem genialiter hauriebant, & reliquiis vini circumſtantes aſpergebant, tanquam cottabum facientes.* Hæc Lipſius ſuis verbis, ſententia Æliani germana. Iſta vero omnia, tanto cum ſtudio addiſcunt, ut *Plutarchus*, & *Plinius* author ſit, quendam tardioris

inge-

ingenii, & verbis verberibuſque male ſæpe acceptum, inventum ad lunam geſtus illos motuſque exercentem. Eo tandem de Elephantibus aſcendunt dicta, ut legere ac ſcribere poſſe affirmetur. *Plinius* enim clare è Muciano. Quendam Græcas literas pingere didiciſſe, eaque lingua ſcripſiſſe; *Ipſe ego hæc ſcripſi & ſpolia Celtica dicavi.* Cæterum quid de his ſentiendum ſit, ex *Libavio de intellectu beſtiarum*, colligi poteſt. Sympathiam etiam quandam cum Luna habere videntur. Nam ab interlunio recreſcente ex ſylva ramos decerpunt, mox ſublime ferunt, tandem ad eandem ſuſcipiunt, ac leviter movent. Supplicationem Deæ prætendi, exiſtimari poſſit. Sed manum de Tabula. Animal ipſum Amſtelodami videre nobis contigit.

CAPUT XVIII.

DE GLIRE ET GULONE.

GLires tota hyeme dormiunt in pilam coacti, ſereno expoſiti aëri, inter manus concaleſcente ſpiritu reſolvuntur. *Geſner.* Mire in valle Telina capiuntur. Nam ruſtici noctu cum facibus procedunt, fulgore accedentes occæcant, ſic vel manibus capiunt. Poma, quorum appetunt grana, divaricatis alibi ramorum ceu furcis imponunt, ſic inſerta obfirmataque, commodius evacuant. Apud Rhetos qui Italice loquuntur, cato illorum ſalſa reponitur, quia dulcis & pinguis ſuillæ inſtar grata eſt. *Geſner. Gulo* animal eſt in ſeptentrionalibus: cadaveribus veſcitur, & ita quidem, ut tympani inſtar infletur. Anguſtas inter arbores ingreditur, inflatum, ac preſſo ventre ſeſe exonerat, extenuatum impletur rurſum. *Michov. l. 2. deſcript. Sarmat. Europea.*

CAPUT XIX.

DE HYÆNA ET HYSTRICE.

HYæna eſt animal corpore haud minus lupo, ſeta illi equina, ſed durior per totum porrecta dorſum. *Ariſt. in admir.* Et fœminæ & maris quibuſdam habere genitale videtur: longam tantum lineam ſub cauda quibuſdam. *Ariſt.* In impetu dextera ſi excipiatur, ſtuporem inducit; occiditur ſi ſiniſtra. *Gillius* apud *Ælian.* Lunæ orbe pleno ſuam canibus umbram injicit, injecta hi obmuteſcunt, elingues ducuntur. *Ælian. Leo Africanus* facit mentionem animalis Dabuh Arabicè, Ieſef Africanè dicti. Mihi idem cum iſto videtur. Magnitudine & forma lupum, pedibus & cruribus hominem referre ait. Reliquo beſtiarum innoxius generi, humana corpora ſepulchris evellit. Venatores antrum in quo degit edocti, tympanum cantantes pulſant. Hujus harmonia demulſus, ſolido fune crura conſtrictus, extrahitur. *Hiſtrix* ſpeciem gerit porci bimeſtris. Caput illi leporinum, humanæ aures, urſini pedes, juba ſuperiori erecta parte, cava priori adſcribitur. Tubercula cutis ex utraque oris enata parte, ſetas continent longas, ex iiſque naſcuntur. Latet æſtate, hyems trahit in apricum, & gravitatis tempore urſam ſequi dicitur. *Agricola de ſubterran.* Ad Hyſtricem refert *Geſnerus* monſtrum *Cardani* quod ille ita deſcribit *l.* 10. *ſubtil. Varii generis incertæque naturæ fuit animal, quod præſenti anno* 1530 *Ianuarii* 19 *vidimus Papiæ. Vulpis magnitudo, aliquanto longius ore, & rictu leporino, cum pilis longis, duobuſque dentibus prælongis: ſiquidem digiti humani longitudine prominentibus admodum ſciuri, oculis ſerpentinis, quippe qui angulis carerent, & nigri eſſent. Pileus inerat capiti, hircinæ barbæ ſimillimus, ſed non aliter, quam criſta pavoni. Pilus muſtellinus ac pulcher, niſi quod ſuper collum velut lana candida videbatur: anteriores pedes ut taxi, aures & poſteriores pedes nihilo differentes ab humanis, niſi quod pedibus ungula urſi pro humana erat. In dorſo poſtremaque parte, ſpina circiter centum,*

hyſtricis inſtar, quarum quædam in apice curvabantur, prominebant alioqui immobiles, nec ut de hyſtrice ferunt, emiſſaria. Cum moveretur, ſtrepitum, dum ſe colliderent, edebant. Cauda anſerina, ſed in ſpina plumæ finiebantur. Si reliqua non videas, anſerem dices: candidis ac cinereis plumarum ſedibus latoque lumine anſerem æmulantibus. Vox ſubobſcura, rauca, quaſi latrantis canis. Iracundum animal, ſed tamen, quod facile à circulatore tractaretur. Canes odio proſequebatur maximo, ſexus fœminei, ætatis juvenilis. Potus nullus, cibi, panis aquâ madefactus. &c.

CAPUT XX.

DE HIRCO.

TAnto interdum impetu fertur hircus, ut aſſerem vel ſcutum perforet: ſeptimo poſtquam natus eſt die, coire incipit. *Ælian.* Sanguis ejus nephriticis & calculoſis præſens remedium. Solvit enim ante natos lapides, & ne alii progignantur facit, dolorem ſedando etiam. *Aetius l.* 11. *c.* 12. Sic autem colligendum magnus *Geſnerus* præſcripſit. *Quum uva matureſcere cœperit, ollam novam accipito, & infuſa in ipſum aqua, donec terreum depoſuerit olla, coquito: & accepto è grege hirco ætate matura, plus minus quatuor annorum, ejus mactati ſanguinem medium olla excipito: ita ut eum, qui primus effluxit, itemque poſtremum, penitus relinquas: medium autem ſpiſſari ſinito, & in olla ſitum per acutam arundinem in multa fruſta diſſecato, indeque reticulo denſo aut linteolo raro, aut cribro arctiore contectum, ſub dio exponito, ut inſoletur, & roſcidus fiat (rore jam decuſſo, poſt horam ſecundam ſub Solem ponas) cavendo ne imbre commadeſcat: Porro ubi exſiccatus fuerit, diligenter in pyxide aſſervato: & remittente malo, cochleare plenum cum paſſo Cretico exhibeto. Pharmacum hoc, Divina manus, dicitur.*

CAPUT XXI.

DE IBICE, ICHNEUMONE ET IGUANA.

EX caprarum ſylveſtrium genere ſunt etiam *Ibices* in Alpibus. Natura frigus requirunt, cæcæ alias futuræ. Magni ponderis cornua eis reclinantur ad dorſum, eoque majoris quo grandior procedit ætas. Vetulis viginti circiter in iis nodi increſcunt, & tum ſedecim librarum bina excedunt pondus. Nulla tam aſpera rupes eſt, quam non vincant ſaltu, ſalientium ſi excipere poteſt ungulas, ipſum aſperum parietem ſcandere poſſe, quidam prodidere. Morituros, referunt venatores, rupem conſcendere præaltam, ibi altero ad parietem innixos cornu perpetuo circumire ambitu, donec attrito corruant moribundi. *Geſner. Ichneumon* eſt Ægypti animal cauda oblonga, ſerpentinæ ſimili. *Oppian.* Extra meatum excrementi peculiarem habet pilis obſitum, aperit eum dum urget calor, altero occluſo. Catulos illius ruſtici Alexandriæ in foro vendunt. Nam, quia capiendi mures periti ſunt, educantur. Hoſtilitatem cum Crocodilo gerit; Nam ubi ſomno obſervavit ſopitum, luto obductus fauces ingreditur & ad interiora penetrat, inſeſſoque epate illud exedit, mox proſilit. *Gillius ex Oppiano:* Sed id difficilius *Geſnero* videtur. *Iguana* animal eſt in America amphibium lacerti forma. Pone caput foramina duo piſcium branchias referentia habet, ſub cervice pendulam ad pectus ingluviem. Caro ejus alias ſapida, illis qui lue venerea aliquando laboravere noxia eſt. Recrudeſcit quippe malum licet dudum ſanati fuerint. *De Laet. l. 1. Amer. cap. 9.* In capite reperiri lapillos calculi renum præſentiſſima remedia, Ximenius author eſt.

CAPUT XXII.
DE LEONE.

COpia Leonum in provincia Gingui magna eſt. Adeo vero incolis infeſti, ut nec domo noctu egredi audeant, nec naves deducere ad portum. *Geſner.* Oſſa Leonum medullæ expertia dicuntur tam dura, ut ignem concuſſa reddant. *Ælian.* Dentes illis ſerrati, cervix uno rigido conſtat oſſe, nec vertebris jungitur, priores pedes quinis diſtinguuntur digitis, quaternis poſteriores; pupillæ nigræ ſunt. *Ariſtot.* Parcunt omnes à ſagina. Nam & alternis potum & cibum capiunt; & concoctione læſa unum ſuperponunt diem; carnes denique juſto amplius devoratas, inſertis in ora unguibus protrahunt. *Ariſt.* Saturati feræ alicujus carnibus, reliquias aperto gutture afflant. Hinc tantus oritur fœtor; ut à nullo animalium attingantur. *Ælian.* Minimum dormiunt, ſublucentque dormientium oculi, ſemel in vita parere nec unico plures, teſtatur. *Herod. & hiſtor.* 3. Nati catuli tribus diebus dormiunt, rugitu maſculorum excitantur. *Gellius l.* 13. *c.* 7. Maximus in iis liberorum amor. In Pangeo Thraciæ monte occiderat abſentium catulos urſa, & fuga ſibi conſuluerat conſcenſa arbore. Inſecuti parentes inveniunt, ſed quia difficilis adſcenſus, ſine vindiciis. Relicta igitur ad cuſtodiam leæna, vagatur per montes Leo, paſtorem ſecuti inſtructum invenit, exanimi blanditur, ſecurim tollere jubet, veſte arreptum ad arborem trahit, ſucciſa urſus delabitur & diſcerpitur. *Ælian.* Clementiam exercet in ſupplices. Proſtratos enim vix lædit, & ubi deſæviit, viros potius quam fœminas opprimit, infantes ſi ingens preſſerit fames. Scribit *Avicenna*, ſi quis lapidem aut telum leoni immiſerit & aberraverit, ita ut vel nihil lædat vel parum, minari hunc potius quam interficere: Vindictam ſi ſumſerit, tantum infert quantum accepit. *Crantzius in Saxon. l.* 8. *c.* 24. Quondam in Anglia nobilem ſanguinem à degenere diſcreviſſe teſtatur. Sunt & manſueti. Nam in planicie qua-

quadam regni Fez bacillo abiguntur; & in alia Aſricæ regione, oſſa vicatim colligunt. *Leo African.* Indici denique adeo manſueſcunt, ut loro aſſuefacti ad venationem ducantur. *Ælian.* Marcus Antonius primus eos jugo ſubdidit. Terrentur rotarum circumactis orbibus, gallinarum criſtis cantuque, ſed maxime ignibus. *Plin.* In Armenia farina piſcium nigrorum tolluntur. *Ælian.* Et leontophonis beſtiolis modicis: quarum exuſtarum cinere carnes conſperguntur. *Solin.*

CAPUT XXIII.
DE LEPORE.

LEporibus Ithacæ infeſtus ager eſt, nam moriuntur illati. Balearium gratioſus. Tanta enim aliquando ibi horum copia, ut militare auxilium poſtularent ab Auguſto incolæ. *Plin.* Minores albeſcunt hyeme in Alpibus. *Geſn.* Pauſanias vero in Arcadicis candidos è Lybia advectos vidit. Palpebris clauſis vigilat, immotis dormit. *Xenoph.* Acie eſt obtuſa. Nam exporrecti oculi, præciſæ palpebræ, pupillis munimenta non præbent. Vtrumque ſexum habere negat *Albertus*: ſcribit *Niphus*, *illud*, inquit, *quod Albertus de leporibus dixit, mihi ſemper fuit dubium. Nam in venationibus obſervavimus, leporem habuiſſe penem & teſtes, & deferre in utero lepuſculos. Obſervavimus etiam leporem habuiſſe vulvam, & in ea lepuſculos: carere vero teſtibus & pene. Rondeletius veſiculas* eſſe exiſtimat ſanie tumentes, & certe tales in Caſtore propendent, in quibus continetur Caſtoreum. Rore contenti dicuntur, ſuperfœtant & ſingulis menſibus pariunt. In cubilia ſe recepturi jugeri etiam intervallo catulos, alium alio transferunt diſſitos, ne ſi periculum obveniat, omnes periclitentur. Ipſi deinde impreſſis diſcurſu multiplici veſtigiis, ſaltu poſtremo ingenti ſeſe abripiunt & cubant.

CAPUT XXIV.
DE LUPO.

IN Sardinia, Creta, Olympo, non ſunt lupi. In Scandia, ſi per congelatum mare ulterius proceſſerint, luminibus orbantur; frigus in cauſa eſt. *Iornand.* In montibus Doffriniis albicant, gregatimque vagantur. Talpæ, mures &c. in cibo. *Olaus.* Collum communibus compreſſum eſt, circumſpicere nequeunt, totum niſi corporis truncum retorſerint. *Ælian.* Famelicus per noctem vento adverſo, eſcæ, vel per medii miliaris ſpacium, percipit odorem. *Stumpfius.* Ex ſaturatis longa inedia, venter projectus, lingua tumida, os obſtructum, compreſſa rabies, redit antiqua ubi redierit forma. *Ælian.* Pilos & oſſa devorant, atque integra rurſus alvo reddunt. *Stumpf.* Certaturi in magna armenta ventrem explent terra, caudas jungunt tranaturi flumina. Illo onere gravati non facile excutiuntur: difficulter abripit fluctus unitos. *Ælian.* Ubi electio datur, parcunt ſemper homini. Pugnant etiam cum ſuibus & artificioſe. *Narravit mihi* (inquit Albertus) *quidam lupum ſe vidente, morſu comprehendiſſe lignum, triginta vel quadraginta librarum in ſylva, & cum eo aſſueſeciſſe tranſilire grandem in eo loco arboris truncum: tandem cum ſatis peritus tranſiliendi ſibi videretur, ſe abſcondiſſe, & adveniente propter ſatam illic avenam, porca ſylveſtri cum pluribus ætate differentibus porcis, prorupiſſe, apprehenſoque porco, qui ligno æqualis videbatur, ſaltu retro truncum facto ſe recepiſſe, eumque devoraſſe.* Non comedent boves, ad præſepe caudam ejus ſi ſuſpenderis. *Alber.* Rumpuntur equi, qui veſtigia luporum ſequuntur, ſub equite; calcaneum ſi attigerint, ſiſtuntur. *Gillius.* A lupis occiſarum ovium pelles pediculos procreant, ſed caro earum ſuavior eſt. *Ariſt.* Hoc *Plutarch.* ſpiritui ejus adſcribit. *Caro* (verba ejus ſunt) *ovis à Lupo adeſa, dulcior fieri videtur, quod lupus ſuo morſu carnem flaccidam teneramque, reddat. Eſt enim ſpiritus lupi adeo igneus, ut oſſa etiam duriſſima in ventriculo tabefaciat & liquet.* Incluſum

nihil

nihil attentáre mali, exempla oſtendunt. Ingreſſus quippe in Italia hyeme in cœnaculum villici aufugiente villica attonitus ſtetit illæſis liberis, & uni cum vulpe & muliere illapſus foveæ, intactum utrumque reliquit. *Geſner*.

CAPUT XXV.

DE LACERTA.

LAcertam unam octo cubitorum, Romam juſſu Cardinalis Vlyſſiponenſis ex Æthiopia advectam, oris hiatu tanto, ut infantem caperet, ſcribit *Volaterranus*. Septem pedum longam, brachii humani inſtar craſſam, vidit in Braſilia *Lerius c.* 10. *Hiſt.* In calvariam ſi percuſſeris & virga diſcideris, neutra partium moritur, ſed ſeparatur, & graditur primo, coit poſtea. *Ælian*. Amicæ homini virides ſunt, ut & obliquato capite contemplentur ſtantem & abeuntem ſequantur. Salivam ejus lambunt, & puerorum urinam, *Eraſmus in colloq. de Amicit*. Viva in vas fictile novum immiſſa, & cum vini ſextariis tribus decocta ad cyathum unum, incredibiliter prodeſt phtyſico, ſi ex eo mane jejunus biberit. *Marcell*. Septem in dimidia olei communis menſuræ ſuffocatæ, & inſolatæ per triduum, ita illud afficiunt, ut guttam roſaceam faciei illitum emendet. *Geſn*. Lacertus aquaticus irritatus ſi exarſerit, elatus, & quodammodo inflatus, rectis pedibus inſiſtit, & terribili oris hiatu intuetur lædentem, manatque ſenſim lacteo & viroſo ſudore, uſque dum totus fit candidus. *Agricola*. Orbatus in ſenecta viſu, foramen parietis contra Orientem petit, & ad ortum Solis intendens illuminatur. *Iſidor*. In Arabia circa Balſami plantas cubilia habent. Et quia liquor pro cibo illis eſſe creditur, ſi quem morſu appetierint plaga eſt, qualis è ferri vulnere, ſed veneni expers. Vbi ſua fuerit (inquit *Pauſan. in Bœoticis*) legendo humori tempeſtivitas, veniunt in ſacrum lucum Arabes, cum binis ligneolis virgulis ſinguli. Earum comploſu beſtias fugant. Occidi vero magna eſt religio. Quod ſacras & genios veluti quoſdam eſſe Balſami putant. Colophonis loco ſit,

mirum quod refert *Ælian. in ſua hiſt. Cum*, inquit, *vir quiſpiam lacertum magnum comprehendiſſet, atque areo ſtylo excacaviſſet, eundem in fictilem ollam recentem, utrinque eatenus exiguis foraminibus pertuſam, ut neque ſpirare fera prohiberetur, neque exitum haberet, concluſiſſet: & ſimul terram roſcidam & herbam, cujus nomen non explicavit, indidiſſet: ac deinde ferreo annulo, cui ineſſet Sogates lapis, in quo lacertus inciſus erat, novem ſigna impreſſiſſet, quorum quotidie unum deleret: poſt ubi nono ſigno ſublato ollam recluſiſſet, lacertum vidi oculorum uſu recuperato.*

CAPUT XXVI.
DE LYNCE ET LUTRA.

LYnces clariſſime dicuntur videre, adeo ut ſolida penetrare poſſint: nimia tamen offenduntur luce. Sunt qui affirment, animalium quæ capiunt ſanguinem tantum exſugere, corpore intacto. At *Eraſmus* in majores deſilire quadrupedes de arboribus aſſerit; & unguibus cornici infixis, non remittere, donec laniato capite cerebrum devorarint, aliis partibus intactis; minora vero animalia integra ab illis abſumi. Æſtate ſunt infirmi, autumno vigent. Vrinam ſuam arenæ contegunt cumulis, ut Theophraſtus perhibet, tranſitque in duritiem pretioſi calculi. Is, colore ſuccini, attrahit appropinquantia, dolorem renum ſedat, & regio medetur morbo. Vidimus eum *Lugduni in Pinacotheca Cl. Domini Baudartii.* Vngues cum corio exuri efficaciſſime in Carpatho tradunt, cineremque potum, propudia virorum; aſpectum, fœminarum inhibere libidines. *Plin.* Carnes cum juſculo comeſæ, quartanæ ſunt remedium, oſſa combuſta ulcerum. *Collinus.* In arce Londinenſi quondam fuit animal, quod ad Lyncem *Geſnerus* refert. Mobile illud & ſtare neſciens, ut *Iohan. Cajus Anglus* ſcribit: at ad vocem Pici Martii conſiſtebat. *Lutra* caput caninum eſt, caſtoris aures, vulpis crura. Hæc craſſiora paulo, in aquis potius quam terra valent. Poſteriores enim partes planæ ſunt, muniente membrana. Domicilium ei

juxta

juxta aquas, extruitur è ramis, ne illarum contingatur madore. Piſcibus interdum tantopere invenitur refertum, ut aërem inficiant. Tam eſt ſagax ut ex aqua per rivulum effluente, per aliquot milliaria piſcium è vivariis excipiat odores, quæ ſubiens vaſtat. In Scandinavia alibi ita manſuefit, ut piſces cocis ex aquis adferat in culinam: ſed quia avidior prædæ, plures occidit, raro adhibetur.

CAPUT XXVII.
DE MURE.

MVres apud Allobroges albi ſunt, & nive ali putant incolæ. *Scaliger.* In Cypro inſula ferrum erodunt, in alia quadam aurum. Ideo in metallis diſſecantur, *Ariſt. in mirabilib.* Generatio illorum mirabilis eſt. Salem ſi lamberint, quidam ſine coitu impleri judicant. *Ariſt.* Fœmina prægnante in vaſe miliario aliquando occupata, paulo poſt reſerato vaſe muſculi numero viginti & centum reperti ſunt. *Plinius.* In Perſiæ parte quadam, mure fœmina reſciſſa, fœtus fœminini prægnantes inventi ſunt. Domum minitari ruinam primi præſentiunt. Oſtendit exemplo Helice. Quinque enim antequam everteretur diebus, qui in ea erant mures & ſerpentes migrare catervatim ſunt viſi. *Ælian. in variis.* In vas aquatile illapſi, difficili exiſtente aſcenſu, mutuas caudas mordicus tenendo, ſeſe ſubtrahunt. Odorem eorum fugiunt Elephanti, pabula etiam à muſculis contacta recuſantes. Fugantur, ſi vel unus caſtretur, vel excoriato dimittitur capite. *Avicenna.* Tempeſtas innuitur cum ſtrident. Strident enim vel quod aërem adſtringi percipiant, vel quod infima prædiri cute, terræ quam calcant, non ferentes frigus exiliant. *Aratus.* Indocilis alias creditur; ſed Albertus ſe in ſuperioribus partibus Germaniæ murem vidiſſe ſcribit, qui tenendo candelam miniſtrabat lumen comedentibus ad præceptum magiſtri. Si in muſtum inciderit, inque eo interierit, extractus & in cinerem redactus, remedio illi e-rit injectus. *Columel.* 12. 31. Variæ murium ſunt ſpecies.

cies. Sorex dicitur mure major quadruplo. Captum vidit albiſſimum Aprilis medio, oculis rubicundis prominentibus, barba multis & oblongis pilis hirſuta. *Agricola.* Auguſtæ Vindelicorum circa templum divi Huldrici nulli inveniri dicuntur. Furore aguntur libidine accenſi, ita ut ſi urina partem aliquam hominis nudam attigerit, carnes ad oſſa putreſcant, nec ulceri inducatur cicatrix. *Albert. Aquatici*, piſces venantur, & aquæ ſubmerſi per cava quædam aliunde, in terram redire creduntur. *Agreſtes* ex putredine nati, unum rectum ac ſimplex inteſtinum habent. Id à medico quodam, qui diſſecuit, obſervatum. *Geſner.* Deturgente Nilo, muſculi reperiuntur inchoato opere, genitalis aquæ terræque jam parte corporis viventes, noviſſima effigie etiamnum terrena. Tam autem ſubito & inaudito modo, compluribus in locis oriri ſolent, ut parum ex univerſo frumenti relinquatur. *Plinius. Sylveſtris* à fine autumni ad initium uſque veris dormit. *Geſnerus. Noricus Citellus* dicitur, in terræ cavernis habitat. Reperiuntur interdum quadraginta in uno cavo, cum magna avellanarum copia. Eduntur tum recentes, tum in fumo ſiccati. *Agricola.* Ad mures refertur *Cricotus ſeu Hameſter.* Illius pelli tam tenaciter pilus adhæret, ut citius pellis de carne decedat, quam pilus avellatur. De antro non facile extrahitur, niſi aqua fervente. Infidelis maſculus. Nam paratis intus copiis fœmellam excludit: ſed & hæc perfidiam fraude ulciſcitur. Propinquam quippe aliquam occupans cavernam, congeſtis frumentis non ſentiente maſculo, ex altera penitus fruitur parte. *Agricola. Muri Alpino* magnitudo eſt leporis, vel verius inter leporem & cuniculum. Argutiſſima voce fiſtulæ acuti ſimili mutationem tempeſtatis prædicit; idque non in montibus tantum, ſpeculator præſertim, ſed & dum domi alitur. In domicilio tria foramina facit, uno ingreditur & egreditur, altero cubat & habitat, tertio excrementa deponit. Cum nivibus jam montes teguntur, in domicilium ſe abdit, & foramina occludit, terra tam ſolido infarcta ſunt actaque,

que, ut facilius ſit fodiendo terram ingenrem ad latera, quam illam foraminibus infarctam penetrare. A muribus juſto Dei judicio devorati ſunt Popielus Dux Poloniæ, Hatto cognomento Vonoſus Moguntinenſium, & Widerolphus Argentinenſium Epiſcopi. *Lycoſt. de Prodigiis.*

CAPUT XXVIII.
DE MUSTELLA ET MUSTELLA ZOBELLA.

M*Vſtellæ* in Bœotiam tranſlatæ fugiunt; in quadam inſula viam non tranſeunt, illatæ moriuntur. *Albert.* Affirmavit quidam ſe vidiſſe Limagum flumen ſuperantem continuis ſaltibus, ita ut nunquam demerſa nataret, ſed ſaliret per ſuperficiem. Eſt Ægyptiis inter cætera ſymbola. Nam auribus concumbere ferunt, ore parere: quæ imago natales ſermonis oſtendit. Genitalia illi ſunt oſſea: unde etiam humano calculo remedium præcipuum. *Albertus* tamen id non ita ſumi debere ait, ac ſi vere ſit, ſed quod proportionem habeat. Genus illarum pulcherrimum *Zobellam* Germani dicunt: Ingens, hujus pellis pretium. Quandoque eum vix duo millia Byzantiorum aureorum ad unam tunicam ſubducendam ſufficiunt. *Iovius.* Natura vero illarum, Soli ſiccandæ ſi exponantur, plus conſumi, quam ſi toto anno geſtatæ fuerint. Vivens beſtia ſemper latitat in umbroſo ſaltu, ubi cuniculis inſidiatur. Agiles ſunt, & cauda pro remone utentes ſciurorum modo, de arbore in arborem ſaliunt.

CAPUT XXIX.
DE OVE.

OVes animalia ſunt omnibus nota. Arabicæ latiſſimam caudam circumferunt, quæ quo opimior eſt, eo craſſior. Decem nonnullis pendit libras, viginti quibuſdam, & ſua impinguatur ſponte. Viſa à *Iohanne Africano*, quæ octoginta ſuperabat, à quibuſdam quæ centum quinquaginta. In Africa ſtatim cornige-

 ri

ri naſcuntur arietes, nec non fœmellæ, quas etiam cornutas alit Anglia. *Albertus* arietem quatuor magna cornua in capite geſtantem, & duo longa in cruribus, caprinis imprimis ſimilia, vidit. Contra in Ponto per provinciam Scythicam, nullis naſcuntur cornua: *Ariſt.* quin ſine felle exiſtunt. At in Naxo inſula obtinuere duplex, Abſinthiumque Ponticum id facere dicitur. *Plin.* In regionibus perfrigidis, cùm nive vehementi tempus infeſtum eſt, perdunt idem, ineunte recipiunt vere. Id *Ælianus* ſcripſit. Anno 1547. donata erat regi Gallorum in oppido Picardiæ, pinguis, cui altera ungula è duabus, nempe interior in utroque pede, ad octo circiter excreverat digitos, extrema parte, ſurſum recurva, cornu rupicapræ inſtar. *Geſner.* Suaviſſimum in Praſiorum regione lac præbent. Quia enim liquido melle pluit, eo veſcuntur. *Ælian.* Pinguiſſimum in Erythea inſula. Nam & ſerum non habet, & pro caſeo parando, eximiæ aquæ copia temperatur. Pabuli in cauſa ubertas. Ita certe gliſcit, ut intra triginta dies ſuffocari pecus ſcribatur, niſi aliquid detrahant ſanguinis. *Plinius.* Piſces circa Calimos vicum Indiæ maritimum redolent. Gramine namque deſtitutæ illos vorant, ſiccis apud ichthyophagos nutriuntur. *Arrian.* Aquilonis flatu mares potius concipiuntur, Auſtri fœminæ. Vis nempe Aquilonis tanta eſt, ut vel ea, quæ non niſi fœminas pariunt, immutet ad prolis maſculæ procreationem. *Plin.* Facto ſtrepitu gregantur, & ſi relinquatur cum tonuerit gravida abortit. *Ariſt.* In Orcadibus inſulis fere omnes geminos imo trigeminos pleræque partus edunt. *Boëtius.* Molliſſimi quamvis corporis, expertes tamen peſtilentiæ. *Columella.* Viſa rabie vexari, quam rabida vacca cornu petierat. Putredinem in viſceribus in Anglia contrahunt, ſi æſtatibus pluvioſis in uligine paſcantur, roremque lingant. *Geſner.* Duvam herbam in Gallia ſi comederint, animalia nigra in jecore concipiunt, hinc morbus incurabilis. Duva autem vocatur Gallis in Normandia herba ſimilis lapatho, ſed anguſtioribus foliis, & ſemper erectis, nervo medio fere rubente caulticis. *Geſner.* Aqua paluſtris pota, hirudines folliculis incluſas ibidem

parit:

parit: ſeſquidigiti longitudinem obtinent, latitudine ad longitudinem fere dimidia. *Geſner.*

CAPUT XXX.
DE ORYGE ET PANTHERA.

ORyx inter caprarum ſylveſtrium genera à *Plinio* recenſetur. Ad ortum accedente Luna, intentis in eam oculis vociferatur, idque illius odio fieri affirmant, quod prioribus pedibus terram effodiat; & ſuas velut pupillas humi defigat pungens. Idem in exortu Solis fieri exiſtimant. Quemcunque in deſerto locum aquis ſcatentem invenerit, hauſtu ſumto labris turbat, lutumque commiſcet aquæ, ac pedibus in eam pulverem conjicit, ne alicui ad potum idonea exiſtat. Tam grato odore perfunditur *Panthera*, ut cunctas ſollicitet quadrupedes, ſed quia torvi ſimul capitis, terrentur. Hinc occultato accedunt, & corripiuntur. Lunæ illis ſimilis in armo dextro macula. Ad naturam illius creſcit in orbem & cavat cornua. *Albert.* Semel in vita parit; ſi *authori libri de natura rerum*, credimus. Nam cum in utero matris coaluere catuli, oderunt temporis moras. Itaque oneratam fœtibus matricem, unguibus lacerant. Illa partum effundit, dolore cogente; poſtea, corruptis ſedibus genitale ſemen non hæret acceptum. De ea tradit *Demetrius Phyſicus*: Iacentem in media via, hominis deſiderio, repente apparuiſſe cuidam. Illum pavore cœpiſſe egredi, feram vero circumvolutari non dubio blandiorem, ſeſe conflictantem mœrore, qui etiam in Panthera intelligi poſſet. Fœta erat, catulis procul in foveam delapſis. Primum ergo miſerationis fuit non expaveſcere: proximum ei curam intendere: ſecutuſque qua trahebat veſtem leni injectu unguium, ut cauſam doloris intellexit, ſimulque ſalutis ſuæ mercedem, exemit catulos; eaque cum iis proſequente extra ſolitudinem deductus, lætaque atque geſtiente, ut facile appareret gratiam referre, & nihil invicem imputare, quod etiam in homine ratum eſt. Vino delectantur, inebriatæ capiuntur.

Alexandrum Magnum Iavanicæ Monarchiæ fundatorem feræ huic Spiritus S. aſſimilat. Applicationem apud *Cl. Dominum Conradum Graſerum*, Præceptorem noſtrum in *Iſagoge Hiſtoria univerſalis*, opere nunquam ſatis laudato, videbis.

CAPUT XXXI.

DE RANA.

R*Ana* vere coëunt, vere ſequentis anni ova pariunt, inque medio rana latet abſcondita; excluſi ranunculi magni apparent capitis. *Albert. Lutavia* apes ubi ad aquam acceſſerint, rapiunt, mortuam comediſſe talpam, obſervatum. *Albert.* Auguſto menſe clauſum illis os adeo, ut nec cibi, nec potus, nec vocis uſus, & ſi manu vel baculo aperire tentaveris, difficulter aperiatur. *lib. de Nat. rer.* Soboles earum verbaſci, nucisve foliis, in lacum ſi injiciantur, necatur. *Ælian.* Accenſa in ripa lucerna, conticeſcunt obſtrepere. *African. in Geopon.* Sperma Martio primum inventum menſe, tollit, ſi manus eo laventur, impetiginem: quin efficaciam illi anno tribuit, vermem cujus paronychia ſpecies, digitorum contactu ſanandi. *Geſn. Ægyptia* in nutricem cum inciderint, fruſtum arundinis, oblique in ore arreptum tenent, ſic devorari nequeunt. *Gillius Buſo* ex ſuo crematus regeneratur cinere. At in Dariene, novi orbis provincia, ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pavimenta, illico gignitur. *Martyr* eas in pulices æſtate convertit. Cauſam aëri cænoſo ac fœtido adſcribit. Si bacillo ſæpius verberetur, inflato corpore, virus primo è clunibus exprimit, lacteis dein quibuſdam guttis ſudat. Salviâ delectantur, eandemque inficiunt. Hinc periculum, duorum amantium firmatum morte. Cum enim gingivas foliis ejus ſibi invicem confricarent, ſubitò extincti ſunt, effoſſa luridus bufo inventus. *Mizald. Memorab. Cent. 1. Aphoriſ. 1.* Similem hiſtoriam *Paraus libro de Venenis cap. 24.* recenſet. Fridericus Dux Saxoniæ ad ſanguinem ſiſtendum veru ligneo transfixum, & in

& in umbra areſactum, involutum ſyndone, manu tenendum dedit, donec intra incaleſceret. Rationem Geſnerus in horrorem conjicit. *Borax* ſpecies eſt bufonis, fuſci coloris & maximè, ita ut cubitalis efficiatur magnitudinis in terris calidis: & ſolet aliquando partum ſuum in dorſo geſtare. In hujus fronte lapis invenitur. Interdum eſt albus, interdum fuſcus, qui probatur, ſi in medio citrinam obtinet guttam. Aliqui os tantum eſſe dicunt: aliqui ex viſcoſa illa ſpuma naſci, quam bufones verno tempore congregati efflant in caput alicujus eximii. *Geſner. l. 2. de Oviparis*, ut lapidem eſſe credat, perſuaderi non poteſt. De Ranis qui plura voluerit *Libavii Batrachiorum libros* legat, inveniet.

CAPUT XXXII.

DE RANGIFERO ET RHINOCEROTE.

R*Angiferum* profert ſeptentrio, Norvegia præſertim ac Suecia, cervi ſpecie, corpore tamen majore & inſigni robore. Tres illi cornuum in capite ordines, ita ut in ſingulis bina ſint, & virgultis circumpoſitum videatur caput. Ex his duo majora cæteris: perfectionem, ubi attigere, cubitorum quinque attingunt menſuram, viginti & quinque conſpicui ramis. *Albertus.* Mulgentur, & triginta milliaria uno emetiuntur die. *Olaus.* *Rhinoceros* Elephanto eſt par magnitudine animal, unico in nare cornu, hinc nomen. Hoc vero modice inflexum tanti acuminis, ut ferrum & ſaxa penetret. *Ælian.* Pellis ei prædenſa cruſtis compacta ſquammatim, colore & figura teſtudinis dixeris teſtam, tam firma, ut ægre cedat jaculo. Hoſtis eſt Elephanti. Hunc contra pugnaturus ſaxis cornu acuit, mox cuſpidato Elephanti crura toto rictu ſubiens, alvum, quæ mollior, petit, diſcerpitque eandem. Exemplum qui voluerit, *Camerarium* in *ſubciſivis horis* conſulat.

CAPUT XXXIII.
DE SERPENTIBUS VARIIS.

IN Provincia Carajam, Tartariæ regi ſubjecta, decem paſſuum in longitudine ſunt ſerpentes, decem craſſi palmos. Prioribus aliqui carent pedibus, ungulis horum inſtructi loco. Oculos tam grandes habent, ut duorum panum quantitatem adæquent, Mire in medendo pollent. A rabido enim cane admorſus, ſi vel unius denarii pondere inde biberit ſtatim ſanatur. Et mulier in partu laborans, ſi quantulumcunque inde guſtaverit, mox partu exoneratur. *Paul. Venetus.* Americus Veſputius vidit apud Indos quoſdam, qui in cibum cedebant. Capreolorum illis erat magnitudo, longitudine ſeſquibrachium æquabant, pedes longi, fortibus armati ungulis, diſcolor pellis, ſerpentis roſtrum. A naribus ad extremam caudam ſeta quædam per tergum ſic protendebatur, ut animalia veros ſerpentes autumaret. Similes Calecutum habet, aprorum magnitudine, vaſtiori etiam aliquanto capite, pedum quatuor, veneno nullo, morſu noxio. *Ludov. Rom. in Navig.* His non diſſimiles, in occidentalis Indiæ inſula Hiſpaniola, Hivana vocant. Dorſo ſpinoſo, capite criſtato, aphoni, quatuor pedibus, lacertarum cauda, dentibus acutiſſimis, cuniculis majores, in arboribus, terra, aquis, abſque diſcrimine degentes, famis ad multos patientes dies. Anno 1543 in finibus Germaniæ prope Styriam, quadrupedes, lacertorum inſtar, & alati apparuere, morſu immedicabili. Anno vero 1551 circa diem divæ Margarethæ in Hungaria prope pagum Ziſcham, juxta Theiſam fluvium, in multorum reperti corporibus, tria fere hominum enecavere millia. Emerſerant quibuſdam per os, ſed ſe abdidere iterum. Fidem fere excedit, quod de iiſdem locis dicitur. Inventos nimirum innumeros in ſtrue manipulorum frumenti: quos cum exurere vellent ruſtici, prodiiſſe cæterorum maximum, & humana, ut abſtinerent, monuiſſe voce. Non ſecundum

dum naturæ ſe genitos curſum, ſed divinitus propter hominum immiſſos peccata. Stupendum in quibuſdam venenum. In agro Terratienſi non procul Dortona, cum Palaticinus quidam Hiſpanicâ lancea ſerpentem interfeciſſet: morte cum equo deletus eſt. *Scalig. Exerc.* 200. Idem fere in agro Tridentino accidiſſe obſervavit *Mathiolus*. Cum enim ruſticus quidam in vinetis ſerpentis capiti haſtam ſat longam infixiſſet, magno ſtatim correptus eſt tremore. Revocatus antidotis ad vitam, duobus poſt annis ferè corporis affligebatur ſtupore.

CAPUT XXXIV.
DE SCIURO ET SIMIVULPA.

SCiuris inteſtinum cæcum tantum eſt, magnitudini ventriculi reſpondens, inque ſectione fecibus ſemper repertum turgidum, ſcribit *Veſalius*. Genitale oſſeum habere dicuntur. Prævident tempeſtatem, obturatiſque qua ſpiraturus eſt ventus cavernis, ex alia parte aperiunt fores. *Albert.* Tranſiturus aquam paſtus gratia, corticem leviſſimum imponit eidem, huicque inſidens, caudaque erecta velificans, flante vento ſubvehitur. *Auctor libri de natura rerum. Simivulpa* animal eſt in Pariana regione Indiæ. Anterius vulpem refert, poſterius ſimiam, pedes humani ſunt, aures noctuæ. Sub communi ventre, venter alius eſt marſupii inſtar. In hoc ſervatur proles, nec prodit niſi ut lactetur. *Gillius*. Vidiſſe ſe mortuam ſcribit *Petrus Martyr. Decad.* 1. *l.* 9. inter arbores tantas, ut ſedecim hominum manu junctorum, in gyrum vix concludi poſſent lacertis.

CAPUT XXXV.
DE SIMIA.

SImiarum ingens in quibuſdam terris eſt multitudo. Vidit plenam iis in Lybiæ ora ſylvam *Poſidonius*, montes in India refertos *Alexander*. Certe inſidiantem

tem ſibi exercitum, cum erecto illos corpore, caſu conſpexiſſet, exiſtimavit. *Ælian.* Iubatæ ſunt in Troglodytica, leonum modo, maximæ vervecis proceritate. *Scalig. in Exercit.* In India mediterranea ingentes corpore, & civiles mercatus ſine omni offenſione adeunt. Inter univerſa quadrupedum genera, viſceribus, muſculis, arteriis, nervis, homini Galenus putavit ſimillimum. At *Veſalius*, in muſculis thoracis, brachium, cubitum, & femur moventibus, ſcapulas & pedum digitos agentibus, interna denique manus, fabrica diſſimillimum teſtatur. Viſum eſt cor maris duo habens acumina. *Albert.* Sine cauda plures vidit *Scaliger*, quantus eſt puer octo annorum: marem quoque ac fœminam cum prole. Filiolus ſi quid deſiderat, pugno à mare monetur fœmina, & addita vultus acerbitate caſtigatur, malæ tractationis rea. Luna cava triſtes eſſe, quibus in eo genere cauda ſit. Novam exultatione adorare tradit *Mutianus*; addit viſas qui latrunculis luderent. Perverſiſſime homines imitatur. Cum enim nutricem infantem lavare, faſciiſque convolutum cunis imponere vidiſſet, per patulam ſolitudine conſpecta, ingreſſa feneſtram puellum ſublatum nudavit, eundemque fervida perfuſum aqua interfecit. *Ælian.* Horret ſummopere teſtudinem. *Hujus rei*, inquit *Eraſmus in colloquiis*, *quidam dedit nobis Romæ ſpecimen. Puero ſuo in verticem impoſuit teſtudinem, & pileo contexit. Dein produxit ad ſimium. Illico ſimius gaudens inſiliit in humeros pueri venaturus pediculos, ſublato pileo animadvertit teſtudinem. Mirum erat ſpectaculum quanto cum horrore reſilierit beſtia, quam expaverit, quam timide reſpexerit, an ſequeretur teſtudo.* Additum eſt aliud ſpecimen. *Alligavimus teſtudinem catena, à qua revinctus erat ſimius, ut effugere non poſſet, quin ſaltem aſpiceret. Incredibile dictu quantopere fuerit diſcruciatus: tantum non metu exanimabatur; interdum poſterioribus pedibus depellere tentavit hærentem beſtiam. Tandem quicquid erat in alvo & veſica oneris rejecit. Secuta eſt ex pavore febris, ut nobis fuerit ſolvendus à catena, & aqua vino temperata refocillandus.*

CA-

CAPUT XXXVI.
DE SU ET SUBO.

SV apud Patagonas eſt beſtia monſtroſiſſima. Catulos in dorſum admiſſos cauda tegit, venator cum ſequitur, ſic ſe proripit. Scrobe igitur effoſſa, & frondibus obtecta capitur. Capta interficit præ rabie catulos, & clamore horrendo terret venatores. *Thevet in deſcript. America.* Subus ἀμφίβιος eſt, geminis armatus cornibus. In mari natantem piſcium comitatur gregem, oſculantur paguri, oculatæ multi, & aſtaci: at ille contemnens amicitiam, prædam omnes eſſe jubet. *Gillius.*

CAPUT XXXVII.
DE SUE.

DE Sue quæ dicuntur, in pauca contrahemus. Notum nobis animal; at in Arabia non vivit. *Plinius.* in Hiſpaniolam deductum, mulam æquat: *Martyr.* cornibus armatur in Æthiopia: Solipedes Illyria alit, & Anglia; mutos Macedonia. *Ælian.* Cerebrum ſui pingue, decreſcente Luna demitur, auriculæ humore fellino ſimili ſcatent. Surſum dum aſpicit, ſilet; nam & inſueta perfunditur luce pronitati aſſueta, & anguſtia quadam aſpera arteria compreſſa vocem retinet. *Aphrodiſ.* Pinguis interdum ad miraculum. Miſſæ L. Volumnio in Hiſpania duæ in offula coſtæ, XXIII. pondo pendebant, ad os à cute pes cum tribus numeratus digitis: *Plinius.* Quingentis ſeptuaginta totum conſtitiſſe libris, Creſcentienſis author eſt. Viſus in Arcadia, in cujus exeſa carne, nidus ſorici, muribus partus erat. Idem Baſileæ accidit Geſnero teſte. Scilicet, eſt quibuſdam animalibus ſine ſenſu pinguedo & L. Apronii Conſ. filio detractis adipes, levatumque corpus, immobili onere apud *Plinium* legimus. Quantum ad Venerem, ſæpius fœtæ domeſticæ, raro agreſtes. Suppetit enim alimentum illis, nec multum laborant: inqui-

quirunt hæ, & per montes vagando, moleſtia afficiuntur. *Plutarch.* Vtræque ita coitu perfunduntur, ut obdormiſcant, & ſubantes ita efferantur ut accedentes lanient. Glandes ſi avidius comederint, authore *Ariſtotele*, abortiunt. Amicitia illis cum Crocodilo, inoffenſi ad Nili ripam obambulant. *Calcagn.* Hoſtilitas cum quodam hordei in Thracia genere: non tantum enim eo abſtinent, ſed & excrementa averſantur ex eo. *Ariſt. in admirand.* Familiaris eis morbus grando eſt & vix ulla cui non tria grana. Remedium ſamolum, herbam in humidis naſcentem, nominavere Druydæ: ſed quia ſiniſtra manu legere jubent, nec reſpicere legentem, nec alibi, quam in canali deponere & conterere poturis, ſuperſtitio eſt.

CAPUT XXXVIII.
DE TALPA.

Magna *Talparum* in Bœotiæ agro Orchomenio copia. *Ariſt.* In Lebadico vicino nullæ ſunt, neque aliunde importatæ infodiunt. Viſum illis deeſſe ſcribit *Ariſtot.* at Geſnero liquido apparent oculi, *Prominent*, inquit, *extra cutim veluti puncta nigra, magnitudine ſeminis milii, vel papaveris, nervo affixa.* Quin & doctus quidam apud *Geſnerum* vir, in diſſecta fœtus aliquot ſe repetiſſe narrat, majuſculis capitibus, in quibus etiam oculi. Delectantur bufonibus, & proprio exemplo reſtatur *Albertus:* ſed ranas etiam bufoneſque talpam edere mortuam, idem expertus eſt. In fiſtula lachrymali pulvere talpæ uſtæ in potu dato, curatus eſt *Iohannes à Verlin Conſul Gedanenſis.*

CAPUT XXXIX.
DE TATO ET TIGRIDE.

Tatus quadrupes peregrina. Duro munita eſt cortice ſquammataque teſta, ita ut facile caro ejus eximi poſſit. Vidimus eam primo *Andreapoli Scotorum urbe archiepiſcopali, antiquiſſima Academia inſigni*, in Pinacothe-

cotheca nobilis & humaniſſimi viri Domini *Iohannis Arneti Commiſſariatus in Archiepiſcopatu Fani Andreæ Protonotarii*, hoſpitis noſtri. Quia vero ſe intra teſtam retrahit, Erinacei Braſilienſis ſpecies exiſtimatur. cognatum ei illud, quod in nova Hiſpania *Avitochli* dicitur, felis magnitudine, anatis roſtro, pedibus Ericii, collo longo; grunire referunt ut ſuem. De *Tigride* pauca habeo quæ dicam, niſi hiſtoriam *Petri Martyris* adjicere velim, de quodam in Dariæne novi orbis inſula. Infeſtabat totam viciniam homicidiis adeo; ut nemo extra domum tutus; ſcrobi poſt effoſſæ illapſus, ſudibus acutè in fundo fixis hæſit; tam adhuc validus, ut in mille fruſta haſtas deſuper injectas confringeret. Saxis tamen poſt interemptus eſt. Caro cocta, aliquid de ea ſe comediſſe *Ledeſma Hiſpanus* dixit, bovina nihil deteriorem faſſus. Alias celeritas illi inſignis ineſt, ut Zephyro comparetur ab *Oppiano*.

CAPUT XL.
DE TESTUDINE.

TEſtudines apud Taprobanam ſunt tam ingentes, ut una centum tria pondo pependerit. *Scalig.* Plinius vero tantas eſſe ait, ut ſingularum ſuperficies habitabiles caſas integant: atque inter inſulas, rubri præcipuè maris, navigent his cymbis. *Tradit Bieris Geographus in deſcriptione regionum, & itinerum Africæ, hominem itineris tadio defatigatum, ſub veſperam eminens in deſerto ſaxum ne à venenatis animalibus infeſtaretur conſcendiſſe, qui ad lucem graviter dormiens, tribus ferè paſſuum millibus à quo reclinaverat loco reductus, intellexit quod ſubiiſſet ſaxum, teſtudinem fuiſſe, quæ interdiu firma, noctu rependo pabularetur, verum adeò lentè ut vix percipi poſſet.* Leo *African. l. 9.* In Cuba non rarò in tantam molem exceſcunt, ut quinque viros teſta ſua ſuſtineant, & cum eis prorepant. *de Laet. America l. 1. c. 9.* Marinis lingua nulla, nec dentes, roſtri acie comminuunt omnia. In Hiſpaniola, quo tempore genitalis furor eos exagitat, è mari prodeunt. Egeſta in profundam ſcrobem arena, ter & quater

cen-

centum ova in ſcrobem demittunt. Genitali vulva jam exhauſta, remittunt arenæ tantum, quantum ad ova cooperienda ſufficiat, redeuntque ad marina paſcua, de ſobole nil ſollicitæ. Ad ſtatutos dies pullulat, uti è formicario, teſtudinum multitudo, ſolo calore Solis, ſine parentum adminiculo. *Martyr.* Ova ſunt anſerinorum magnitudine. Caput ei abſciſſum, non continuo moritur, ſed & videt, & ſi ante oculos ei manus obverſetur, eos claudit; & paulo etiam propius ſi admoveas, mordet. *Ælian.* Inauditum antiquis teſtudinis genus, apud Turcas è longinquis regionibus allatum vidit *Bellonius*; cujus teſta rara eſt ac pellucida, chryſoliti colorem mentiens, ex qua Turcæ cultellorum manubria efformant, tanti pretii ut etiam clavis aureis exornare non dedignentur. Inſula ab Iambolo reperta in Oceano, verſus meridiem animalia producit, magnitudine quidem parva, ſed natura & ſanguinis virtute mirabilia. Corpore ſunt rotundo, ac teſtudinibus ſimili, duabus lineis per invicem per medium tranſverſis, in quarum cujuſlibet extremo ſic auris & oculus, ut quatuor oculis videant, totidemque audiant auribus. Vnicus venter abſque inteſtino, in quæ comeſta fluunt; pedes circum habent plures quibus in utramque partem ambulant. Sanguis mirabili aſſeritur virtute. Omne enim corpus conciſum dum ſpirat, hoc tinctum ſanguine cohæret. *Iohan. Boemus.* Colophonem huic capiti imponat fera in provincia Tlaſcalenſi in regno Mexicano, quam barbari *Teuchtlacozaulquin* vocant, deſcriptio, à Ximene prodita. Eſt fera, inquit iſte, atrociſſima, quatuor & interdum plures palmos longa, capite viperæ, ventre candido vergente ad fuſcum, dorſum ipſi pardum & pene nigrum, cum radiis quibuſdam fuſcis, quæ in ſpinam deſinunt. Ocyſſime ſe movet per rupes & præcipitia, tardius in plano. Quot annos ætatis attigerit, tot ſonabula poſteriori parti caudæ annata deprehenduntur, quæ inſtar vertebrarum dorſi, ſibi invicem ſuccedunt. Icti ab hoc ſerpente ſummo cum cruciatu, intra viginti & quatuor horas moriuntur. Totum enim corpus ipſis finditur in rimas. Irritatus ſona-

ſonabula illa movet, & valde tinnit. Barbati carnem illius in cibis uſurpant.

CAPUT XLI.
DE URSO.

IN extrema Arabiæ regione carnivori ſunt. *Strabo l. 16.* albi in Myſia; qui cum à venatoribus urgentur, halitum educunt; qui canes putrefacit, & ſi propius acceſſerint, phlegma ore ejiciunt, quo vel ſuffocantur vel obcæcantur tam canes quam homines. *Ariſt. in mirabil.* Inſignis interdum magnitudinis. Quinque cubitorum in longitudine. Maximiliano ex Lithuania allatum, tantæ latitudinis, ut maximo competeret bovi *Vadianus* teſtis eſt. Caput illi tam infirmum, ut colapho infracto exanimetur. *Plin.* Aquam morſu vorat bibendo, deguſtatiſque mandragoræ malis, formiceti linctu ſanitatem recuperat. Majorem mure dicitur parere fœtum, minorem fele, nudum, membris indiſcretum *Gillius*, & rudem *Plin.* At exciſus aliquando in Polonia, ad Geſnerum miſſus, longior erat digito, craſſitudine pollicis, corpore articulato, poſterioribus cruribus exceptis. *Geſnerus.* Opimo præditus habitu, laribulum ſupinus dorſi ingreditur tractu, & veſtigia ne venatores conſpiciant obliterat; In eo 40 dierum ſpacio extenuat corpus, quatuordecim immobilis, dextri pedis ſe ſuſtentat linctu. Vbi inteſtinum attenuari, ut fere cohæreat, perſenſit, egreſſus Aro herba paſcitur. *Ælian.* Nulla tunc cibi argumenta, nec niſi humoris in alvo minimum, ſanguinis exigue circa præcordia guttæ. Per id tempus coctas carnes, aſſervatas increſcere credidit *Theophraſtus.* Fœminas amat: Viſus in Allobrogibus, qui comprehenſam puellam, in latibulum detulit, & Venereo proſecutus complexu, agreſtibus aluit pomis. Mireſcere, Suidrigelus Princeps Lithuaniæ oſtendit. Vrſam enim nutrivit, quæ ejus ſueta ex manibus panem ſumere, excurſionibus in ſylvam factis redibat, patenſque ei ad thalamum principis via. *Volaterr. l. 7.*

CA-

CAPUT XLII.
DE VULPE.

Vlpium Caſpiarum tanta eſt multitudo, ut & agreſtia adeant ſtabula, ingrediantur & urbes. *Ælian.* & quidem tam cicures ut caniculorum inſtar blandiantur. Robuſtæ in Sardinia: Nam ferociſſimum etiam arietem occidunt, tenerumque vitulum. *Munſter.* Albæ ſunt in Moſcovia; fœdo in Arabia pilo, audacia inſigni. Mutuo veſperi ululatu excitæ prædantes noctu calceamenta etiam rapiunt. *Scaliger.* Amnes congelatos in Thracia tranſituræ, appoſita ad glaciem aure, craſſitudinem conjectant. *Plin.* Avium gregem ubi volare conſpexerint, volutato in rubra argilla corpore, ut ſanguineæ appareant, mortem ſimulant, ſed confidentes in corpore ſuo aviculas devorant. *Herus.* Pulicibus infeſtatæ, ſtipula molliore aſſumpta, poſteriori parte immerguntur. Fuga frigidæ pulices caput petunt; hoc etiam immerſo, in ſtipulam inſiliunt. Qua abjecta fugiunt vulpes.

CAPUT XLIII.
DE UNICORNU.

DE *Monocerote* diverſæ ſunt apud authores ſententiæ. Dari quidam ambigunt, negant quidem, affirmant nonnulli. *Garzias ab Horto* Proregis Indiæ Medicus, ſimile deſcripto à quibuſdam Monoceroti viſum animal notavit: Cornu præditum mirabili, quod modo in ſiniſtrum & dextrum obverteret, modo attolleret, demitteret modo. *Ludovicus Vertomannus*, duos Sultano ex Æthiopia miſſos Mechæ, ad Mahumetis ſepulchrum, ſe vidiſſe ſcribit, cancellis obſeptos, minime feroces. Quin cornua illius multis oſtentantur in locis. Habet Dionyſii fanum integrum in obſcuro aræ fornice, aquæ extrema ſui parte immerſum. Potanda datur aqua cryptam ſubeuntibus; ea hauſta ſubito in copioſum exſolvuntur ſudorem. Viſitur & apud Venetos

tos in San-Marciano delubro; nec non Romæ purpurea obductum tunica. Venetum quendam Iudæum fuiſſe ſcribit *Aldrovandus*, qui legitimi poſſeſſionem jactavit, miro comprobavit exemplo. Nam circumſcripto in menſa cornu ſpacio, ſcorpionem & araneum immiſit. Tranſire reptantes beſtiæ terminum cum non potuiſſent, umbra an virtute? enecatæ ſunt. Deſcribitur autem à *Cardano*, quod ſit *animal rarum, equi magnitudine, pilo muſtellæ ſimillimo, capite cervino, in quo unum creſcit cornu, cubitorum trium longitudine, media in fronte, idque rectum, in imo amplam tendens in aciem. Collum illi breve, juba rariſſima, & in alteram tantum partem tendens, crura veluti capreolo tenuia*, &c. Plinius feram ait eſſe aſperrimam, reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, uno cornu nigro, media fronte duorum cubitorum eminente. Quicquid autem ſit dubium in his eſt maximum. Nam primo varie deſcribuntur Vnicornu genera, quæ an ejuſdem ſint ſpeciei ignoratur. Sunt in India boves indiviſis ungulis & unius cornu, ſi *Plinio* credimus: ſunt in Aonia tauri, ſi *Æliano* & *Oppiano*. Fuere in Hercynia ſylva, ſi Cæſari danda fides. In Zeilam Æthiopiæ urbe, vaccarum genus unico armatum cornu in fronte, palmum longo, inque dorſum reflexo, ſe vidiſſe teſtatur *Ludovicus Barthema*. Cornua quod ſpectat, multi in illis fuci. Repertum quoddam in Arulæ fluminis Helvetiæ juxta Brugam littore. Vnicornu id exiſtimatum, quis pro certo vendicet? Id quod *Albertus* vidit, craſſitudine ſeſquidodrantis, longitudine decem pedum, ſine ſpiris, cervino fuit ſimile. At tantæ craſſitiei & longitudinis cornu ad animal pertinere videtur, quod magnæ molis navem adæquet. Poculum vero quod magno Hetturiæ Duci donaverat Alvarez Mendoſa, à Narſingæ Rege acceptum, ex illorum potius animalium cornu fuiſſe Aldrovandus exiſtimat, quæ in Baſma & Macino Tartariæ regionibus, elephantis magnitudine viſuntur. Poculi enim illius diametrum erat quantum vix utraque ambire poſſet manus. Plura qui de Monocerote volet, *Andream Marinum*, *Andream Baccium*, & *Caſparum*

P *Bar-*

Bartholinum conſulat. Ego Concluſionis loco quædam de *Mulo* omiſſa hic adjicio. Mulos ſteriles eſſe communis eſt ſententia: & ſi peperere prodigii loco habitum. Attamen in Africæ quibuſdam regionibus familiares illarum habentur partus. *Varro.* Octoginta annis vixiſſe quendam Athenienſium monumentis apparet. Eo gaviſi, cum templum in arce facerent, quod derelictus ſenecta, cadentia jumenta comitatu niſuque exhortaretur, decretum fecere, quo caveretur, ne frumentarii negotiatores ab incerniculis eum arcerent. *Plin.* Non calcitrare cum vinum biberint quidam ſcripſere: ſenſu odoratus præcellunt. Hinc redeunt ejus beneficio in ſemitam errantes, & facilius tabidam aëris vim concipiunt, peſteque inficiuntur. *Aldrovand. l. 4. de Quadrup.* Ineſt illis aliquid quod muribus exitiale, ſi enim muli ungula domus ſuffitur, fugantur. Author etiam eſt *Columella*, ventrem & inteſtinorum dolorem in illis ſedari viſu nantium anatum. *Ponzettus* Cardinalis veneno infectum muli recenter occiſi ventri includi jubet; tamdiu includi *Marantha de ſimplicib.* quoad animantis omnino evanuerit calor, idque aliquoties repetitis vicibus.

THAU-

THAUMATO-
GRAPHIÆ
NATURALIS
CLASSIS OCTAVA.

In quâ

EXANGUIUM
ADMIRANDA.

Plinius Hiſtor. Natural. l. 11. c. 2.

Rerum natura, nuſquam magis quam in minimis tota eſt.

ET

In contemplatione ejus nil poteſt videri ſupervacuum.

SYLLABUS CAPITUM ET ARTICULORUM,

CLASSIS OCTAVÆ.

CAP. I. *De Exanguibus in genere.*
CAP. II. *De Apibus.*
CAP. III. *De Araneis*
CAP. IV. *De Bombyce.*
CAP. V. *De Canthariде, & Cicindella.*
CAP. VI. *De Cicada.*
CAP. VII. *De Cammaro & Concha margaritifera.*
CAP. VIII. *De Cochlea.*
CAP. IX. *De Culice.*
CAP. X. *De Echino, Ephemero, & Eruca.*
CAP. XI. *De Formica.*
CAP. XII. *De Hirudine, & Hippocampo.*
CAP. XIII. *De Locuſta inſecto.*
CAP. XIV. *De Lepore marino: Locuſta teſt. Lolligine.*
CAP. XV. *De Margaritis.*
CAP. XVI. *De Muſca.*
CAP. XVII. *De Nautilo.*
CAP. XVIII. *De Oſtreis.*
CAP. XIX. *De Papilione & Polypo.*
CAP. XX. *De Pediculo & Pulice.*
CAP. XXI. *De Scarabeo & Sepia.*
CAP. XXII. *De Scorpione.*
CAP. XXIII. *De Teredine & Tarantula.*
CAP. XXIV. *De Vermibus.*
Artic. I. *De Vermib. in Animalib.*
II. *De Vermib. in homine.*
III. *De Vermib. in plantis.*
IV. *De Verme Indico & Martii.*
CAP. XXV. *De Veſpis.*

ADMI-

ADMIRANDA EXANGUIUM.

CAPUT I.

DE EXANGUIBUS, IN GENERE.

Vilis equidem exanguium videtur natura, nec quicquam vel turrigeris Elephantorum humeris, vel taurorum collis, trucibuſque in ſublime jactibus, Leonum denique comparanda jubis; certum tamen nuſquam alibi ſpectatius naturæ artificium eſſe, nuſquam eandem magis, quam in minimis, totam. *In magnis ſiquidem corporibus facilis officina ſequaci materia fuit. In his tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio! Vbi tot ſenſus collocavit in culice? ubi viſum in eo prætendit? ubi odoratum inſeruit? ubi truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura! diſpoſuit jejunam caveam, uti alvum! avitam ſanguinis ac potiſſimum humani ſitim accendit. Telum vero perfodiendo tergori, quo ſpiculavit ingenio! Atque ut in capaci cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter ſorbendoque, fiſtuloſum eſſet. Plin. l.* 11. *c.* 2. Cæterum exanguium quatuor apud *Ariſtotelem* genera; Molle, Cruſtaceum, Teſtaceum & Inſectum. Mollia ſquamma carent, nec illis vel aſpera cutis, vel teſtacea, ſed ut in hominibus mollis. Nulla habent oſſa, nulla viſcera; ſi quid eſt, piſcium illud proportionatur ſpinis, Polypum ſi excipias. *Plin. l.* 9. *c.* 28. Caput intra crura & ventrem; deeſt Lingua, eſculentorum ut voluptas diſcernatur, carnoſum quiddam natura largita eſt. At habent cerebrum; habent & id quod ei parti proportionatur, cui ſentiendi principatus in ſanguineo genere mandatus eſt.

Nec denegatus ſexus. Aſperiores omnes in mare partes, lineiſque intervenientibus variæ, cauda acutior, meatus gulæ ſubditus, à cerebro in alvei pertendit ima, idque ipſum ad quod fertur, mammæ imitatur ſpeciem. Duplex ſuprapoſitum habetur in fœmina; ſubrubra eidem ſubjuncta corpuſcula in utroque ſpectantur. Aquam ſalſam reſpuunt; frigus difficulter ferunt; nuda enim; & quia ſanguinis inopia laborant, pavida ſunt. Ova eorum foras excluſa augentur more vermium; ſed vim vitalem à maris aſperſo ſemine habeant neceſſe eſt, more piſcium. *Ariſt. de gener. l.* 3. *c.* 8. Cruſtatorum duo ſunt genera; vel enim caudata ſunt omnia, vel rotunda. Expreſſa illorum & extenta cauda eſt; hujus quaſi operculum alvi exitum obtegit, & ventris infimæ parti ita applicatur, ut caudæ ſpeciem præ ſe ferat nullam *Scal. Exerc.* 245. Communes illis cum reliquis exanguibus partes. Longi & rotundi in ore dentes, duplici operti tegmine. *Ariſt. de part.* 4. *c.* 3. inter quæ talia quædam interjacent, qualia locuſtarum annectuntur dentibus. Carent palpebris, ſed oculi ſupra os ſiti ſunt, duri omnibus, aptique tum intro, tum foras, tum in obliquum moveri. Non reſpirant, ſed aquam per fiſtulam egerentia, refrigerantur. Mares tenues genitales obtinent meatus, vulvas membraneas fœminæ hinc inde ad inteſtina fiſſas, in eis gignitur ovum. More autem eorum coëunt, quæ mingunt in averſum. Ovum rubidum parit fœmina, prætenui obvolutum membrana. Teſtacea, Conchylia alias dicuntur, in tantis quondam gulæ deliciis, ut viduarum eſſe cupedias, in adagium abierit. Tanta in illis naturæ ludentis varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, ut vix numerari poſſint. *Plin. l* 9. *c.* 33. varietatem illorum explicaturus, *Tot in illis*, inquit, *figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato, jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, caniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obli-*

quum,

quum, in rectum expanſa, denſata, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis. Cæterum in imo mari mira quadam magnitudine augentur; in ſummis etiam montibus inveniuntur; internis denique vel terræ vel ſaxorum viſceribus deliteſcunt. *Vidi in ſilice duriſſimo,* inquit *Goropius Becanus* apud *Aldrovandum*, *Bethuniæ advecto, quo via apud nos ſternuntur, tot conchulas, totas lapideas & concluſis valvulis integras, ut magna cura & arte ex illis fuiſſe cæmento aliquo compactus judicaretur. In ſuburbano Pariſienſi agro, qui ſupernè copioſa fruge luxurians, ſubtus cavus magna ſui parte eſt & vehiculis pervius, inveni teſtas non paucas, turbinum marinorum, elegantiſſimo ordine, & tortas & tuberculis inſignitas, atque ita omnibus modis perfectas, nihil ut præter vivum piſciculum ad integritatem deeſſet. Vidi in Anglia lapidem è ſummis montibus exciſum, qui percam ad vivum exprimeret, ne minima quidem lineola ad perfectionem deſiderata.* Inſecta inciſuras parte ſui vel ſupina, vel prona, vel etiam utraque poſſident, & quamvis ſit oſſeum aut carneum, quiddam tamen inter hæc ipſa medium obtinent. Differentiæ illorum variæ ſunt, locum, qualitatem in corpore, quantitatem, victum, generationem, motum denique & greſſum ſi attenderis. Locum quod ſpectat, (tangenda neceſſario quædam) in nive naſcuntur vermes hirti & rubidi; in igne pyrauſtæ; in aqua marina Microrinchoteros, ſcolopendra marina & pulex. In dulcibus oriuntur hirudines, ſcrophulæ, ſtrumæ, cherodes; in terra lumbrici & iuli; in foſſilibus haud rari. In arborum caudicibus coſſi ſunt & teredines: Ceraſtem ficus gignit: Olea ſi plantetur, ubi quercus effoſſa, ranas, vermiculos: In ſorbo rufi & piloſi dantur: in veſicula ulmi, Peſennes; in vitibus, Butyri, ut Tullius vocat: in Euonymo, ſeu ut Theophraſtus Tetragonia, Erucarum genus quotannis oritur, quod poſt abſumptas frondes emoritur: In fruticis cujuſdam pomo cui Coccio nomen beſtiola, cum fructus ad maturitatem pervenerit, erumpit. Inveniuntur in gramine vermiculi, qui alligati collo, continent partum, detrahuntur ut fiat. In

ſolani foliis vermis viridi & croceo colore diſtinctus, cornu in fronte getens, digiti longitudine provenire cernitur. In Aſphodelo naſcuntur vermes, qui in volucres Hoſculorum ſpecie degenerant, beſtiolas. Nam cum flacceſcens inaruerit ſcapus, eroſo conceptaculo provolant. Quin haud pauciora in animantibus offendes. Nota hominis excrementa, mendicitatis præſertim excitata Sole. Lumbricos in Ægypto frequenter naſci in crutibus, ſcimus. In Cyprino primo nativitatis anno, vermiculus niger juxta Branchias oritur. Percæ fluviatiles duodecim ceu uniones generant ervi magnitudine, qui ſinguli vermem incluſum continent, gracilem, oblongum, teretem. In alveis denique apum vermiculum naſci proditum eſt. Quantum ad partes, Muſcæ alas habent apertas, ſcarabei vaginipennes ſunt, venter quibuſdam ori adjunctus, & rectum inteſtinum revolutum ab eo. Quæ ſaliunt, vel crura poſteriora habent longiora, vel gubernaculis retro curvatis nituntur. Generationem denique quod attinet: Ex ejuſdem generis animalibus quædam oriuntur: generant nonnulla, ſed non ſui generis, verum vermiculos tantum; illaque non ex animalibus, ſed ex humidi & ſicci orta putredine. Inter ea quæ coëunt, majores, maxima ex parte, fœminæ; nulli ſeminales maribus meatus ſunt; nec hi fœminis membrum inſerunt, ſed illis de inferiore parte fœminæ. Hæc prolixius de Exanguibus volui, ut, quia externum habitum contemptum induxiſſe ſcio, animus internæ naturæ majeſtate excitus, fervidius ad eorum accederet contemplationem, verſaretur in eadem.

CAPUT II.

DE APIBUS.

INgens Apum in Lithuania & Podolia copia eſt, ita ut ſiccatum terrarum melle repleantur foveæ, in quas immanes urſos prolapſos, ſuffocatos eſſe, Hiſtoria prodit. *Olaus Magnus.* Paſcuorum copiam facit ubertas,

tas, odoris ſuavitas, florum abundantia, ſaporis denique jucunditas. Adde his ſylvas pinearum ingentes, quæ cum perpetuo frondeant, tepidumque ſpirent aſſidue, coma celſa, ac patulis luxuriant ramis; umbra æſtate defendunt apiculas, pinorum tegmine hyeme. *Leo. Nolan. in problem.* Nulla Scotiam alere Solinus prodidit: falſo nos ipſi comperimus. Vidimus enim & in horto hoſpitis noſtri Andreapoli, ſumma cum jucunditate tractavimus interdum. In Africa autem raræ ſunt. Cauſam ſi velis, defectum illorum, quæ de Sarmatia dixi, invenies. In locis quibuſdam Ægypti, ex defoſſo cornua tenus Tauro, apes temporis evolant ſucceſſu; putredine illa in eas abeunte. Si igitur eo modo apes procreare volueris, *Florentinum* conſule. Iubet hic, referente Conſtantino Cæſare, *ut domus tibi ſit alta decem cubitorum, latitudinis cubitorum decem, reliquis lateribus comparibus. Ingreſſus in illam formetur unus, feneſtra quatuor, ab unoquoque latere una. In hanc inducas bovem triginta menſium, carnoſum, valde pinguem, faciaſque adſtare ipſi juvenes multos, qui ipſum fortiter verberent, & fuſtibus caſum occidant ſimul cum carnibus ipſa etiam oſſa comminuentes, diligentem autem animadverſionem habeant, ne quid Bovis eruentetur. Non enim ex ſanguine Apis generatur, & circa primas plagas non violenter in ipſum irruant. Statim vero obturetur omnis bovis meatus, linteolis puris ac tenuibus, pice tinctus, veluti ſunt oculi, nares & os, & quæ à natura producta ſunt partes ad evacuationem neceſſariæ. Deinde Thymo ſubſtrato multo, boveque ſupino ſuper ipſum inclinato, domum egrediantur, & ſtatim januam & feneſtras luto denſo oblinant, ut neque aeri neque vento ullus aliquis ingreſſus aut perſpiratio pateat. Tertia autem hebdomade, undique domum aperire oportet, & lumen aeremque purum admittere, præterquam ex ea parte unde vehemens ventus procedit. Si enim ſic contigerit, ingreſſum qui ſecundum ventum ſitus eſt, clauſum relinquere oportet, & luto velut prius oblinere. Vndecima deinde poſt hanc diem, ubi aperueris, invenies plenam apibus racematim inter ſe coagmentatis & ex bove reli-*

P 5 *qua*

qua cornua & oſſa ac pilos & præterea nihil. Ajunt ex cerebro gigni reges; ex carnibus vero alias apes. Naſcitur autem & ex medulla ſpinali Rex: præſtare tamen ex cerebro natos, & magnitudine & pulchritudine & robore omnibus aliis traditur. Primam porro mutationem & transformationem carnium, in animalia, & velut conceptum quendam, ac generationem inde cognoſces. Adaperta enim domo parva & alba ſpecie, inter ſeque ſimilia, & non perfecta, neque jam omnino animalia, circa vitulum multiplicata videbis, immobilia quidem omnia, paulatim vero augeſcentia. Videbis etiam alarum excretionem jam exarticulatam, videbiſque proprium colorem accipientes apes, circumſedenteſque Regem & advolantes. Verum brevibus & ſubtrementibus aliis, propter inſuetudinem volandi, & membrorum debilitatem. Aſſident autem feneſtras impetuoſe impellentes, & violantes ſe mutuo, ob deſiderium lucis. Præſtat tamen apertiones & obturationes feneſtrarum, velut dictum eſt, alternis diebus facere: Timor eſt enim, ne aut apum naturam transmutent, aut ob longiorem ſtabuli concluſionem aere privatæ velut ſuffocatione pereant. Penna eis ſi detrahatur vel aculeus, renaſci non poteſt; imo quia inteſtino hic annexus eſt, diffractus evellit idem, mortemque infert. Regem inter ſe habent, tantoque in honore, ut nunquam, niſi omnibus commotis prodeat, in volatu ſi aberrarit, ſagaci odoratu inquiritur; volatus impotens, portatur. *Ariſtotel.* Tantopere illis caſtitas eſt cordi, ut & à coitu olidos acriter pungant, & in virgineis ſtabulentur ſepulchris. *Plutarchus.* Refert enim *Auguſtinus*, cognomento *Gallus*, Veronæ, in ſepulchrum duarum ſororum virginum, clariſſimi Iuriſperiti Bartholomæi Vitalis filiarum, non tantum per rimas parietis horti contigui irrepſiſſe; ſed etiam copioſe favos inter utrumque confeciſſe cadaver. Res biennio, ab inchoato opere, fulminis, abſque ulla cadaverum vel favorum læſione, lapſu, detecta omnibus admirationem incuſſit. Repertæ & in Hippocratis ſepulchro; melque illarum, infantum ori ulcuſculis ad tumulum illitis, haud ſine miraculo perſanaſſe, conſtanter affirmatur.

matur. Veſcuntur illis Cumanæ regionis incolæ. Si barbam cito creſcere voles, ex cinere combuſtatum, cum ſoricis ſtercore, fac linimentum & loco inunge. *Aldrovandus*.

CAPUT III.

DE ARANEIS.

IN Orbe novo, ut *Oviedus. l.* 15. *c.* 3. tradit, viridem colorem aranei habent, ſerico æquandum; tela aureum oſtendit. Eadem à Cumanis tam firma texitur, ut ſerici inſtar, difficulter rumpatur. In Hiſpaniola pilas luſorias, magnitudine æquant, nuces ſoliditate. In Braſilia prægrande quorundam genus, cancro ſimile; à muſca tamen captivum in latibula trahitur, verſo cum Europæis more. Indiam occidentalem paſſerum quantitatem proferre author eſt *Cardanus l.* 9. *ſubtil.* Convenire clunibus ſcripſere quidam, & ſparſa in telas, parere ova. Saliunt enim & ita emittunt. Quatuor ſeptenis conſummantur diebus. *Scaliger* è ſitu naſci refert. *Ova* (inquit *l.* 1. *de cauſ. plant. c.* 5.) *Araneorum cum aliquando obſervarem, inveni eſſe, multa modica, livida, exigua maculis aſperſa, diviſa, invicemque ſeparata, mollia & viſcida, quæ ſi caſu aliqua fuerint perdita, Aranea diligenter inquirit, & ſui additamentis interioribus, & roſtro etiam ea reportat. Vidi item ex unico ovo, multos ac innumerabiles fœtus procreari, ita exiguos, ut vix oculis percipi queant, attamen quam primum ovo erant excluſi, fila deducebant adeo tenuia, ut nihil poſſet eſſe mirabilius. Obſervavi item ſub capta Aranea alvo magnum ovorum cumulum, adeo exiguorum, ut atomis comparare licuiſſet. Erant autem candida & digito compreſſa crepitum edebant.* Magnus in illis tactus viget eſt. Reſidentes enim in telæ medio, muſcam in remotiſſima etiam parte impegiſſe ſentiunt. Hinc *Antonius Ludovicus l.* 1. *probl. ſect.* 5. *probl.* 13. eam ob cauſam in mediis excubare caſſibus affirmat. Et certe cum æquales ſint lineæ, quæ à centro

feruntur, in medio conſiſtens, pedibuſque vincta tenens filorum, quæ nevit, exordia, facili undique agnoſcere poterit negotio. Telas mittunt ſubtiliſſimas, intexuntque his culices, aliaque imbecilla irretiuntur animalia. Hoc vel id quod foris habent, ceu corticeum vellus facit; quo paulatim depexo deductoque in ſtaminis morem, & illas imminui, & filamenta edi contingit: vel ſponte lanigera quædam fœcunditas; vel quia ſtatuto tempore, alvi intus corrumpitur natura, excrementi cujuſdam modo, ſub tegmen alligatur ad intra, ex quibus tenuiſſimi illi oriuntur complexus. Certe in bombycibus prius evenire conſpicimus. Nam & ſerica ex propriis excrementis producunt fila, & vitam pro bombycio, propria in vellus abſumta ſubſtantia, permutant. *Anton. Ludovicus l.* 1. *ſ* 5. *probl.* 52. in demorſo à domeſtica aranea penem erigi ſcribit *Franciſc. Bonzell. Cardin. l.* 3. *c.* 14. de venenis, idem in Phalangii accidere ictu teſtatur. *Plin. l.* 24. *c.* 9. Cauſa veneni ponitur natura. Licet enim facile penetret: terreum tamen flatulentos movet humores, qui ad inferiores depulſi partes, penem diſtendunt. Lacertorum cum venantur catulos, tela primum involvunt illos, labra dein morſu apprehendunt, theatrali cum contingit ſpectaculo. *Plin. l.* 11. *c.* 24. Librat ſe, eodem authore *l.* 10. *c.* 74. in caput ſerpentis ſub umbra arboris araneus; tantaque vi morſus cerebrum apprehendit, ut ſtridens ſubinde nec filum deſuper pendentis rumpere adeo non fugere queat; nec finis ante mortem eſt. Ruinis imminentibus primi cum telis aranei cadunt. *Plin. l.* 8. *c.* 28. Incremento omnium futuro, altius illas tollunt, & quia ſereno cœlo non texunt, nubilo texunt. Multæ araneæ imbrium ſigna ſunt. *Plin. l.* 11. *c.* 24. Thebani certe, teſte in *Bœoticis Pauſania*, id agnovêre. Nam cum legiferæ Cereris ſub Leuctricæ pugnæ tempus, araneæ albas circa templi valvas texuiſſent telas, adorientibus jam Macedonibus longe diverſa portendentes, nigro opere omnia compleverant.

CA-

CAPUT IV.

DE BOMBYCE.

BOmbycem ante Iuſtiniani tempora Italis incognitum, tradit *Zonaras*; diebus illius demum ſolerti ingenio quæſitum, & allatum, *Procopius*. Addit idem duos Monachos ex India Byzantium Seras attuliſſe ova, inque fimo collocata transformaſſe in vermes. Seræ autem, in extremis Perſiæ civitas eſt. In qua tantum illius fit operis, ut dena millia pondo ſerici, in quotidianas operas diſpenſentur. In Taprobana etiam ſine cultu ex arboribus detrahi, multorum prodidere navigationes. Tantum vero in hoc inſecto oſtendit natura artificii, ut impoſſibile ſit omnia complecti. Multa quamvis ſcribantur, multa tamen reſtant. Vermis primum eſt, folliculo incluſus emoritur informis. E folliculo denuo prodit alatus papilio. Itaque inſectum reptile in volatile per medium Zoophytum, motus atque ſenſus expers, admirabili metamorphoſi commutatur. Excluſus enim primo vermiculus, alimenta quærit copioſa, quibus avide depaſtis, capitis crebra attectione cum veterno veluti luctans, tandem obdormiſcit triduum, vel biduum, pelleque interea exutus ad conſueta redit alimenta. Cum quater paſtus, quater obdormiens, quater pellem renovarit, ſpreto deinde pabulo ſublime petit, & virgultis conſcenſis, alvo rite purgata, lanificii rudimenta inconditis primum mæandris per ramos exercet, mox folliculo incluſus pellucido; indefeſſi laboris fructum è centro ad circumferentiam portrudit pilum album, viride, flavum, ovali figura, cum æqualibus veluti certans, novem dierum ſpacio, obſolutoque operi immoritur. E folliculo loco ſubterraneo depoſito, papilio poſt decimum diem prodit cornutus, ſed alarum alimentique immemor, brevis ævi jacturam fœtificatione reparaturus, molli impoſitus velleri, concubitu perpetuo per triduum, rarius quatriduum fœminæ

minæ connexus, emoritur, nec multo poſt vidua, relicto poſt ſe inſtar granorum milii ſemine, centenario fere, mariti fata ſequitur. Cæterum quia accuratiſſime iſta *Vir Clariſſ. Andreas Libavius*, de medica facultate meritiſſimus, ex propria obſervatione deſcripſit, placuit in gratiam naturæ indagatorum ejus obſervationem hiſtoricam, appendicis loco ad finem claſſis hujus adjicere.

CAPUT V.

DE CANTHARIDE ET CICINDELLA.

NAſcuntur *Cantharides* ex vermiculo in ſpongia, Cynorrhodi maxime, ſed fœcundiſſime in fraxino; in ficis ſi generentur, arborem perire veriſimile eſt. *Plin. l.* 29. Venenum illarum acutiſſimum eſt. Coſſinum equitem Romanum, amicitia Neronis notum, cum is lichene peculiari olim Ægypto morbo laboraret, vocatus ex Ægypto medicus, Cantharidum interemit potu. *Plin. l.* 1. *c.* 4. Idem Abbati apud *Paraum l.* 20. *c.* 28. à ſcorto accidit. *Cicindella* alvum habet annuloſam, multis diviſam ſegmentis, in cujus extremo duæ pellucidæ ignis inſtar guttæ, ad ſubcæruleum tendentes. Tunc maxime conſpicitur, cum, alvo compreſſa, humor ille diaphanus ad alvi vergit extremum, pectoreque luci obverſo, ignis inſtar ſcintillat. *Aldrov. de inſect. l.* 4. *c.* 8. De illa claſſe ſecunda aliquid dictum eſt; Liquorem ejus lucidum in chartis ſulco traxit *Adrianus Iunius*, cum in Bononienſi ruſticaretur agro. Quod vero die illo ſcribitur, de nocte legi poteſt. Modum componendi oſtendere plurimi. *Baptiſta Porta* ſic de eo. *Nos earum caudam à corpore reſcindimus, præcavendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur, porphyretico lapide terendo, diebus quindecim vel pluſculis ſub fimo vitro condimus, fueritque præſtantius ne latera contingant, ſed pendeant. Nam elapſis diebus furno, vel calentis aqua balneo*

vaſe

vaſe impoſito & accommodato, paulatim luculentum & ſtillaticium laticem ſubjecta paropſide recipias, ac pellucido Criſtallino orbe condito: ſic conclavis medio, lucigena pendet aqua, & aërem illuminabit, qui eſt circa illam, ut majuſculæ litteræ poſſint conſpectari. Cur autem aqua extingui non poſſit illarum lumen, *Albertus de ſenſu & ſenſato* oſtendit. *Non enim,* inquit, *illarum lumen dici poteſt, eſſe de natura cæleſti; quod natura cæleſtis non venit in compoſitionem corporum generatorum & corruptibilium. Sed hujus & ſimilium determinatio accipitur ex his, quæ à nobis in ſecundo de anima ſunt determinata, ubi oſtendimus, quod natura perſpicui non eſt propria alicujus Elementi, ſed communis natura quæ eſt in multis, & participata eſt per prius & per poſterius ab illis, quæ quidem purior eſt, quanto eſt ab opacitate remotior, & hoc eſt, quanto eſt naturæ ſuperiorum ſimilior, & hujus proprie actus eſt Lux, qua fieri habet in illa natura. Fit autem in ipſa, quoties conſtant partes ejus limpidiores & nobiliores, & ideo tunc micant omnia talia. Hæc autem compoſitio aliquando eſt in toto compoſito, aliquando non in toto, ſed in exterioribus alicujus: cujus cauſa eſt, quod cum talis natura ſit elementorum, levium, magis accedit ab intimis compoſitorum ad extrema, eo quod talia ſupernatant, & ſic invenitur in capitibus & ſpinis & oſſibus quorundam piſcium; & in teſtis ovorum quorundam, eo quod tales partes minus aſſæ ſunt, & egit in eis calor multam naturam denſatorum perſpicuorum; aliquando agit hic calor in exterioribus quarundam rerum, quando exhalat ab eis & trahit ſecum ſubtilè multo diaphaneitatis, & ſic lucent partes quercus putrefactæ. Omnia tamen hæc quæ debilem habent lucem, tegunt clariori luce ſuperveniente.*

CAPUT VI.

DE CICADA.

Cicadas ex cuculorum ſputo naſci ſcripſit *Iſidorus*, ex terra *Plutarchus in Sympoſ.* in eadem non culta

culta ad Orientem Solem ſpectante, cum ſub quercubus effoderetur, ſolita forma, albas effoſſas teſtatur *Baldangelus. Ariſtoteles* vero *l.* 5. *hiſt. c.* 30. ex coitu naſci affirmat, modum addit *Plinius: Fit primo*, inquit, *vermiculus, deinde, ex eo, quod vocatur tettigometra, cujus cortice rupto, circa ſolſtitia evolant noctu ſemper primum nigra atque dura. Cum autem è tettigometra egredi cupit* (obſerva ſimilem cicadarum & papilionum eſſe ortum, quod enim in his primum eſt eruca, id in illis vermiculus, quod in eruca poſtea chryſalis ſeu aurelia, id in cicadis tettigometra. Differre tamen ſcias. Nam rudis quædam chryſalis eſt moles, in qua nullæ corporis diſtinctæ conſpiciuntur partes: In tettigometra vero, caput, oculi, pedes, pectus, cæteræque exceptis alis apparent, colore ſubalbida eſt & minutis lineis reſperſa) *arborem aſcendit primum & illico alicui arboris adhæret ramo: hinc ſuperiore parte in qua primum apparet, rima egreditur. Toto fere eſt tum corpore viridis, mox ſuperiore parte vergit ad caſtaneum, qua ſpacio unius diei, ſubnigro fit colore. Quia vero imbelles primum alæ pedeſque inſidet exuvio, donec volare inceperit.* In Cephalonia fluvius eſt, à cujus altera parte Cicadæ ſunt, ab altera non conſpiciuntur. *Plin. l.* 11. *c.* 27. Idem in Dulichio Ionii Maris inſula accidere ſcribit *Antigonus*; de *agro Nolano*, & monte Veſuvio; *Ambroſius Nolanus.* In agro Rhegino, omnes ſilent, ultra flumen in Locris canunt; in Acantho quoque mutæ ſunt. *Plin. l.* 12. *c.* 27 Cauſam ſi quæris, umbroſam opacamque Rheginorum regionem putat *Strabo*, areſcere æſtu Locrenſem. Hinc ibi roſcidas alarum pelliculas minime pandi; aridas & veluti corneas hic haberi exiſtimat. Quod autem & in volatu id faciant, & ſtantes, quod ab aliis fieri non exiſtimant, caloris facit ratio. Cum enim majori indigeant refrigeratione, natura calidiores, vehementius movent aërem. Cætera, tanta non indigent, aut, quia imbecilli prædita calore, facere non audiuntur, non dici facere putandum eſt: Nicolaus Leonicus.

CAPUT VII.
DE CAMMARO ET CONCHA MARGARITIFERA.

CAmmarus cancer eſt fluviatilis: In ejus capite bini lapilli, globi dimidiati, plenilunio reperiuntur figura. *Agricola* veſci carne dicit. Nam & in naſſis rodit lucium. *Alb.* & carnibus in Danubio navibus alligatis, inque aquam ſuſpenſis, magnam cancrorum adhærere multitudinem ſcripſit *Geſnerus.* Iunio menſe ad paſcua exire, ranas appetere, & herbis veſci quidam prodidere. Lacte ſine aqua potatus, multis vivit diebus. In aqua per dies tredecim vivum conſervavit *Geſnerus.* In vino ſublimato & accenſo poſitus ſtatim rubeſcit, & vivus inter coctos apponi poteſt. *Georg. Pictorius.* Mares à fœminis facile diſcernuntur. Nam illis ea parte qua corpus ad caudam continuatur ſubtus, quatuor longæ & prominentes adſunt virgulæ, deſunt his. Cauda etiam illorum rotundior, planior ac ſpiſſior eſt. Pulverem ex oculis eorum cum aqua foliorum perfici potum, poſt venam ſectam. *Leonellus Faventinus,* ad notham commendat pleuritidem. Dentes infricatus pollen dealbat & purgat. *Concha margaritifera* interdum tam grandis in India reperitur, ut referant, in Mari Inſulæ Borneo inventam, cujus caro pondo ſeptem & quadraginta librarum penderit; de quo tamen dubitari poſſit.

CAPUT VIII.
DE COCHLEA.

COchleæ quas Pomatias Dioſcorides appellat, plurimæ in montibus Tridentinis reperiuntur, illæque præſtantiſſimæ. Eruuntur è terra & fruticetis hyeme, uncis quibuſdam ferreis, prope fruticum radices circumfoſſa terra. Contra frigoris injuriam albo teguntur ope-

operimento, gypſi referente ſpeciem, ſic terra ſe condunt, contectæ gratiores dein in cibis. *Matthiolus.* Oculos in ſummitate cornuum habent, illoſque appropinquante aliquo in cornua retrahunt, cornua in caput, caput in corpus. *Albertus.* Ova pariunt candida, oculorum lucii piſcis magnitudine, & incubantes menſe Majo reperiuntur. *Geſnerus.* Albertus ex putredine & viſcoſo generari rore voluit, viſcoſitatemque illam in teſtam dureſcere. Idem *Portæ* placuit. *Phytol. l.* 5. *c.* 4. *Plin. l.* 9. *c.* 5. Tempore hyberno naſci ſcribit. Vivaria earum inſtituit Fulvius Hirpinus in Tarquinienſi, paulo ante civile bellum quod cum Pompejo Magno geſtum eſt, &c. *Plin l.* 9. *c.* 56. Impetuntur in Scyatho inſula perdicibus, ſed eaſdem, qui ex genere earum ariones vocantur, decipiunt. Egreſſæ enim teſtis ſuis paſcuntur, inanes ardeis & perdicibus relinquunt. *Ælian. l.* 10. *c.* 5. *Andreas Furnerus Gallus*, ad capillos multiplicandos ex eis refert hoc remedium. *Limaces trecentas ſuis teſtis exemptas, in aqua diſcoques, & extractis denuo, pingue quod ſupernatat, colliges: idque in vaſe vitreato recondes, & ſuperinfundes ſextarium aquæ in qua folia Lauri decocta fuerint; & tria cochlearia olei de olivis, mellis cochleare unum, croci ſcrupulum, & parum ſaponis Veneti, & cochlearium communis, modice conquaſſati. Bulliant ſimul omnia. Hoc liquore capillos ſæpius inunges, & lavabis lixivio facto de cinere combuſtorum braſſicæ caulium* (locus eſt obſcurus vel corruptus) *& percipies pilos quotidie augeri.*

CAPUT IX.
DE CULICE.

CVlicum magna eſt in Ægypto copia. Hinc *Herodotus* Conopæam appellat, & *Bellonius Obſ. l.* 2. *c.* 35. ita ſe prima nocte ab eis vexatum ſcribit, ut poſtridie exanthematibus laborare videretur. In diverſis Indiæ locis culicum ſunt ſpecies, quarum aliæ æſtivo maxime tempore, expurgatis campis, in ſylvis abundant,

undant, aliæ juxta littus. Ad Myontem Ioniæ urbem, haud ſane magnus ſinus erat, quem cum Mæander è regione influens amnis, limoſus, obturatis adve&ititio luto faucibus, annis volventibus paludem effeciſſet; tanta ex ea culicum enata eſt copia, ut eorum tædio coa&i Myontii, urbe reli&a Miletum commigrarint. Morſus illarum ſeptentrionales incolæ cum vitare volunt, abſinthii vel nigellæ deco&o caput & cætera membra aſpergunt *Olaus*. In morſu vero diſcrimen facit. Nam quibus ſanguis purus & minime putridus eſt, hos non inſe&atur, fru&us non attingit, priuſquam corruptione acrorem contraxerint; & acidis maxime dele&atur. *Leonh. Iachin.* Quod vero ſanguinem humanum maxime appetunt, (αἱμοπότος hinc ἀνδρῶν σίφωνες di&i) dulcia etiam appetere non evincitur. Sanguis enim pars dulciſſima ac puriſſima ad nutriendum abſumitur, interiuſque latet ad cutem crudiſſima devenit. Vnde puſtulæ extra corpus erumpunt.

CAPUT X.

DE ECHINO, EPHEMERA, ET ERUCA.

Echini marini quoties perſenſere æſtum, ſaburra ſe gravant, ne vel propter levitatem ja&entur, vel ingruente tempeſtate auferantur, ſed petris firme inhæreant. *Plut. lib. Vtr. anim.* Vivorum teſtam obdu&orum & aculeis communitorum contritorumque fruſta in mare abje&a coëunt: & affinem partem recognoſcunt, applicataque conferuntur, & naturali quadam conciliatione rurſus uniuntur. *Aldrovand.* Quantum ad *Ephemerum*, Hypanis fluvius apud Cymmerium Boſphorum, ſub ſolſtitio folliculos acinis majores defert, ex quibus quadrupedes volucres erumpunt. Genus hoc animalis in pomeridianum diei tempus vivit, diſcedente Sole marceſcit, & languente occidente moritur. Hinc illi ephemeri ſeu diarii nomen *Aldrovand.* *Erucas* quod ſpe&at, teſtatur Hierocles, equis

equis, ſi ſe ſuper eas volutent, vibices aſſurgere, cutem occaleſcere, oculos curvari; ſedari, ſi aceti ſelibra cum atramenti ſutorii conteratur quadrante. Depaſcunt olera, ſed ſi eruca inter ea conſita fuerit, non tangunt. Vt vero eadem infeſta non generent animalia, in corio teſtudinis omnia quæ ſparſurus es ſemina ſicca, vel mentam pluribus locis maxime inter caules ſere. *Praſocurides*, inquit *Cardanus*, *vocantur animalia, quæ ſolent in hortis nocere. Ferunt quod ſi ventriculum vervecis ſtatim occiſi plenum ſordibus ſuis ſpacio quo abundant leviter defoderis, poſt biduum reperies ibi animalia congeſta. Hoc cum bis vel tertio feceris, genus omne, quod nocebit extingues.* Paulus Ægineta ſcribit, erucas olerum cum oleo inunctas, dici tutos à virulentorum animalium morſibus ſervare.

CAPUT XI.

DE FORMICA.

IN Regno Senegæ ſunt formicæ albæ, & ſuapte natura humiles efformant caſas. Nam ore terram portant, & ferruminant abſque calce; clibanos diceres, vel tuſcula in ordine diſpoſita. *Scaliger. Exerc.* 367. Rubræ ſunt in Provincia Mangi, quibus cum pipere veſcuntur. *Scaliger Exerc.* 96. Apud Brachmanes palmaris magnitudinis, in nova Hiſpania ſcarabæos æquant. Apud Dardas, quæ maxima eſt Indorum montanorum natio, collis quidam trium millium ſtadiorum ambitu eſſe dicitur, ſub eo aurifodinæ, quas formicæ effodiant, vulpium magnitudine. *Plin.* Fabuloſa cum *Strabone* cenſemus. In Baja Salvatoris ingens illarum copia, in ore quiddam forficum inſtar, quo ſata ita abſcindunt, ut morſu illo areſcant. *Aldrovand.* Ibi eadem Occidentali India Comixen dicuntur, ſemiformicæ & ſemivermes alba repentes cauda. Ligna erodendo penetrant, & domibus ingentia inferunt damna. Parietem aut arborem ſcanſuræ opercula terrea digitum craſſa ſecum ferunt, ſub his ubi habitandum

tandum degant. *Ovied. in ſum. Ind. Occid. c.* 52. In Braſilia dum conteruntur, odorem cedri fundunt. In Suſide nutritam publicè in foro Aviano formicam quæ ſingulis dieb. libram carnis ederet, *Rhaſis* apud Cardan. *l.* 9. *Subt.* habet. Aliæ in Iſthmo Sur & Nort occidentalis Indiæ tam duras caſas conficiunt apum ſimilitudine, ut vix ſecuribus tandem rumpi queant. Parvum quia ipſis caput eſt, non habent in eo oculos, ſed ſuper quædam additamenta, quæ ceu duo pili egrediuntur. In his oculos locatos ſignum eſt, quod dum apputantur, errant. *Albert. tract.* 4. *l.* 6. *c.* 1. Cum eorum ſeneſcit genus alarum efficitur. Ova gignunt, quæ in albis panniculis obvolutos ejiciunt vermes, ex his ſuperficie ad Solem expoſitis, formicæ naſcuntur. *Alb. l.* 26. At alius in novo orbe modus. Nam à parentis jam defuncti corpore, innumeri fiunt vermiculi, illique miro viventes modo, ex habitaculis tandem ſubterraneis, miro modo erumpunt. Mira in formicetis ſubtilitas, vix ullius urbis artificioſior ſtructura. *Aldrovandus* illud quod vidit ſic deſcribit. *Apparuit urbs quadrangularis, longa pedes fere quatuor, lata ultra pedem, in qua per vias velut ad negotia ultro citroque curſitare, velut cives ipſi formicæ videbantur. Angulorum & laterum directa erat delineatio, urbis longitudinem media ſecabat via, profunditate latitudineque digitali, quam rurſum per tranſverſum æqualibus inter ſe ſpaciis, tres aliæ viæ eadem digitali profunditate & latitudine directiſſimè inter ſe cubant. In extremis viarum angulis, velut angiportibus ova in acervos erant collecta. Altera urbis parte antra frumento oppleta, ut in ipſas vias redundarent. Viæ omnes erant mundiſſimæ. In urbis denique longitudinis medio unica porta Zephyro objecta.* Habent & cœleſtium notitiam. Nam nonnulli nono menſis die ſe continere, nonnulli interlunio ſemper quieſcere referunt. Ariſtoteles plenâ tantum lunâ promptuaria facere ait. Tacta mulierum menſtruo gemina non attingunt, conſcendentes ſpicam olfaciunt, & ſi hordeum repererint, ab eodem fugiunt. Admirabile denique

niqueeſt illud ſpectaculum, in quod ſe incidiſſe narrat Cleanthes. Veniſſe nimirum formicas de ſuo cavo ad aliud formicarum examen, formicam portantes mortuam. Ex hoc adſcendiſſe alias formicas tanquam ad colloquium, rurſumque deſcendiſſe. Id bis terve factum. Tandem has ſurſum extuliſſe vermem tanquam redemptionis precium pro mortua. Hoc illas accepto & reddito formicæ cadavere diſceſſiſſe.

CAPUT XII.

DE HIRUDINE ET HIPPOCAMPO.

IN flumine quodam Mauritaniæ, ſeptenum cubitorum *Hirudines* gigni, refert *Strabo:* quibus perforata gula, per quam ſpirant; In omnibus foramen exile in medio eſt, ab ore & alvo unus continuus ductus. In febribus putridis maximus earum uſus. Admotæ enim ani venis, detractis prius pilis, & applicata cucurbitula, ut venarum appareant orificia, multum ad capitis affectus mitigandos, coctionemque juvandam conferunt. Abſorpta aliquando à nonnullis in potu, teſte *Galeno.* ſuffitu cimicum expellitur. *Hippocampus* piſcis eſt minime edulus, ſingularis formæ, cui caput equinum cum proboſcide jubatum eſt, corpus reliquum cartilagineis creniis exaſperatum; in dorſo pinnula cauda, quadrata & plexilis. Totius longitudo dodrantalis eſt, captus brevi exſpirat, & dum recens, noctu lucet.

CAPUT XIII.

DE LOCUSTA INSECTO.

LOcuſtarum circa Brunduſium ingens eſt copia. In Lemno inſula certa enecandorum unicuique præfinita menſura eſt, quam ad magiſtratus referat. In Cyrenaica ter debellantur in anno, deſertoris conſtituta

tuta pœna in eum qui ceſſaverit. *Plin.* Apud Nigretas tantus ſingulis trienniis numerus, ut cœlum ad duodecim milliaria obumbrent. In Hiſpaniola carent alis. *Aloyſius Cadamuſtus.* Narrat *Vincentius*, unam à muliere nutritam, ubi creviſſet, ipſam per ſe impprægnatam inventam. Anno 852. cum Galliam vaſtarent viginti millibus paſſuum uno die, compoſitis quaſi ordinibus ferebantur, & terræ incumbentes caſtra faciebant. Duces cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen. quaſi loca caſtris capturi, eadem hora univerſæ copiæ poſtridie aderant. Ante ortum Solis, loco non movebantur, orto per ſuas proficiſcebantur cohortes. Anno ſexto Argyripoli Imperatoris tantum damnum locuſtæ Orientalibus intulere provinciis, ut coacti fuerint incolæ liberos ſuos divendere, & in Thraciam migrare: Abjecerat eas poſt in Helleſpontum ventus, ſed altero revixere anno, depopulatiſque per triennium provinciis apud Pergamum periere. *Cedrenus.*

CAPUT XIV.

DE LEPORE MARINO, LOCUSTA TEST. LOLLIGINE.

L*Epus marinus* toto corpore eſt candidus, cyſtellam vel pituitam concretam dixeris. Raro admodum capitur, niſi ſummo æſtu. Tum enim à ſummis fervoribus omnia conturbantur, ea etiam quæ in matis imo latent. Quamvis autem aquatilium animalium pauca admodum venenoſa reperiantur, quod in humore degant, qui veneno contrarius dicitur ut plurimum, & quædam in parte tantum venenum contineant, ut araneus piſcis in ſpinis, paſtinaca marina in radio, lepus tamen in toto corpore illud habet. Titus Imperator à fratre Domitiano eo interfectus dicitur. Cum enim ab oraculo mortis inquireretur genus, reſponſum fuit Vlyſſis modo periturum ἐκ τῆς θαλάσσης. Vlyſſes vero paſtinacæ ictu periit. Quibus autem

autem ejus veneno moriendum eſt, tot diebus mori, quot vixerat lepus, Licinius Macer apud *Plinium* teſtis eſt. *l.* 31. *c.* 2. *Locuſtæ* in Euripo mari non generantur, ſi Ariſtoteli credimus *hiſt.* 9. *c.* 37. In Indico vero quaterna implent cubita, ut autor eſt *Plinius l.* 9. *c.* 3. De *loliginibus* narrat *Plinius* ex *Trebio nigro*, tanta interdum multitudine volare, ut navigia demergant. *Albertus* autem *l.* 24. *de Animal.* Loliginem quinque cubitos eſſe longam, in Sexo flumine Mauritaniæ ſcribit, & juxta Oceanum ſagittæ volitare modo addit. Incredibile id omnino non eſſe putat Rondeletius, cum plurimæ mutuo ſe complexæ natent; ideoque multæ ſimul capiantur.

CAPUT XV.

DE MARGARITIS.

Margaritæ concharum quibuſdam velut nuclei, aliis partus, grando nonnullis. Multæ & magni in iis reperiuntur ponderis. Faba ſunt grandiores in ſinu quodam novi orbis. Ovis turturis ad inſulam Solon (Oſtreum ſe ibi cepiſſe *Martyr* ſcribit, cujus caro ſeptem ſupra quadraginta librarum fuerit) magnitudine nucis unum inſulæ Eubagnæ Rex habuit, pendentem triginta ſiliquas & unam, mille ducentis Caſtilianis venditam. *Gonzalvus Oviedus* magnitudine pilæ arcus: rotundiſſimam, pondere viginti ſex ſiliquarum Panamæ venditum aſſerit. Prope Inſulam Borneo anſerinum ovum æquare proditum eſt, tanta rotunditate, ut menſæ impoſitæ, uno haud maneant loco. *Me præſente,* inquit *Petrus Martyr. Decad.* 1. *l.* 8. *cum apud Ill. Medinæ Sidoniæ ducem, invitatus, Hiſpali pranderem, unam (incredibile pondus) ſupra centum uncias venum ad eum tulerunt.* Ex fluvio alluente pagum Huſſinez in Bohemia concharum æſtate ejiciuntur acervi, è quibus perlæ, maturæ quædam, immaturæ nonnullæ. Has anatibus devorandas offerunt, alvo dein redditas ſplendidiores colligunt, ut ait *Geſne-*

unica; centum & triginta in Oſtreis Indicis ſe reperiſſe ſcribit *Veſputius*. Repertæ aliquando aliquot mediocris magnitudinis, minutorum inſtar granorum reliquæ. Cæterum de illarum generatione controverſia eſt. Ex roſcido aëre gigni quidam credunt: ſed falſa hæc videtur ſententia. Profundiſſimo enim in gurgite latent nonnullæ, & quædam nigras, quædam fulvas, cæruleas denique & virides, producunt nonnullæ. *Oviedus hiſt. l. 9. c. 8.* At ex puro rore candidas naſci illi dicunt, palleſcentes ex turbido. *Androſtenes* apud *Athenæum* perinde ac in ſuibus grandinem, in conchis margaritas gigni aſſerit, cui *Iuba* ſubſcribit, referente *Plinio*. Indi qui Cabaguam Inſulam incolunt, eo naſci modo tradunt, quo in gallinis ova. Nam hæc grandiora, foramini ſunt propinqua, citiuſque excluduntur; in uteri interioribus minora recondita jacent. *Rondeletius* & *Alex. Benedictus* lapidum in diverſis naſcentium animalibus comparant origini. *Vidimus*, inquit hic, *lapides ex veſica ejectos magnitudine ovi gallinacei, quos paulatim viſcoſa materia obducta, veluti in cruſtas varii interdum coloris igneus calor induravit, atque ita increſcere ſenſim traduntur. Margarita etiam in conchis eo modo fieri traduntur, gemmarius varios veluti in capis cortices, torno detegentibus.* Et Rondeletius, *Eadem ratione* inquit, *arbitror unionem in conchis concreſcere, qua grandinem in porcis, calculum in renibus vel veſica. Quo anno hac ſcriberemus, mortuus eſt quidam, cui in altero rene erat lapillus, tot particulis conſtans, quot in rene venularum erant ramuli, quarum particularum lapilli, extremum veluti caput marmoris rotundi & candidi fruſtulum referebat, vel margaritæ majuſculæ figuram, & ſplendorem; id ex pituita vitrea concretum fuiſſe exiſtimo. Quare nec id mirum, ſi in Oſtreis & Conchis ſeneſcentibus uniones reperiantur.* Diſſolvi etiam poſſunt, modus præſcribitur ab Chymicis. *Ipſas integras*, inquit *Cardanus*, *primo lava, ſuccumque limonum bis aut ter cola, inde merge & Soli expone, in quinque aut ſex diebus colliquantur.*

CAPUT XVI.

DE MUSCIS.

IN Cyrene plura muſcarum reperiuntur genera, formis coloreque diſtincta. Latifrontes enim aliæ, muſtelarum inſtar, viperis aliæ ſimiles. In Sicilia vero & Italia tam acris morſus eſſe ajunt, ut necent ad quæ devolarint. Toleti autem in macello publico, unam modo per integrum annum comparere muſcam, inſigni notabilem albedine. *Rhodigin. l. 17. lect. antiq. c. 11.* ſcribit. In Hiſpaniola virides ſunt pictæque, in urbe B. Dominici præcipuè, Veſparum magnitudine, terram pedibus fodientes, & ſubterraneos ſibi exſtruentes nidos. Hiſpanis denique ipſis peculiarem fuiſſe muſcarum multitudinem *Strabo* memorat, eamque ſemper comitari peſtilentiam, adeo ut Romani in Cantabria quoſdam conſtituerint, qui muſcas venarentur, & pro numero captatum mercedem acciperent. In Carina monte Cretæ, cui novem paſſuum in ambitu millia, nullæ ſunt. *Plin. l. 21. c. 14.* nec ulla Romæ in æde Herculis viſa eſt, nec in Papho Inſula, per Veneris ingreſſam fores, *Apollon.* tradidit. In Olympia ingruente certaminum celebritate omnes ad ulteriorem Alphæi ripam ſponte avolare, plurium annorum experimento cognitum eſt *Ælian. l. 5. de Animal. c. 17.* Emma denique Ducis Saxoniæ inferioris filii uxor, pratum Eccleſiæ Bremenſi non longe ab urbe feraciſſimum promiſit, cujus hæc prærogativa, ut nullis ibi pecora muſcis vexentur. *Cranzius l. 4. Saxon. c. 29.* Hebræi, referente Toſtato, anilia de illis comminiſcuntur. Fingunt enim Davidem quæſiviſſe à Deo, cur homines ſtultos, araneas, & muſcas procreaſſet, cum cæteris, cum non tantum ſuperflua appareant iſta, ſed & noxia. DEUM vero reſpondiſſe, monſtraturum ſe Davidi, tria iſta utilia eſſe ad aliquid, imo & ei ipſi aliquando utilia fuiſſe. De ſtultitia patere, quia niſi ſe ſtultum finxiſſet, coram rege Achis captus fuiſſet, & forte periiſſet. Muſcam utilem

tilem fuiſſe, cum deſcendit de colle Hacbilla in caſtra Saulis, dormientibus cunctis, & accepit lanceam Saulis; tum enim pedem inter pedes Abner apud Saulem cubantis implicaſſe, & cum timeret, jam captum iri ſe, ſi pedem vi extraheret, Deum immiſiſſe muſcam, quæ mordens crura Abner, vincula reſolverit, neque tamen excitaverit Abnerum, atque ita liberatum fuiſſe Davidem. Araneam denique profuiſſe, quod os ſpeluncæ, in qua latebat David, cum eum quæreret Saul, telis ſuis occluſiſſet. Ut fugarentur diverſa excogitavere diverſi. Cepæ fruſtrum carnibus, ſi apponatur, non peti ab illis quidam exiſtimant; non ingreſſuras domum, ſi lupi intra eam ſuſpendatur caput, putavit *Mizaldus Cent. 7. Aphor. 72.* A Lyſimachiæ acerrimo nidore interfici ſcribit *Dioſcorid. l. 4. c. 3.* Elleboro albo, trito, cumque lacte ſparſo arceri *Plin. l. 23. c. 8.* Quæ de Napelli frondibus victum capiunt, ad venenatos faciunt morſus, ſi Scaligero credimus, *Exerc. 85.*

CAPUT XVII.
DE NAUTILO.

NAutili deſcriptionem exactam Bellonius dedit. *Ejus concha*, inquit, *tribus, conſtare fragmentis videtur (carina ſcilicet & lateribus, cum tamen una & ſimplex ſit) quorum latera utrinque ceu carinæ juncta apparent, ea ut plurimum magnitudine, quam ambæ manus amplecti poſſunt, latitudine autem, quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt craſſitudinem membranæ pergamenæ, ſtriiſque in oblongum ductis ad oras crenis laciniatæ ſunt, in formam rotundam abeuntes; foramen autem, per quod Nautilus alitur, atque exit de concha magnum eſt; hac fragilis eſt, lactei coloris, lucida, admodum polita, omnino navis rotundæ effigiem referens: navigat enim per maris ſumma, elatus de imo gurgite, effertque ſe teſta inverſa, ut facilius aſcendere poſſit & inani ſcapha enaviget, atque ubi*

inde emerſerit, tum concham invertit. Cæterum Nautili brachiis interjacet membranula, qualis eſt inter palmipedum digitos, ſed hæc magis eſt tenuis, in telæ araneæ modum, robuſta tamen, qua aura etiam inſpirante velificat. Cirris, quos utrinque multos habet pro gubernaculis utitur, atque ubi metuit, tum concham protinus marino humore oppletam demergit. Cæterum Pſittaci roſtrum habet, ſuiſque cirris polypi modo graditur, atque eodem modo acetabulis ſorbet.

CAPUT XVIII.

DE OSTREIS.

OStrea dulcibus quamvis gaudeant aquis, in petroſis tamen etiam reperiri locis, prodidit *Plinius.* *Ariſtoteles* vero, licet victum in humore exerceant, nec foris vivere queant, nihil tamen vel aëris, vel humoris recipere aſſeverat. Cum ad Apamæam Phrygiæ urbem Mithridatici belli temporibus è motu terræ diſceſſiſſet, fluvii ſubito apparuere, nec tantum dulces, ſed & amaræ ex viſceribus terræ, (longius quamvis abeſſet mare) ſe proripuere aquæ, ut univerſum tractum illum oſtreis repleverint. *Athen. l.* 8. Color oſtreis diverſus eſt. Rufæ ſunt in Hiſpania, fuſcæ in Illyrico, in mari rubro flammeis ita diſtinguuntur zonis, ut varii coloris temperatura ad iridis accedat ſimilitudinem *Ælian l.* 10. *c.* 13. Circa initia æſtatis multo ſunt prægnantia lacte. A Byzantinis vero hoc ſeri, abjectum in aquam ad ſaxa adhæreſcere & oſtreas fieri, & *Gillius* ſcripſit, & veriſimile eſt. Nam ex decocto fungorum in terram projecto, fungos enaſci certum eſt. Carnes illarum mirifice cancer appetit, ſed quia forti à natura munitæ ſepto, difficulter iis potitur. Aſtu igitur acquirit. Nam dum in locis vento non expoſitis cum voluptate percaleſcere videt, ſuaſque ad radios Solis aperire plicas, clanculum injecto calculo, ne iterum claudat impedit, ſicque potitur.

CAPUT XIX.
DE PAPILIONE ET POLYPO.

P*Apiliones* poſt Auguſtum coëunt, & moriente poſt copulam maſculo, fœmina ova parit editiſque moritur. Per hyemem quomodo conſerventur, vix à quoquam præter *Aldrovandum de inſectis* proditum. Hic autem cum à ruſticis quæreret, reſponſum accepit: folia papilionum ſeminibus gravida, cum terra vomere ſcinditur, hujus recondi viſceribus, teporeque foveri. Exiſtimat tamen illa tantum conſervati, quæ in cavitatibus corticum arboris reperiuntur; quæ in foliis, eodem anno vivificari. *Et revera*, addit *Aldrovandus*, *ova obſervavi edita, ſub chamæfici foliis, ex quibus ſub finem Auguſti erucula ſponte erumpebant. Erant autem tenui involuta lanugine, ne ab ambiente læderentur, ipſa vero erucula decidentes terra non illidebantur, ſed tenuiſſimo admodum filo more aranei appenſæ in aere remanebant. Cum ſub foliis pariunt, ita ea plicant, ut imbres nocere non poſſint, & quaſi ſub tecto quopiam ea reponunt. Obſervavi item bis erucam, quam inter braſſicam ceperam, primo parere ova lutea, tenui involuta etiam lanugine, iiſque editis, in Chryſalidem commutari, eiſdem, quo illa fuerat, coloribus, luteo, viridi & nigro, & quod mirum mihi videbatur, ex iis ovis volucria erumpere animalcula adeo exigua, ut viſum fore ſubterfugerent, qualia ſcilicet in veſicis ulmorum reperiri ſolent.* Nonnunquam nimia luxuriantes copia, aëris indicant perniciem. Anno 1562. volabant in Belgio prope aquas, ea frequentia, ut curſum fluminis obſcurarent, potiſſimum poſt occaſum Solis; hinc ſeſe ſub noctem referentes, per vicos velut inſtructis copiis vagabantur, nihil fere à tineis differentes. Illum autem annum tempeſtuoſiſſimum fuiſſe *Cornelius Gemma* teſtatur. *Polypi* temporis proceſſu, in tantam aſcendunt magnitudinem, ut Cetacei generis eſſe vi-

deantur. In interaneis illorum, neſcio quid turbinatum eſt, quod cordis vel hepatis naturam habere dixeris, ſed protinus diffluit & diſſolvitur. Oleæ ſunt amantiſſimi. Nam ſi ramus in mare, in quo ſunt, demiſſus & detentus fuerit, haud pauci circa ramos impliciti capiuntur. Ficubus ad mare natis fixi, fructumque mandentes, deprehenduntur interdum. Locuſtis etiam mirificè delectantur, cujus rei teſtimonium apud *Petrum Berchorium* luculentiſſimum invenitur. *Audivi*, inquit, *narrari, quod piſcatores in mari Provinciæ, in littore ſuper carbones locuſtas decoqui poſuerant, & cum circa ignem dormirent, ecce unus Polypus odore locuſtæ tractus, de mari exit, & ad ignem veniens, ac cum pede locuſtam accipere volens, ſed calorem ignis timens, ad mare rediit, & quandam tunicam quam loco caputii habet ſuper caput, aqua implens toties eundo & redeundo, ſuper ignem projecit, ut ipſum extingueret, & ſic locuſtam accipiens ſecum ad mare detuliſſet, niſi unus de piſcatoribus, qui hoc videbat, ipſum accepiſſet, & loco locuſtæ ſuper carbones comedendum poſuiſſet.*

CAPUT XX.
DE PEDICULO ET PULICE.

P*Ediculos* quidam ex carne gigni exiſtimant, & ſanguine nonnulli. At falſum utrumque. Nam primo in cute capitis naſci, in ſecunda & tertia hecticæ ſpecie abundare ſcimus; cum tamen & ibi minima ſit carnis portio, & hic maxime conſumantur. Deinde in febribus putridis, nullus illorum proventus eſt, & orta principiis ſuis atteſtantur. Has non atteſtari ſanguini, coloris oſtendit ratio. A materia igitur putri calida & humida, quæ in cute redundat, oriri quibuſdam videtur, in locis difflationi non patentibus. Deſerere mortuos experientia docuit, vel quia defuncti extincto calore refrigeratur ſanguis; vel quia frigidus mor-

mortuus eſt, ſi frigus fugiunt. *Nolanus problem.* 125. Qui ficubus frequenter veſcuntur, tentari putantur iiſdem. Cauſam in illarum ſucco ponit *Nolanus*. Hic enim in venis adauctus concalefacit ſanguinem, atque humidum deſpumeſcentemque efficit, qui quia natura ſua ad cutem tendit, ſubque illa retentus putreſcit, in pediculos vertitur. Certe ficus comeſſantes tubercula & verrucas in cute oriri ſentiunt. *Pulex* animal exile eſt, aurea tamen ab artifice Africano revinctum catena fuiſſe, & ſaliiſſe tradit *Scaliger Ex.* 59. & 326. Frequentiſſime partem illam, quæ ſubeſt inguinibus, lancinat. Quarta die tumor creſcere incipit, ad juſtam cum pervenerit magnitudinem piſum ſuperat, & ſcatet lendinibus. Radice Anchuſæ necantur: quin ſalvia contuſa & oleo ac aceto permiſta, contra eoſdem illinitur. Optimum bombicinum. In hoc enim, lecto ſi impoſueris, congregari dicuntur. *Franciſcus Georgius Venetus* Minovitonus, actius in lino infeſtare ſcribit, quam lana. Cauſam addit, quia ex eodem fonte Aquilonari prodeunt. Vtrumque enim Arietinum eſt & Martium. At *Aldrovandus* fieri exiſtimat, quoniam linum quam lana corpori vicinius eſt. Vnde in plicis camiſiarum reperiuntur eſurientes, in femoralium ſaturi, ubi & ova deponunt.

CAPUT XXI.

DE SCARABEO ET SEPIA.

IN Thraciæ Chalcida, quæ proxima Olyntho, paulo major area eſt, Cantharoletron dicitur. In eum ubi aliquod pervenerit animal, ab horreſcentia diſcedit, incolume tamen, ſolus ſcarabeus, locum circumambiens, fame denique emoritur. *Ariſt. in admirandis.* Inter ſcarabeos, fœmina non naſcitur, ſed eam, cum rotundam ex bubulo ſtercore effinxit figuram, vultu convolvit averſo, ſemine emiſſo gignit. *Clemens Alex. l. 5. ſtrom.* Carabos tamen per coitum

gigni, autor eſt *Aldrovandus*. Deprehendit enim menſe Majo ſpacio duarum horarum, albos fœminam peperiſſe vermiculos pluſquam 40. Curculionis figura. Erant autem erucæ parvæ bombycum progredientes modo, quæ quinque horarum ſpacio, folliculos tenuiſſimo conſtantes filo, candidos, magnitudine ſeminis melopeponis ſine cortice, cœperunt texere. *l. 4. de inſectis.* Generatione eorum prodi interlunium Ruellius prodidit *l. 2. de ſtirp. c.* 150. *Quandoquidem* inquit, *ex bubulo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando verſans, in orbis imaginem effingit; quam* 28. *diebus facto humi ſcrobulo, adobruens, tantiſper celat, dum ſigniferum ambiens luna ad intermenſtruum revertens ſileat; aperto tum orbiculo coitus ſiderum denuntians, novam prolem edit, nec aliam naſcendi novit originem.* Diviſi etiam vivunt, ſed roſarum odore interimuntur. *Sepia* ova edunt, myrti nigris baccis ſimilia. Cohærent inter ſe ad ſpeciem racemi, indivulſo nexu. Mas enim quendam ſuperfundit humorem, cujus compinguntur lentore. Pariunt omnibus anni temporibus, perſeverantque in edendo ovorum numero dies quindecim. *Ariſtot. hiſtor.* 5. *c.* 12. Cum ſe à peritis piſcatoribus captari cognoſcit, attramentum ſuum emittit quo circumfuſa, ab eorum removeatur oculis. Promuſcidibus piſciculos venatur. Vnde *Oppianus*,

Callida furtivam medicatur Sepia pradam.
Nam tenues molli ſurgunt de vertice rami,
Extenti tanquam funes, quibus ipſa natantes
Piſciculos, jactis veluti capiuntur ab hamis,
Pendens à fulva caule deprehendit arena.

Anaxilaus apud *Plinium* tradit tantam attramento vim ineſſe, ut in lucerna addito, Æthiopes videantur, priori abluto lumine.

CAPUT

CAPUT XXII.

DE SCORPIONE.

IN ſolitudinibus Brachmanum, bicubitales inveniri *Scorpiones* refert *Cedrenus:* in loco ubi Chriſtiani à Turcis venduntur, flavi coloris, digiti longitudine vidit *Nicolaus à Nicolais.* Alati ſunt in Ægypto, duplici inſtructi aculeo. *Ælian. l. 16. c. 42.* In Scythia ſi vel hominem percuſſerint, vel beſtiam, interimunt: Sues etiam quamvis cæteros virulentos non ſentiant ictus, pereunt, nigri præſertim ſi fuerint; quiſque tamen celerrime interit, aquam ſi adjecit. *Ariſtot. l. 8. c. 29.* In avitis Scaligerorum ſedibus, quæ ſub Noricarum Alpium tractu jacent, totam regionem colunt ſine maleficio. Tanta autem eorum ibi multitudo, ut nullum movere queas lapidem, ſub quo non offendantur. *Scaliger Exercit.* 189. In libris etiam naſcuntur ſine cauda. In orbem adeo gyrantur celeriter, ut quaſi circino perinde circumagi videantur. *Exercit.* 196. In regione Acridophagis adjacente, tanta illorum ex intempeſtiva pluvia orta quondam copia, ut incolæ ictibus vexati deſeruerint eandem. *Diodor. Sicul. L. 3. c. 3.* Fœtum à Scorpionibus devorari, unum ſolertiſſimum relinqui, tradente *Plinio* quidam aſſerunt, qui ſe ipſius matris imponendo clunibus, & à cauda & morſu liber ſit, reliquorum mortis vindex. *Plin. L. 11. c. 25.* At contrarium ſentit *Ariſtot. l. 5. c. 26.* Ictus illius peſtifer maxime eſt, in ſicciori præſertim regione, & ſub cane. Inflammari primo incipit locus, & indureſcit, ruberque intenſius. Æſtuat modo, modo occupatur frigore, conſequitur ſudor, horroris ſenſus & tremor, externæ partes frigeſcunt, extolluntur inguina, per ſedem flatus exeunt, capilli eriguntur, pallor decolorat membra. *Cardan. l. 1. de venen. c. 23.* Remedia varia inventa ſunt. Africani dormituris pedes & lectos illinebant allio, ut *Strabo* aſſerit; & Alexandrinus *Joviano Pontano autore*, quendam

ebibito thure contrito, in quo cælatum fuit Scorpii ſignum, ſtatim ſanatum eſſe teſtatur. Amittit etiam virus illius aculeus, ſi lapidem *Bezohar* tetigerit. *Iacob Hollerius l. 1. c. 1. de morbis internis*, ex frequenti herbæ Baſilicæ odoratu, natum fuiſſe cuidam Italo in cerebro ſcorpionem, ſcribit. Avicennam vero amicum habuiſſe, qui cum vellet, ex putridis lignis ſcorpiones generaret, *Albertus* refert, addens, ex illis alios genitos fuiſſe.

CAPUT XXIII.

DE TEREDINE ET TARANTULA.

TEredo in ligno eſt, ex quo potiſſimum, illi cibarum natura facit. Quamvis autem in multis naſcantur arboribus, quercu & tilia exceptis; ſunt tamen & aliæ, in quibus non dantur. Tradit enim *Theophraſtus*, & cum eo *Plinius*, abietem circa germinationes decorticatam, aquis inoffenſam durare. *Patuit*, inquit *Theophraſtus hiſt. 5. c. 5. id apud Pheneum Arcadiæ, cum obſtruſis faucibus, campus in lacum redundavit. Tum enim eductis pontibus ex abiete, cum amplius extumeſceret aqua, aliis ſuper aliis fabricatis, poſtea extruſis obturamentis unda erupit, diſceſſitque univerſa materies, incorrupta comperta, ſed forte caſuque innotuit. Vincentius ex authore libri de natura rerum*, pro miraculo ponit, buxum & albam ſpinam quæ duriſſimæ arborum, vermes progignere. Quin nux Euboica nunquam putreſcit. In Tylo denique Arabiæ inſula, materia eſt in aquis inoffenſa permanens: Ducentos enim demerſam annos inviolatam manſiſſe, annotatum eſt. Phryges ſi *Rhodigino credimus*, albidos obeſoſque vermiculos capite nigricante, qui à carioſis promuntur materiis, inter delicias habuiſſe, & luxuriam fuiſſe qui Xylophagia comediſſet. Indorum Regem, vermem quendam in planta naſcentem, ſecundis menſis igne toſtum abhibuiſſe refert *Ælian.* In Inſula denique quadam

Tala-

Talacha dicta vermes ſimiles iis, qui in lignis putridis exiſtunt, principibus in menſis gratiſſimos eſſe. *Iohannes de Mandevilla* author eſt. *Tarantulæ* ſpecies ſunt aranearum à Tarenta urbe. Sine noxa videntur conſpectu, at morſu in ſymptomata inducunt varia. Icti enim à Tarantulis alii perpetuo canunt, alii rident, alii plorant, alii clamitant. Nam atra bile tentatis pro eorum temperamentis, omnia hæc adeſſe conſpiciuntur.

CAPUT XXIV.
DE VERMIBUS.

ARTICULUS I.
DE VERMIBUS IN BRUTIS.

VErmium mater putredo eſt, quæ unde oriatur, generalia naturalis ſcientiæ præcepta explicant. Hinc quia in Guinea magnæ exiſtunt putredines, ob continuas aëris intemperies, vermium haud exigua ibidem invenitur copia. Intemperiem autem humidam & calidam illis gignendis eſſe idoneam exinde oſtenditur, quod æſtivis menſibus, auraque ſubtepida, horti plerumque limacibus, carnes vermibus abundent. Reperiuntur in brutis, plantis, & homine. Anno 1562 nefanda pecori lues fuit, natis circa regionem hepatis vermibus, ut *Cornelius Gemma* teſtatur. Ovium & arietum biſulcis ungulis vermiculus adhæret, qui niſi in comedendo eximatur, nauſea & ventriculi afficit dolore. Mullus piſcis ter tantum in vita parit, reliquo ſterilis tempore. Nam in ejus utero vermiculi naſcuntur, qui ſemen devorant. Aliis minuti quidam innaſcuntur, qui partum expellunt.

ARTICULUS II.

DE VERMIBUS IN HOMINE.

REperiuntur & in homine vermes. Nam & datur interdum ſufficiens agens & illorum intra corpus materia, & multa exempla paſſim apud autores reperiuntur, quæ teſtantur jam à nobis poſitum. Anno 1549. multi in Hungaria circa Thayſæ fuere flumen, in quorum lutræ & lacertæ inventæ corporibus. Viſus *Wiero* ruſticus, qui vermem octo pedes longum excluſit, rictu oris capiteque anati ſimillimum. *l.* 3. *c.* 15. *de præſtig. dæmonum.* Lovanienſis puella, teſte *Cornelio Gemma*, multa prodigioſa excrevit, inter cætera animal vivum, ſeſquipedem longum, pollice craſſius anguillæ plane ſimile, niſi quod cauda piloſa fuerit. Puella apud Dodonæum, erucis ſimillimos ejecit, multipedes, & quidem adhuc vivos. *Hollerius l.* 1. *vermem* ſe in cerebro natum vidiſſe aſſerit. *Benivenius c.* 100. *Exemp. med.* Denique amicum ſe habuiſſe ſcribit, qui cum dolore capitis acuto, delirio, caligine oculorum & aliis pravis ſymptomatibus affligeretur, vermem tandem è dextera nare, palma longiorem ejecit, quo propulſo omnis ſtatim cum eo amotus languor. *Theophraſtus* de lumbricis ita *ſcribit hiſtor. plant. l.* 9. *c. ult.* Lumbricus gentium nonnullis natura ineſſe percipitur. Habent enim eum quaſi ex partu Ægyptii, Arabes, Armenii, Syri, Cilices; è diverſo Thracibus & Phrygibus nullo pacto innaſci narrant. Inter Græcos Thebanis ſcilicet verſari in Gymnaſiis ſolitis; & ad ſummam Bæotis innaſci lumbricum novimus. Athenienſibus nullo pacto. Admirandus vero ille vermis erat, quem mulier Illyrica ejecerat. *Erat* enim (ut *Amatus Luſit. curat. medic. Cent.* 6. *c.* 74. deſcribit) *longitudinis quatuor cubitorum, latitudinis parva, & forte ſemiunguis exigui, coloris albiſſimi, ſubſtantia inteſtinorum, neſcio quid ſpolii colubrini præ ſe ferentis.*

Nam

Nam hujus caput verrucoſum erat, & album, ex quo corpus latum procedebat, & quo magis ad caudam accedebat eo ſtrictius evadebat. Erat autem vermis hic unum tantum corpus, diviſiones plures habens. Hujus namque lati lumbrici portiuncula ſemina cucurbita præ ſe ferebant, qui intra ſe nihil continebant, ob corporis ſui lati compreſſionem.

ARTICULUS III.

DE VERMIBUS IN PLANTIS.

Plantis omnibus, ut herbis, fruticibus, arboribus ſui ſunt vermes. Exitioſus qui in radicibus. Arbor enim quantacunque ſit & floreat, exareſcit, ut teſtatur *Aldrovandus l. 6. de Inſectis c. 4.* Suntque fidi teſtes, qui in radicibus quercuum, Vermem adeo veneficum innaſci credunt, ut calcatus ſolum plantas pedis excoriet. Reperiuntur parvi atque candidi in ſpongiola cynosbati, quæ quidem foris piloſa & mollis, in medio autem tam duræ ac ſolidæ ſubſtantiæ, ut vix acuto inſtrumento pertundi queat. In Albuco gignuntur, qui in aliud animal volatile, floridumque transfigurantur, quod, cum herba florere incipit, eroſo ſtatim operculo avolat. Prodidit *Plinius l. 10. c. 6.* quoſdam putare, quod Ocymum commanducatum, & in Sole poſitum, vermes adferat. Si nucum juglandum cortices virides contuſeris, & in aquam immiſeris, deinde terram madefeceris, aut conſperſeris, naſcetur vermium copia, utilis admodum piſcatoribus. *Carol. Stephan. Agricult. l. 3. c. 34.* Quemque autem vermem, in ſua natum arbore, in aliam tranſlatum non vivere ſcribit *Theophraſtus 5. de cauſſis plant.* Narrat etiam *Ioachimus Fortius* ſe vidiſſe, qui ex avellana, quæ vermem continebat, affirmabant ſerpentem magnitudine & forma educatum. Nam nuce uſque ad vermem diviſa, eoque illæſo, nucem in lacte condebant, & vas Soli exponebant, ſed ita ut vermis à Sole haud tangeretur. Ob id, ea parte, qua

Sol

Sol radiabat, vas contegebant, ita multis diebus alebant. Poſt lacte addito, rurſus exponebant Soli. Lac autem ovillum eſſe oportet. Referunt etiam vermem, qui in rutæ foliis invenitur, iiſdem educatum viginti diebus ſupervivere. De cauſis eorum plane & plene *Theophraſtus*, cujus verba appono. *Mali morbi autem* (ut in ſumma dixerim) *omnibus ſeminibus, ob alimenti cœlique temperiem eveniunt, videlicet cum plus minuſve alimentum præbetur, aut aër immodice humidus ſiccuſve eſt, vel etiam cum non tempeſtive humeſcit. Sic enim & vermes ciceri, cicercula, piſoque innaſcuntur, & erucæ cicerculis, cum priuſquam fuerint reſiccatæ, dies interim fervidi acceſſerint; ciceri vero cum ſalſugine ablata dulcedinem ceperit: quippe natura ubique animal gignit, modo calor cum humiditate ratione debita coeat. Humiditas enim ſeu materia ſubjacet calori, ad excoctionem conficiendam, quod vel in tritico evenire videmus. Vermes enim ejus radice creantur, cum poſt ſementem flatus Auſtrini crebro inceſſerint. Tunc enim radice humeſcente, & aere calido, radicem caliditas putrefaciens animalia procreat. Vermis inde enatus continuo radicem erodit. Singulis enim ex eiſdem rebus generationem alimentumque natura præſcripſerat. Alterum genus vermis ingignitur, cum humor effundi nequit, concluſus ſiccitate aeris circumfuſi; tunc enim color, confecta putredine contrahit. Tunc pabulum idem ei quoque ſubminiſtratur. Hoc idem & malis & omnino arboribus evenire videtur, quæ ex ſiti vermiculantur. Quod enim parum humoris ſit, idque in arbore maneat, putredinem conficit, ex qua vermis, contra enim alimenti copia ſuppetit; tunc enim ſuccus ad ſuperiora tranſmittitur, & quia largior vincit, nec poteſt putreſcere. Huic proximum, quod & vitibus evenit. In his enim Auſtro potiſſimum vermes ipes vocitatæ gignuntur, utpote cum iſta humeſcant, & aer fœtificet, tum ii quoque materiem ſibi congenerem ſtatim erodunt. Item carpæ in oleis pari ratione creantur, & quæ in reliquis ſolent conſiſtere, & cum germinant & cum florent, vel & poſt florem. Enimvero omnia ex ſimili cauſa proveniunt. Sed vitibus hoc potiſſi-*

tiſsimum evenit, quia natura prahumida ſunt, & humor earum inſipidus ſit atque aquoſus. Humor enim, qui talis eſt, facillimè affici poteſt. Nonnunquam ipes omnino nequeunt generari, ſed loco placidi ſpiritus, neque humido, neque ſucceſo.

ARTICULUS IV.
DE VERME INDICO ET MARTII.

IN Gange haud parvo miraculo dicuntur Vermes binis brachiis 60 cubitorum cærulei eſſe; hiſque tantæ adſcribuntur vires, ut Elephantes ad potum venientes, mordicus comprehenſa manu eorum abſtrahant. *Ælianus* vero Vermem Indicum facit ſeptem cubitorum in longitudine, craſſitudine tali, ut decem annorum puer vix complecti poſſit. Ei in ſuperiori oris ſede unus dens eſt, & inferiori alter, ambo quadranguli, ferè cubiti longitudinem habent, tam validi, ut quodcunque animal iis comprehenderit facile conterat. Interdum ima in ſede fluminis verſatur, cœno gaudens & latitans: Noctu vero ad terram procedit, & in quodcunque inciderit, corripit. Ejus pellis duorum digitorum craſſitudine eſt: modus eum capiendi iſte. Hamum robuſtum ad ferream catenam alligant, adjuncto etiam fune ex albo latoque lino. Lanis autem & funem & hamum involvunt, ne à verme præmordeatur. Tum agrum aut hœdum ad illecebram in hamum implicant: deinde in fluvium demittunt, Triginta viri ſinguli cum jaculo, loco inſerto, & enſe accincti, & è cornu ſudibus inſtructi benè robuſtis, ſi percutere ſit neceſſe, adſunt; hamo dein correptum trahunt & extractum interficiunt; triginta dies appenſum ad Solem relinquunt, atque ex eo in fictilia vaſa craſſum oleum ſtillat; ſinguli vermes quinque olei ſextarios reddunt, corpus reliquum inutile. Hujus ea eſt vis olei, ut ſine ullo igne, ejus infuſa hemina quemcunque lignorum acervum comburat. *Ælian.* Eodem igne Perſarum regem ajunt cepiſſe hoſtium

ſtium urbes. Non extinguitur, niſi luto copioſo & craſſo. Mira vero videtur Martii vermis in Germania ratio, qui fœtum tantum in fœtentibus & putidis aquis gignit, qui inteſtinis ſimilis eſt, & ſola arena veſcitur. Si nudis pedibus quis aquam illam ingrediatur, ubi genus hoc animalculi in ſummo aquæ detinetur, circulum in cruribus recipit, ad eum uſque locum, quo aqua pervenerit. *Card. l. 7. de var. c. 37.*

CAPUT XXV.

DE VESPIS.

Veſpæ tum maxime generantur, cum equorum aut boum coria lupinis eroduntur dentibus. Aliquando in capite cervi reperiuntur, in naribus nonnunquam. Hujuſmodi autem veſparum fabrica mirificè conſtructa, ad *Pierium Valerianum* cum Belluni eſſet, ex cujuſdam ſylvæ ſolitudine allata eſt, quam hoc pacto deſcripſit. *Septem ſunt concamerationum orbes, alter ſuper alterum, duorum digitorum intervallo impoſiti, pilarum, columellarumque interſtitio diſtincti, ut unicuique commodum ſit ſpacium, ad eundum & redeundum ad domos ſuas. Diameter orbium, ad quintum uſque, duodecim circiter digitorum à quinto: reliqui faſtigiatim coarctantur, ut ultimus ad quinos ſenoſve digitos porrigatur. Major orbis primum quidem tabulatum, antiquo arboris ramo appenſus erat, cruſta ſuperne ad omnes ventorum & pluviarum injurias contemnendas, ſolidata munitaque. Infra Hexagonales cellæ confertiſſimæ, ita reliqua tabulata eadem cruſta celliſque eiſdem fabrefacta, ſuiſque columellis ſingula ſuſtentata. E ſuperioribus vero ſtationibus beſtiolæ omnes advolaverant; medias concamerationes innumerabilis multitudo impleverat folliculo quodam tenuiſſimo: pro tegumento uniuſcujuſque loculi ſuperinducto, quorum aliquot cum ſuſtuliſſem, adverti veſpas capitibus ad imum redactis domos eas omnes compleviſſe. Quæ vero in inferioribus erant tabulatis, tanquam Embrya videbantur vermiculorum inſtar imperfecta,*

perfecta, ipſa quoque eo tegumento, tanquam hyberno cochlea, ſed admodum tenui præmunita, in benigniorem verni temporis horam aſſervabantur; quæ tamen omnes, ſi quidem gravis hyems fuit, ibidem extincta ſunt; neque tamen computruit quicquam, & tot jam annos eadem forma ſtatuque ſpectantur: Vivaciſſimæ ſunt. Nam & alvi à pectore ſeparati diu vivunt, & aculeo nonnunquam poſt inediam & horam pungunt tangentem. Veſpam ſi quis cruribus arripiat, bombumque edere ſiverit, non eas, quæ aculeum habent, ſed quæ carent, advolare, laturas auxilium, ab *Ariſtotele* docetur. Si ante Octobris apparuerint finem, hyemis præſagiunt longitudinem; ſi ante veſpertinum vergiliarum exortum ſubterraneos ſpecus glomeratim ingrediantur, idem ſignificant. Examen veſparum natura calamitoſum auſpicium facere probatum eſt, quod *Livio* placuiſſe videtur, cum Capuæ ingens in forum advolaſſet, & in Martis conſediſſet æde. Collectæ enim cum cura & igne crematæ ſunt. Hinc decemviri libros adire juſſi, & novendinale ſacrum factum, & ſupplicatio indicta, atque urbs luſtrata eſt. Si quis aqua deſtillationis, vel decoctionis, crabronum aut veſparum cutem alicujus attigerit, ſic intumeſcet locus, ut hydropis aut veneni, magnæve alicujus ægritudinis ſuſpicionem ingerat, ſed abſque dolore. Remedium eſt theriaca pota, vel loco illita, ex *Mizaldi Memor. Cent. 7. &c.*

APPEN-

APPENDIX

AD CLASSEM VIII.

In qua Andreæ Libavii Medici Clariſſ Obſervatio Bombicum, hiſtoria ſingularis; Anno 1599. *Rotenburgi.*

CUm difficile ſit ſingulorum auctorum ſententias & experimenta ad amuſſim explicare, quæque illi diverſis temporibus, aut locis obſervavere, ad unam hiſtoriam revocare, proque hujus fide damnare vel aſtruere, quod quiſque verum uſu & notatione rerum deprehenderit: ubi forſan eveniet ut nec Plinius, nec Pauſanias, nec cæteri, qui videntur ſecus ac à nobis cognitum eſt, commentati eſſe, repudiandi exiſtimentur: adjiciam ſpecialem hiſtoriam bombycum domeſticorum, quam anno ſalutis reparatæ 1599. Rotenburgi ad Tubarim ipſe ex diligenti iſtorum cura & attentione ad naturam, & opera conſignavi, velutique in diarium conjeci. Si quid diverſi in India, Græcia, Italia, & alibi aliis temporibus, miniſterio, educatione, conſuetudine, & cæteris, perſpectum eſt: quanquam natura dicatur ſemper agere eodem modo, nec niſi accidentibus variare: id quoque conferent, qui notaverint, ut ſic ex multorum experientia naturæ hiſtoria accipiat incrementum & abſolvatur.

Circa vigeſimum quintum Aprilis ova bombycum in charta ſimplici ſuperiore anno procreata, & per hyemem in tepidario cubiculi ſervata exponebam Solis radiis per feneſtrales orbes incidentibus. Quæ plumbea ſeu nigra erant non quidem omnia uno die in eruculam abibant, ſed tamen ante finem ejus menſis cuncta, ſub auroram potiſſimum vermibus erumpentibus, prout quiſque perfectionem ſuam

erat

erat conſecutus, relicta vacua teſta ſeu putamine coloris albi, in latere orbiculo eroſo, qua in parte extremitates nonnihil nigreſcebant, propter terminum rodendo acceptum. Punicea, & citrea, ſive pura, ſive nigro puncto diſcreta, nihil edebant, quod vel intacta fuerant maſculo ſemine, vel principium in eis ſuffocatum. Hæ erucul æ intra ovum nanciſcuntur ſuam ſpeciem, & in circulum convolutæ jacent, unde exeſa teſta primum nigrum ſplendenſque caput exerunt, poſtea tractim prorepunt oſculo, & pedicellis niſu ſuo, & in pavimentum impactione, adminiculum præbentibus. Statim tunc notavi filamenta ab oſculis dependere, eaque tenuiſſima ut vix conſpicias, niſi obvertas luci. His ſeſe librant, pendentque à foliis, aut etiam ſicubi delapſæ ex altiore loco eum repetunt, vel experiendi gratia ſuſpenduntur, multiplici flexu involvunt, atque ita ſurſum contendunt, more vulgarium erucarum arborum folia & flores depaſcentium. Vermiculus niger eſt & piloſus cum albo circulo in confinio pectoris & cranii, & alio in ea regione, qua venter contingit pectuſculum, eique cohæret, qui tamen ob piloſitatem non eſt admodum conſpicuus in prima ætate. In fine dorſi, ubi eſt alvi exitus, pinna quædam parva prominet. Et plane cætera forma eadem eſt cum bombycum ſpecie, niſi quod hirſuties & nigredo per aliquot pellis mutationes in glabritiem ſplendentem, albedinemque tranſmigrent, & ex parvula beſtiola fiat vermis, medium digitum viri mediocris tribus articulis junctis longus, craſſus fere auricularem, quanquam non omnium eadem ſit magnitudo. Invenias aliquas eruculas cum caudæ plectro triplici, aut duplici, ita ut majus ſurrigatur ex circulo ultimo dorſi: minora ex ſubjecta ſtatim lorica caudæ. Unum vidi majus hinc inde binis ſtipatum minoribus, in quorum loco alis duntaxat ſunt protuberantia puncta. Progreſſio erucarum eſt ut bombycum. Nam caudæ fulcra pavimento infigunt, & poſtea tractim per circulos ſeſe promovent, ſublatis primo partibus, inter caudam & pedes poſteriores: poſtea his fixis interſtitio

inter

inter pectus & pedes, donec ad pectus ipſum & pedes anteriores ſit perventum, quibus hærentibus cauda viciſſim tollitur & fulcitur greſſus. Nam motus animalium fit aliquo quieſcente & ſtabilimentum præbente. Natis ſtatim præbui tenera mori folia, in quæ transtuli eas cultello levi, vel etiam ſivi per ſe irrepere in folia, cum quibus eas ciſtellæ ligneæ demandavi. Invadunt autem folia ab extremitatibus & planitie ſuperius, inferius. Non enim impediunt roſtri appendices. Ita paſcebantur ab ultimo Aprilis, & circiter, uſque ad octavum Maji, quo animadverti primam ſenectam poſitam, quæ erat oſcillum nigerrimum ſplendens, cum exili nigra pelle. Solent autem aliquanto ante quaſi cunctari, & dormire ſomnum renovatorium, ſi quidem ſomnus eſt appellandus. Abjecta ſenecta, ſtatim apparent grandiores, leviores, & nigredine dilutiore. Nam corneum capitis tegumentum, quod ſubnaſcitur veteri, ſecundum proportionem majus eſt. Detracta pelle, etiam intumeſcit reliquum corpus, quaſi prius incrementum prohibuerit anguſtia corii. Idem tegumentum ſeu cranium capitis cum recens eſt, albicat, poſtea cum firmatur, itidem evadit nigrum, donec plures procedant mutationes. Sicut autem ante poſitionem leberidis abſtinent eſca, ita & poſt aliquantulum quaſi pigreſcere videntur: nam tenerius eſt inſtrumentum quam ut carpere folia poſſit. Dum percurſitant folia, non raro altera alteram tranſit, idque patitur ea placide niſi nimis offendatur. Tunc enim ſublato pectuſculo capita concutiunt hinc inde motitantes, idque etiam bombyces faciunt. Semel atque iterum tunc præbetur pabulum, & anguſto in loco degit multitudo. Cum ſatis comederunt, ad dormiendum inducuntur. Tunc videas eas inſtar ſtatuarum, aut eorum qui catoche laborant, pectuſculis ſublatis cum oſcillo in foliis quaſi obriguiſſe. Sed ſi pabulum novum injeceris, ſtatim excitantur & comedunt rurſum. Olfactu videntur folia deprehendere nova. Nam etiam nondum tangentia erectione corporis affectant. Fieri tamen idem etiam alteratione quadam qualitatis tactilis putes. Excrementum

mentum alvi tunc exile eſt, & nigrum inſtar pulveris pyrii.

Decimo ſexto Maji aliquæ ſecundo mutarunt pellem, aliquæ quieverunt, & ſequentibus diebus exuerunt membranas. Rumpuntur eæ in capitis confinio, hærenteſque foliis manent, eruculis per circulos ordine motos ſeſe expedientibus. Oſcillum etiam non ſtatim cadit, ſed pendet aliquanto ſpacio ab ore novo.

Tunc color niger in gryſeum mutatur, & erucæ grandeſcunt magis. Pectus tamen album conſpicitur, plerumque ſucci adeo, ut pellucere credas. Quoniam autem non uno die omnes mutant corium, ſi placet, potes pares ab imparibus ſegregare. Sed ego unà reliqui, tantumque recentibus ſuppeditavi novam eſcam, cæteris in veteramentis adhuc conniventibus, & metamorphoſin expectantibus. Non enim tunc potes ſtabulum expurgare, ſed differendum negotium eſt, donec evigilarint, & poſſint in folia pellici nova. Tertia mutatio incepit 2 Maji, quo dormierunt multæ, aliquæ etiam pellem devolverunt. Ea non amplius tam nigra erat, ſed albedinem præ ſe ferebat cum oſcillo, ipſique vermes exibant candidiores, relicta ſenecta, corrugata magis quidem ea, quæ non adhærebat foliis per filamenta, minus autem ea quæ affixa erat. Nam hæc in longum porrigebatur trianguli ſpecie, ratione altitudinis. Etenim dorſum acutum ſurgit è medio, quod quidem ego fieri puto per caudæ apicem eo traductum, & elevantem corium. Extremitas poſterior hujus leberidis eſt inſtar caudæ piſcium bifidæ. Paſcebantur erucæ liberatæ rurſum, uſque ad 25. quo ſomnum renovantem animadverti, & aliquas etiam eodem die novas: ſed 26 dormiebant plures, aliquæ etiam 27, paucæ 28 & 29, ita ut jam majus eſſet diſcrimen. Quæ tamen dormiebant 27, eæ ſequente mutabantur, & ad pabulum poſt cunctationem aliquam redibant.

Hac quarta mutatione ex erucis facti ſunt bombyces glabri & albi, cum maculis tamen plumbeis, & oſcillo albi cornu inſtar. Hic eſt menſis primus vitæ, & prima

& prima ætas. Sed cum in tertia & quarta renovatione cuticulæ omnia ſint notatu faciliora, pateantque liquidius, uti obſervavi, accuratius paulo deſcribam. Erucæ tertiæ & quartæ mutationi vicinæ, pellem habent ſubſquallidam aſpectu, & rigidiorem quam vermis incrementum ferat Itaque ſubtus naſcente cuticula molli abſcedit paulatim, & quia cohærent nerveis quibuſdam vinculis in utroque latere, qua ſunt punctorum veſtigia, hæcque non facile diſtrahuntur, major niſus eſt in exeundo, & quies fere biduana. Cum itaque foras contendunt, vetus oſcillum corneum ſeparatur à ſubnato novo; vermis ipſe, ſiquidem affixa folio leberis eſt, pedes & cruſcula convellit, modo contrahens, modo remittens, donec ex ocreis vetuſtis eos extraxerit. Interim & cutis laterum corrugatur, corpore per ſquamas diviſo in ſe contracto iterumque extenſo. Sic toto corpore laxantur exuviæ. Mox in anterius ſeſe promovet vermis, & lateralia vincula paulatim ducit, promotis ordine ſquamis iterumque reconditis, ut fere initio dubites πρόσω an ὀπίσω exiturus ſit vermis. Sed tamen iſto modo vincula abrumpuntur. Primum juxta pectoris confinia obſervatur promotio. Ibi enim puncta ſecedunt, & duo in verme, duo in leberide apparent. Dum porro ſquamæ trahuntur, quaſi linea violacea exiſtit in latere utroque ſenectæ, tum ob puncta, tum vincula intus applicata lateribus. Interim cauda rugatur, pedes exinaniuntur, prorepitque octava horæ parte vermis novus, vetus oſcillum ori præfixum habens, ut mulus capiſtrum. Videas in extremitate caudæ etiam chordam albam trahi, qua pellis dorſo cohæſit. Facilius enituntur affixi, ſoluti vero miris modis ſeſe convolvunt in dorſum, latera, ventrem, donec tandem expediantur. Et horum leberis in globum fere coacta eſt, illorum vero extenta. Si duo extrema unguibus prehendas, & diducas, juſtam longitudinem recuperes, cum veſtigiis pedum omnium, & ſquamarum. Nihil enim deeſt præter oſcillum. Longe autem candidior quartæ mutationis cutis eſt quam tertiæ, ut & cranium. Vermes ipſi, jam bombyces ſunt, modo recte & ſedulo ſint curati

& enu-

& enutriti, pingues candidique, quanquam alii aliis minus, adeo ut videantur nonnulli ſubflavi eſſe, alii ad plumbeum nonnihil accedere. Pedes & ora initio ſunt mollia. Itaque & tactu foliorum & comeſtu aliquantulum abſtinent. hærent eis pertinaciter, & caudæ quidem adminiculo poſſunt retrahi & explicari, pedes autem poſteriores obtuſiores craſſioreſque tribus quaſi articulis conſtantes in medio nigrum punctum habent, quem ego puto eſſe prehenſionis inſtrumentum, quod queat pro arbitrio, ut ungues felium, promi & recondi. Anteriores non tantum gradiendo inſerviunt, ſed & prenſando folia, trajiciendo corpus, diſtribuendo fila & aliis uſibus. Partes ſecundum longitudinem à capite ad caudam in dorſo ſunt caput, gibbus ſeu tuber pectoris rugoſum, octo ſemicirculares ſquamæ & tripartita cauda. Tuber pectoris in capitis confinio aliquibus albet, aliquibus diſtinctum eſt maculis duabus lividis, quas dividit linea flava, quæque diverſis diverſimode ſeſe habent. Nam color aliis remiſſus, dilutuſque & fere evanidus eſt, aliis intenſior. Qua vero ſeſe attollit ille gibbus, quatuor nodi conſpiciuntur, quibus aſſiſtens cutis, rugoſa efficitur. Sequuntur ſemicirculi; Hi junguntur membrana tenuiſſima tanquam linea viridante ex cœruleo. Ipſæ vero ſquamæ albent, quamquam in nonnullis aliquid plumbei ſubluceat: & cum jam maturi ſunt bombyces ſericificio, ſpicei evadunt. Singulæ etiam in utroque latere inſigniuntur puncto, quem ambit circulus parvus. Dixi ibi vincula eſſe, id quod etiam apparet in chryſalide. Deinde ſquama octava, aut duobus punctis lividis diſtincta eſt, aut ſemicirculis lunatis, quaſi duas lunulas ſe mutuo reſpicientes cornibus inſcripſiſſe. Verum tamen non ſunt pares in omnibus. Nam alicubi magis ſunt conſpicui, alicubi evanidi, ſubtiliores, tenuiores, magis plumbei, magis albentes &c. Hinc bini circuli leves, poſt quos qui ſequitur, duos nodos habet, uſque ad eum qui podici imminet, & apicem ſeu cuſpidem ſurrigit. In majoribus obſervantur protuberantiæ in ſquamis ſingulis, ſed tamen hæ ſunt eminentiores in tertiis. Cranium ipſum corneum quidem eſt,

eſt, ſed diviſum quaſi in tres partes, dexteram ſcil. & ſiniſtram, quas putes oculorum notas eſſe, & deinde oris compagem, quæ iterum in appendices, & maxillas ſuas, in quibus ferratæ dentium figuræ, diſtinguuntur. Per totam dorſi longitudinem gula protenditur uſque ad fulcra caudæ, ſuper quibus inter ultimam ſquamam eſt exitus alvi. Conſpiciuntur etiam in dorſo uſque ad plectrum caudæ, quidam nervi continua diaſtole & ſyſtole mobiles, quo pacto moveri cor & arteriæ ſolent. Et hi nervi ex albedine flavent, cumque diſtrahuntur, viridem gulam, ſeu inteſtinum detegunt. Cohærent plectro, tanquam ibi eſſet reſpirationis quidam exitus, quanquam non reſpirent. Sed vitæ ſedem ibi eſſe non eſt dubium, licet deprehenderim in nymphis partem quandam rubeam, ut infra docebo, palpitantem per ſe ſolam inſtar cordis. Cum reſecatur illud plectrum, exit humor liquidus ſubflavus, & vermes ipſi non quidem moriuntur, ſed tamen moventur vehementius, ſeſeque convolvunt, & reflectunt, ut judices dolorem exoriri acerbum, nerveo principio læſo. Stercora cibum referunt, ſuntque ſicca, ſexangula, oblonga, quaſi ſtellata, unde inteſtini vel alvi diſpoſitionem quis colligere poſſit. Virent quidem ex eſca, ſed tamen quia ſtipantur denſe, & exucca ſunt, nigra apparent, ſicut plus virideſcunt humidiora. Fœminas à maribus diſtinguere hic jam queas ſi attentus ſis. Evenit enim & in his, quod de aliis fœminis ſcripſit Philoſophus, ut ſcilicet ſint majores, & pinguiores, humidiores, molliores, candidioreſque maribus, qui ſunt auſteriores, maculis lividiores, tenuioreſque. Si digitis attrectes, omnes frigere animadvertas. Sæpe ſeſe erigere ſolent in pedes poſteriores & tanquam ſtatuæ ſic manere. Cum veſci volunt, foliorum margines, & venas protuberantes invadunt, contra ac erucæ. Puto obſtare appendices oris, præſtat tamen aliquid adjumenti pedum anteriorum in tenendo cibum officium. Exedunt autem folia circulariter ſeu in orbem, ut lacuna maneat rotundi ambitus. Paſti ſecedunt, & conjuncti multi quaſi cumulo quieſcunt, de-

lecta-

lectari puto mutua calefactione & tepore: ut dormientes à mutaturis pellem diſcernas, obſervanda erit nervorum in dorſo ſyſtole & diaſtole. Nam in dormientibus par eſt vigilantibus motio, at in exuvias poſituris tardior obſcuriorque, ut intelligas tunc potius ægrotare. Deinde dormientes os habent ſimplex, ſed ſenectam abjecturæ præferunt oſcillum. Verum hoc non in bombycibus ſed erucis adhuc locum habet, quidam jam quater renovati circa caput polluuntur fuſcedine, & tamen pergunt veſcendo. Quidam non proficiunt admodum incremento, ſed parvi manent.

Dictum ſuperius eſt à Maji 25. quartam mutationem in pelle uſque ad 29. ejuſdem in diverſis factam eſſe. Ab hoc itaque tempore uſque ad ſeptimum Junii, & deinceps per octavum, nonum, decimum, undecimum, ſtudioſè affectarunt paſtum, itaque pingues, & grandes evaſerunt, fuitque ter die & ultimus diebus quater, vel ſæpius præbendus cibus. Nam cum ſericio & maturitati ſunt vicini, vorant contentius, invadentes folia cupidiſſimè atque & nervos abſumentes. Notabis autem circiter tredecim dierum ſpacium interceſſiſſe inter renovationem quartam, & à cibo abſtinentiam ſeu ſericii meditationem. Reſpondent enim ſibi tempora à 25. Maji ad 7. Junii, à 26. ad 8, à 27. ad 9, à 28. ad 10. à 29, ad 11. quo ultimam incluſi, excepto uno parvo maſculo, qui diutius perſeveravit in paſcendo. Jam circa ultimos dies pleri que incipiunt ſpiceum colorem adipiſci, qui à poſteriore parte incipit evidentius apparere, hincque ad gibbum pectoris ampliari & progredi, quamquam aliqui magis & fere toti flavent, aliqui albi miſto cæruleo manent. Cum fata inſtant ſecedunt ad latera capſulæ, nec adoriuntur folia ore, quamquam perreptent. Nonnulli ad angulos fila figunt, quaſi jam exorſuri veſtibulum: alii repunt per extremitates, & hinc inde ſpeculantur, inquiruntque aptum latitandi locum. Incluſi pleroſque cucullis chartaceis, quos alicubi commodè diſpoſui & affixi, in quibus rodendo, vellicandoque parietes, aliquantum ſtrepunt, ſed poſtea alvi

ſicco & humido excremento (nam tunc duplex emittunt) projecto, ex poſterioribus parietibus chartæ affigunt ea tenacitate, ut glutine firmatam putes. Poſtea triduo continuo occupati folliculum pertexunt, quo abſoluto, quintam ponunt pellem cum capite & cauda, transformanturque in nympham. Aliquos non incluſi chartis, ſed in capſula lignea diſpoſitis ramuſculis ſivi ſibi locum nidi eligere: ubi obſerves potiſſimum ſequi angulos, & latebras, & plerumque multi eodem in loco bombycia faciunt, ſi fieri id poſſit, alii ſtatuentes ea in rectum, alii in obliquum, alii in latum. Si locus eſt anguſtior, comprimitur à latere folliculus, nec plane ovalem tumorem retinet; eſt alius alio longior, amplior, denſior, pro magnitudine & firmitate bombycis. Diſcrepant etiam colore. Sunt enim aurei, argentei, citrinique & hi duplices. Quidam enim virorem referunt, quidam plus ad citrinum declinant, quamquam hi omnes ab aliis ſoleant virides appellari. Omnium prodromus, quantum ego obſervavi, albet, præter paucos, qui ſtupam ſubcitrinam præmittunt. Aurei aliqui etiam internam tunicam habent albam, nec eſt ſtabilis color citrinus. Nam cum explicantur ex aqua folliculi candidum fit filum, in lixivio flaveſcit &c. Sed operæ precium eſt contemplari ſerici materiam, & quid ſit id, quod tanta longitudine continuum præbet filum.

Cum itaque grandem vermem vagabundum conſpicerem, funiculum collo injeci, & ad ſectionem protraxi. Vixit pertinaciter etiam coarctata gula, exquiſitè ſenſit. Nam ad ſingulas inciſiones dorſi, etiam vix applicato cultello, violenter ſe convolvit, quaſi ore & anterioribus pedibus ſibi opem laturus. Diviſa cute conſpexi longum inteſtinum quale eſt lupi piſcis, anteriore parte tumidum & capax, poſteriore arctius. Ei inteſtino nervi ſeu arteriæ pulſatiles cum continua ſyſtole & diaſtole incumbebant, & deſinebant in plectro caudæ. Hoc reciſo, non tantum humor flavus perſpicuus erumpebat, ſed & capita nervorum in motu inde ſeſe exerebant, & agitatio fiebat languidior. Habet au-

tem

tem inteſtinum duplicem tunicam, unam externam tenuiſſimam. Craſſa ſentit accurate, eſtque juxta gulam viſciditate multa obductum, quæ poſtea fit materia alarum, & piloſitatis in necydalo, ſicut humiditas excrementitia externa in aureliæ putamen cogitur. Craſſa tunica pertuſa, exit inteſtinum, adhuc involutum tenui & multum cibi heſterni è foliis viridibus continet. Videre vero etiam eſt ex pelle ſecta, & craſſa tunica inteſtini effundi liquorem ſat copioſum & tranſparentem, quem ego puto pro ſanguine eſſe, & mutari coctione in ſerici materiam, membraque beſtiolæ. Capite præſecto extumeſcit initium gulæ, & plane exhibet obtuſum nymphæ caput. Exempto inteſtino cum contentis fecibus in abdomine conſpiciuntur ſpecie lumbricorum concretiones quædam lentæ & glutinoſæ, aliæ flavæ, aliæ albæ, & duæ quidem magnæ, cæteræ parvæ, tam ſimiles lumbricis, ut nihil deſit, niſi pellis & vita. Utrinque deſinunt in acumen acutum. Situm autem in ventre talem habent, ut uterque apex verſus ſit ad caudam, corpus vero reductum & geminatum. Dicas penſum eſſe complicatum. Si exordium filationis eſt ab apicibus, neceſſe eſt, ut ad os à cauda revocentur. Exiſtimo parvas & albentes portiones imbecillius ſericum ſtupamque præbere, magnas verò firmius. Exemi hos lumbricos, vidique in charta ſtatim exiccari, & fragilem duritiem induere, perinde ut bubulum gluten ſolet, ut tendines animalium, & inteſtina. Homogeneum totum eſt, & pellucidum corpus hujus materiæ, quam nullus hominum queat in tam tenuia ſubtiliaque fila diducere, ſed bombycibus hic labor eſt, ut araneis ſua tela, relinquendus & ſolis dicandus. Corium exterius foris quidem albedinem plumbeo colore miſtam habebat, ſed intus ſubducitur cuticula partim livida, partim aurea ſplendente, ut in halece. Circa ventrem, ubi diſponebatur materia ſerici, ſat craſſa ſubſtantia erat nerveis conſtans ductibus, & textura continente pinguedinem albam nerveis tunicis implicatam: talis poſtea etiam conſpicitur in nymphis & necydalis, eſtque in his vulva & genitale membrum.

Sub illa ſubſtantia plumbeæ ſunt propagines in pedes dimiſſæ, tanquam tendines, aut chordæ. Pellis hæc manente matrice, & genitali membro, intra bombycium exuitur cum omnibus prominentibus membris: ita ut nympha & papilio inde natus nihil aſſumant ex bombyce præter alvum cum inteſtino, & in his exiſtentibus nervoſis partibus. Humor autem in inteſtino & genitalibus ſubſiſtit ſat multus. Unde poſtea & ſeminis materia, & excrementitia proluvies alvi. Veruntamen qui in inteſtino eſt humor, crudus adhuc eſt, & partim viret, partim flavet, craſſus quadantenus, quadantenus aquoſus. Siquis pinguedinem à nerveis tunicis genitalium ſeparet, & chartæ illinat, cum reſiccata eſt, ſebaceam friabilemque inveniet. Putes conferendam eſſe cum lactibus piſcium. Patet ergo in bombyce foris quidem hæc membra eſſe, pedes triplices, ſquamoſam ventris coarticulationem, pectus, caput, os, anum, pellem, caudam, plectrum: intus autem inteſtinum, vitales arterias, vel ſi mavis, nervos, carnem albam pectoris, genitalia, inter quæ & inteſtinum continetur, ſerici materia, & præterea panniculos membranaſque nerveas, quibus continentur membra. Cor habeant, nec ne, alius inveſtiget. Neceſſe tamen eſt aliquod tale principium eſſe, idque non in capite, nec alibi præterquam in confinio pectoris, unde vis vitalis per totum diſtribuitur, & maxime tamen elucet motu nervorum, vel arteriarum (uti libet appellare) in dorſo ventris, non pectoris, uſque ad plectrum caudæ. De nymphis & necydalis poſterius dicam. Nunc de praxi ſerici ducendi, quæ obſervaverim, addam.

Cum abſtinent pabulo, &, ut dictum eſt, locum folliculi conſtruendi explorant, circa alvi exitum plerumque maculam virentem aut lividam habent, cætero corpore albo, cum virore vel livore, vel ſpiceo. Vidi tunc etiam crebro conſiſtere inter vagandum, & ore veluti hiſcere, ſicut ruminantes vaccæ, cum ex ingluvie revocant cibos ad maſticandum. Conſentaneum eſt bombyces tunc conari materia ſerici ad os

con

converterе, & protrahere. Si includas cucullo chartaceo, roſionis ſonus ſubinde per integrum diem auditur, & tunc in conum cuculli demittitur excrementum primo ſiccum, pilulæ nigræ viridis aut luteæ forma. Penultima pilula plerumque viret, ultima lutea eſt, & ſanioſa. Numerus pilularum pro excrementi copia eſt. Nam deprehendi in una charta modo duas pilulas, modo plures, uſque ad 12 diverſicolores, utpote nigràs, virides, flavas, eaſque non ſtellatas, ſed rotundas. Cum ultima pilula lutea exiit aquoſitas item diverſicolor & conſiſtentia diſpari. Alicubi enim craſſior eſt, alicubi dilutior, habens aliquid punicei & flavedinis, viroriſque. Saniem tamen quandam dicas ſubcruentam vel fuſcam, qualis apparet in charta pura, ubi tamen interdum notes etiam viriditatem pollutam flavedine, interdum quid cretaceum. In vitro lixivii faciem exhibet. Ne vero dubites, ore an alvo reddatur, ſcito, ore tantum expediri ſericum, alvo excrementa, quanquam etiam ex ore emittant humorem tum morbidi, tum ſtrangulati aut compreſſi. Deprehendi autem bombycem liberum è poſterioribus utrumque excrementum reddentem. Ab aliquibus multus liquor excernitur, à nonnullis paucus. Qui multum vacuantur, videntur debiliores eſſe, & minus ſerici collegiſſe. Nam plerique parva bombycia texunt, non tamen omnes. Quali ſericum ſit futurum colore, ambiguum eſt. Nam contemplatione capitis, tergi, ventris, pedum facta, plerumque ſum deceptus divinando. Nam non ejuſdem coloris ſericum ab omnibus ducitur, ſæpeque ſtupa & poſtrema tunica albet, medium ſericum aureum eſt. Putabam ſpiceos bombyces flavum, albos album reddituros, ſed falsò. Nam album ab utriſque promebatur. Semel atque iterum ſcopum attigi, & vaticinatus ſum, citrinam fœminam talem edituram filum; quale tamen etiam tractum eſt ab illo bombyce, cujus venter albo plumbeus erat, macula frontis flava. Vidi & fœmellam totam albam, album ſericum fingere. In parvis anguſtiſque chartis, juxta proportionem tamen

vermis, minores fiunt folliculi, ſed ſpiſſiores & minus ſtupæ. Notavi tamen in amplioribus, etiam parvos folliculos. Qui non incluſi liberè ſibi locum eligunt, in ſtupa temeraria multum abſumunt filorum. Unde jactura eſt in ſerico. Nam bombycia plerumque ſunt minora, & minus denſe ſtipata. Si velis attendere, rationem texturæ accuratè cognoſcere in his potes. Etenim poſtquam aliquamdiu vagati ſunt, & modo hic, modo ibi exordium operis facere tentaverunt (id quod ſedulo corporis niſu præſtant, dum hærentes pedibus poſterioribus, caput & totum pectus ſurſum, deorſum, ante, retro, & ad latera, variè movent, ſicubi ſeſe offerat commodus bombycii affigendi locus, nec viſu, ſed tactu hoc peragunt: ſunt enim hebetes oculis) tandem ſtamina producunt, & firmamenta domus; eaque ſimplicia aut multiplicia, prout ſtabilimentum requiritur firmum. Si juxta pavimentum id fit, poſteriore patre inhærent huic, ſin in alto, pendent eadem, ſeu à ramis ſeu aliunde. Nam pectus & caput libere vertunt, ſique opus eſt, etiam poſteriorum ſitum mutant. Ita conficitur veſtibulum ſeu prodomus. Jam autem ſicca excrementa ab alvo ſunt reddita, Veſtibulo abſoluto, ita ut jam vermis ſecurus ſit, tutuſque ab inſidiis externis: ſtercus ultimum excernit cum liquore, de quo ante. Et hoc ſæpe polluitur ſtupa, per quam tamen defluit ad fundum. Exonerata alvo, parumper quieſcit textor, & nudat podicem, quaſi laboraret teneſmo. Tunc revocat veri ſerici materiam, eamque continuat uſque ad extremum halitum, & bombycii abſolutionem. Paulatim tunc ſtipat fila ex amplo in anguſtum, ita ut fiat forma ovalis, in cujus capacitate ſeſe poſſit vertere. Os, pectus, & anteriores pedes in continuo ſunt motu. Poſteriora hærent, transferuntur tamen ad aliam plagam, cum ad baſin vel apicem formandum ſeſe accommodant. Qui in imo juxta pavimentum folliculos texunt; videntur inſidere pavimento nudo, ſed paulatim ſibi ſubtexunt fila, & univerſum folliculum pariter ubivis ſtipant, præterquam in a-

cumine, ad quod in anguſtiis non poſſunt pertingere. Itaque hujus fabrica magis ab initio fingitur, ſed baſis magis in fine, quanquam nec hæc negligatur in exordio. Itaque cum fila explicantur retexendo, apex nudatur primum, & relinquitur interna tunica forma digitalis tegumenti. Texunt ita ad diem tertiam: Et adhuc potes laborantes videre ſecundo, ſi folliculum Soli vel luci obvertas. In cucullis chartaceis baſis ſurſum verſa eſt, apex deorſum. Et rarior illa apparet binis diebus. Tertio demum denſatur: & tunc vermis exuit ſenectam, fitque nympha, id quod facile poteſt deprehendi; Nam cum adhuc texunt, adhærent, nec percipitur lapſus brutus. Cum vero nympha evaſit, quaſi lapillus incluſus eſſet, moto folliculo, nympha cadit: Et hic brutus caſus durat, uſque dum in necydalum mutata fuerit. Tunc enim expletur capacitas iterum, & necydalus hæret folliculo exitum quærens. Unus autem vermis ſub mea cura unum folliculum texuit, cujus prodomus in incluſis chartæ, ſolida tunica eſt, in liberis variis modis ultro citroque diſpoſitis & diductis conſtat filis. Alii vero animadverterunt in uno folliculo etiam duos, quin & tres incluſos fuiſſe. Verum tamen cum anguſtior futurus eſſet locus, ſectus ille folliculus communis tribus eſt, & in eo inventi bombyces coarctati, adeo ut ſpeciem trium digitorum conjunctorum retulerint. Liberati poſtea ſinguli aliquid penſi, parum tamen denuo edidere. Notandum eſt, animadverſum eſſe, quoſdam bombyces in charta nullum ſericum feciſſe, ſed ſtatim in nymphas abiiſſe: quod illis evenire crediderim, qui lactuca paſcuntur, licet non omnibus, aut quibus pabulum minus juſto datum eſt, aut qui morbo correpti non potuerunt colligere ſerici materiam, quam ſicut adeps ex ſanguine abundante ſepoſitus, fieri exiſtimo. Eveniunt & alia monſtra, de quibus ſuo loco. Omnium folliculorum oblonga quidem & ovalis eſt forma. Vidi tamen unum album fere exactæ rotunditatis, ita ut utrinque baſin haberet ſphæricam abſque acumine. Erat par-

vus cum ſuo prodomo, ſed tamen ſpiſſitudinis juſtæ. Verum bombyx in eo non abiit in nympham, nec necydalum abſolutum, ut mox exponam. Illud videtur dubium eſſe, num ſericum ex alvi exitu promant, an ex ore, quanquam ſemper ore & anterioribus pedibus diſtribuant. Non leve argumentum eſt, quod juxta caudæ fulcra in imo ventre conſpiciatur quoddam rimæ veſtigium, & extremitas utraque materiæ ſericiæ in ventre reſpiciat illum locum. Aſſipulatur & egeſtio excrementorum in ipſo operis initio. Sicut enim cum infantem excluſura eſt puerpera, quicquid ſordium eſt in veſica & recto inteſtino, id compreſſum expellitur, ita in bombyce à ſerico foras contendente, fieri quis exiſtimare poſſit. Ita inſtante labore venter tumentior apparet: à ventre incipit maturitas flavitie deſignata. Ea exit primum, ubi prius maturuit. Erucæ & bombyces inſuper lanugine quadam filoſa, circa pedes junguntur pavimento. Nonnulli inter texendum conſpiciuntur à dorſo inniti, ut è ventre ſericum extrahatur, & digeratur ore pedibuſque facilius. Hæc poterant afferri pro prima ſententia. Sed hanc falſitatis redarguunt alia firmiora. Nam ipſe oculorum obtutus conteſtatur, quieſcente ventre filamenta ore deduci, eaque viſcoſitate ſua adhærentia retracto collo paulatim protrahi. Itaque non tantum in dorſum reclinati bombyces ſic filum trahunt, ſed & proſtrati in ventrem, ubi tamen vermis totus libere ſeſe vertit. Deinde nec ano, nec rima ſub cauda exire poteſt. Nam ex ſerici loco ad inteſtinum nulla eſt via. Et rima caudæquæ deſignat genitalia futuri necydali, obducta eſt pelle. Inſuper, antequam ſericum exeat, crebro ganniunt bombyces, quaſi vomituriendo pellicerent ad fauces materiam. Nec intumeſcunt circa caudam, ſed in medio ventris. In capſula etiam chartacea, cum nullum in pedibus appareret filum, ſolo ore vidi promoveri & affigi, quin 2. Iunii, cum attente ſpectarem ſibi machinantem bombycium, principium fili prehenſum ex vermis ore, madens extraxi in juſtam prolixitatem, pedibus

& ven-

& ventre plane à ſerico nudis. Ita eruculæ ab ore ſuſpenduntur, inde emiſſo filamento. Nec aliter aranei & campe arborum ſua faciunt vellera. Et hæc quidem de hac quæſtione.

Cum folliculus eſt abſolutus, mutato bombyce in nympham, rapiuntur vellera, ſelectis prius ad inſtaurationem generis, maribus & fœmellis ad arbitrium. Sexus diſcrimen aliqui ex colore bombyciorum dignoſcere jubent, aliqui ex magnitudine. Et ſane aliquid eſt in hac re argumenti. Nam quia fœminæ plerumque majores, etiam majus ſtruunt domicilium. Veruntamen aliquando fallimur, quia fieri poteſt, ut mas firmus majorem architectetur folliculum, quam fœmina debilis. Et vidi pares quantitate, vidi etiam fœminarum alibi enutritarum bombycia longe minora meis maſculis. Itaque concurrere ſigna in ipſis bombycibus notata oportet, de quibus ſupra. Cæteri folliculi in aquam ferventem injiciuntur, ut nymphæ intereant, vel ſuffocantur calore clibani, poſt exemptum panem, adhibita cautela ne comburantur. Tunc ſtupa detracta, famulæ, vel ſocii laboris præſto ſunt, qui exordia filorum expediant, quibus inventis injiciuntur plures in pelvim aquæ frigidæ, aut tepidæ, aſſidenſque miniſtra inſtrumento tractorio continuo devolvit fila, 30 vel 40, aut etiam plura ſimul juncta. Siquà rumpitur ſtamen, ſocii eſt, requirere principium, & reddere explicanti. Id continuatur, donec uſque ad interiorem tunicam perventum fuerit, quæ cum difficillime retexatur, exiccata diſcerpitur in ſtupam & carminatur. Dum ita replicantur fila, pulverem multum in aërem emittunt, & cernere etiam in fundo vaſis eſt quaſdam ſordes è ſtaminibus prolapſas. Sedulo attentabam, num una opera poſſem abſque ruptura totum expedire folliculum abſtracta ſtupa, quæ ob variam implicationem, infirmitatem, & diverſa principia non poteſt continuo ductu retexi. Aſſecutus ſum votum tantum in medio ſerico; nam prodomo quod proximum eſt, etiam rumpi facile ſolet. Sed medium tenacius eſt. Ultima

tima tunica pondere addito,(nam tunc nympha prolabitur) explicata à me eſt cautiſſime uſque ad pelliculam parvam, quæ vix unguem pollicis adæquabat. Qui folliculi baſi ad diametrum reſpondent apici, felicius evolvuntur: Difficilius incurvati & gibboſi, & quorum apex ſtricturam habet Nam hic filum hæret & implicatur, ut vix citra rupturæ metum cedat. Apex primum nudatur & devolvitur totus uſque ad medium folliculi.

———————— Unius bombycii filum continuum lineæ præſcriptæ longitudinem ſepties millies, in alio octies implevit, & amplius. Non tamen par eſt omnium denſitas, & magnitudo, id quod etiam ex diſtractione in cuticulas videre eſt. Quædam enim vellera diduxi in 12. quædam in 8 plus minus exiles tunicas. Sylveſtris bombyx prodomum habet ſimplicem tunicam, & paulo craſſiorem folliculum. Itaque etiam tenuiores facile cedunt prementibus digitis; denſiores reſiſtunt.

Cum fatiſcit apex fere uſque ad medium, unde ſat amplum eſt foramen elapſuræ nymphæ, procidit cum ſenecta ultima, in qua caput & pedes omnes. Plerumque hujus ſenectæ caput apici folliculi obverſum eſt, ut intelligamus eam exutam eſſe, dum vermis conſummato folliculo per anguſtias ſeſe ſtringit vertitque ſurſum. Nymphæ vertex reſpicit baſin, cauda apicem: cumque bombyx plus quam duplo longior fuerit, nympha ad parvam ſtaturam contrahitur, ut vix impleat longitudinem internodii ſecundi in digito medio viri. Vivit illa, vitæque indicia evidentia exhibet motu reflexuque apicis ſeu caudæ cum tangitur. Si formam externam reſpicias, ſquamoſum vermem dicas, ut qui caput velamento occultaverit. Squamæ ſunt fuſcæ, tanquam fumo inquinatæ, octo numero uſque ad confinia verticis. In ſingularum lateribus bina ſunt puncta umbilicalia, ex quibus tendines, ſeu vincula ad necydalum pertingunt. In vertice eſt macula alba quaſi ibi os necydalis traluceret cum punctis tribus parvis nigris. Inde à parte anteriore typi pedum & cornuum ſunt, à poſteriore

ſteriore verſus latera, veſtigia alarum. Si interiora quoque contemplari libet, quarto die ab occultatione, antequam tranſeat in necydalum, aperire potes. Videbis nihil aliud, quam capacitatem unam communem, inque hac tres diſtinctos humores, unum aquoſæ dilutæque conſiſtentiæ, coloris flavi. Hic per totum ſpacium æqualiter diffunditur. Alius rubet, ſanguinolentum dicas: Hæret hic in parte ſuperiore, qua futurum caput & pectus eſt. Cordis rudimentum eſſe judices, quia poſtea in necydalo vidi talem quandam maſſam per ſe mobilem more cordis, ſi modo cor huic beſtiæ eſt attribuendum. Tertius humor eſt albo-luteus, refertque ovum gallinaceum in aquam ferventem injectum diſcuſſumque, vel lac caſeatum, ſi quid lutei addas. Ubi foris alarum pedumque cernuntur veſtigia, latitat phlegmatica viſciditas apta conſtituendis membranis. Nulla videas membra diſtincta, vitam beneficio nerveæ tunicæ proximè externo cortici ſubjectæ ineſſe puto. Nam & bombyx ea parte exquiſitum exhibebat ſenſum, motumque arterialem & cordis; plane utriculum humoribus confertum appelles, qui tamen collatus ad chryſalidem, poſtquam erepſit necydalus, longe eſt craſſior, ut corticem dicas tunicis intus & viſciditate tenace veſtitum. Inde poſtea eſt lanugo necydali, alæ, pedes, cutis, & cætera externa. Ita in gulam ventremque abiit bombyx, cujus unius cura antea fuerat detentus. Nihil tamen hic viroris apparet, qui multus erat in bombycis jam texturi inteſtino. Pars itaque excreta eſt ante folliculi exordium pars mutata in alium ſuccum. In apice caudæ etiam erat quiddam viſcidi inſtar crudi albuminis. Rudimentum partium genitalium judicabam. Nam eo rejecta eſt matrix, & vaſa ſpermatica, quorum principium conſpicitur etiam in bombycis ventre. Humores in charta pura excepti & arefacti nigredine infecti erant, quaſi atramentum ſutorium miſcuiſſes. Sebacea tamen ſubſtantia albeſcebat adhuc, & alicubi enitebat macula ſubrubens,

& croceſcens, cum albo punčto cretaceæ conſiſtentiæ. Itaquè colligere erat nigrorem illum duntaxat aquoſi flavique humoris fuiſſe, qui etiam ſolus in charta, ubi denſior concreverat, ſplendebat, ut nitens atramentum. Cæteras nymphas partim ſpoliatas omni ſerico nudaſque, partim ſimplici tunica adhuc incluſas, partim in toto bombycio ſalvas, nulla alia tractavi cura; niſi quod in capſula poſitas in feneſtræ limine dimitterem. Diſtinxeram tamen loculamentis diverſis, quas fœminas, & quos mares putaveram, nec me feſellit judicium, excepto uno tantum. Ita à prima incluſione uſque ad excluſionem proceſſerunt dies 26 aut 27 in muſeo meo expoſito Soli pomeridiano, tempore æſtuoſo Junii, quale erat anno 99. Nam undecimo Junii ſepulta fœmina, exiit necydalus octavo Junii. Qui mas nono Junii texere inceperat, quinto Julii evaſit papilio. Eodem duæ fœminæ exibant ex folliculis albis majuſculis; & unus mas ex citrino minore. Sexto Julii ſub antoram (nam omnes mane prodeunt) mas fuſcus hirtuſque ex mediocri alboque bombycio eniſus eſt; fœmina vero alba teneraque ventricoſa, cum magnis alis ex folliculo citrino ſubviridi. Ita & ante, ſecundo Julii ex aureo folliculo mas prorepebat, & fœmina ex albo. Hi 10 Junii inchoaverant bombycium. Cum ex integris folliculis erupturi ſunt necydali, non amplius movendo ſentitur brutum pondus; & tunc frangitur circa dorſum thoracis aurelia; poſtea multus humor limpidus, albuſque, ore effunditur; & permadeſcit locus quà ſunt foramen facturi. Per hunc foras anniſu quodam & labore contendunt. Vidi octavo Julii fœminam exeuntem. Ea tantum liquoris præmittebat, ut in capſulam decideret notabilis gutta. Tunc capite emicabat intus nixa pedibus. Poſt caput paulatim hos exerebat, ſtatimque comprehenſo pavimento ſeſe fulciens, circulos alvi conando ſenſim protrahebat; ut primo extracto, cum vellet ſecundum proripere, ſeſe contraheret tota parte anteriore, quaſi ſic prehenſum circulum ſequentem unà evocat et

caret. Verum tamen conſentaneum eſt iſta contractione dilatatum eſſe magis foramen, ut poſtea alvus minore cum labore prodiret. Huc facit etiam varia ad latera converſio. Interim craſſiores necydali, & plus humoris in ventre habentes, exprimunt aliquid inter eluctandum, & folliculum pertuſum, tum intus, tum circa foramen fœdant alvi ſpurcicie marmoroſa. Qui minus laborant, & tenuiores ſunt, purum relinquunt. Videas tunc caniciem totam nonnihil madentem à liquore ex ore effuſo ad pertuſionem facilem. Solent etiam alicubi quiſcere, & ſæpius ventrem inflare, deducere, atque iterum contrahere, quaſi luxata membra reponerent, & ad legitimum ſitum revocarent. Adeo autem diducuntque laxantque circulos, ut juncturæ emineant impletæ citreo liquore, quaſi inflatæ eſſent, Nymphas nudatas, cum intus abſolutus papilio eſt, triduo, vel biduo ante, ſeſe videas crebro movere, quaſi rupturas vincula, quibus alligatur aureliæ necydalus. Earum unam tunc cultello, unguibuſque aperui ipſe ut viderem congruentiam extremorum lineamentum cum ſuppoſitiş membris. Id fiebat quarto Julii, cum jam circiter dies 20 à ſeriſicio præteriiſſent. Remota ſquama prima, juxta principium pectuſculi in tergo prodibat in conſpectum circulus ſuperior ventris tener, cutaneus, hirſutie humente tectus, brevi tamen & complanata ut vix pateret oculis lanugo. Sub diſpoſitione alarum lateralium, quam in aurelia compares omoplatis, veræ alæ necydali latitabant binæ junctæ, altera alteri impoſita. Omnes erant breves, tenueſque, utpote nondum perfectæ quantitate. Inter alas thoracis poſterior nodus eminebat, prolixiore piloſitate utrinque ſtipatus, ſed nondum plane tectus. Alis & rubore hoc expedito, perveniebam ad deorſum flexas lineas ſuperiores, ſub his erant cornua. ſub ſequentibus vero in pectore pedes recumbebant, oblique verſus alvum compoſiti & directi. Sub alba macula in nymphæ vertice, necydali hirſutus vertex & bregma eſt, cui proxime adjacet aculeorum

rum typus forma duorum punctorum atrorum. Hinc ſequitur nota oris, ſatis extans initio propter humiditatem, & ſpeciem habet ſpongioſorum punctorum alborum duorum, quæ tanquam in leonino labio fiſſura dividuntur: Alvus tota eſt inſtar fuci albi. Pili in ea opprimuntur humiditate, & levigati apparent. Conſtant circulis, ut & bombyx & nympha. Non autem expediebam totum necydalum; ſed ipſe ſeipſum ſuo niſu protrahebat ex reliqua aurelia. Videbam quo conatu ſeſe abſolveret à vinculis alvi, quæ inſtar albarum chordarum è punctis circulorum dependent, & in aurelia vacua relinquuntur. Hæret & podex arctius. Itaque apex aureliæ contrahitur verſus pectus introrſum. Erat autem mas cum alis & villis imperfectis. Eum reliqui in capſula. Quievit uſque ad diem ſequentem. Tunc paulatim inalbuit, & hirſuties conſpecta eſt exactius. Alæ quoque creverunt, & tunc alacrior paulatim factus, admiſſuſque tertio die concubitus peregit ſtrenuè. Necydalorum quæ ſpecies ſit, tum ex dictis patet, tum ſuperius ſatis eſt expoſitum: Illud addendum eſt, quod alvus in aurelia contractior ſit, & foris diſtentione inflationeque crebra tertia parte fiat longior, & major. In aurelia eſt ruptura trifida à vertice per dorſum thoracis. Et ibi prodit necydalus. Cæteræ partes ſunt integræ.

Omnibus jam necydalis natis reliquis ante 14. Julii, duo folliculi integri remanſerunt, quaſi nihil redditurí, licet denſi admodum eſſent. Unus maſculus ſphæricus parvus, alter fœmineus duplo longior & ſatis amplus, paululum circa dorſum vermis in gibbum elatus, uterque albæ ſtupæ, ſed ſericii ſubviridis in citrio; quanquam dilutior eſſet color in illo. Cum ſphæricum cultri acie dividerem, cadaver in conſpectum prodibat ſemibombyx, & ſeminympha foris. Nam anterior pars plane bombyx erat, poſterior nympha, ſiquidem non totam exuerat pellem, ſed tantum ejus poſteriorem portionem, quæ juxta aderat in folliculo. Diſpoſitio cadaveris erat incurva, ita ut priores

pedes

pedes in pectore fere tangerent poſteriorum par primum. Hic enim inter primam poſteriorum ſyzygiam & ſecundam ruptum erat corium, ita ut nympha eſſet galeata priſtinis exuviis, in quibus caput pectuſque cum ſex pedibus, & portio ventris cum primoribus duobus. Remota pelle, & aurelia, intus abſolutus ſtabulabatur necydalus mas, iſque vixerat, argumento, quod dum conaretur exire biduo antequam ſecarem, folliculum liquore perfudiſſet; imo & jam 19 Julii cum liberarem penitus, motus indicia in ventre & pedibus luculenta præbuit. Cauſa cur non potuerit ſeſe exuere & prodire, deprehenſa eſt in cranii bombycis pertinace cohæſione, ut & in pedum anteriorum, lorica firmiter connata. Itaque licet in dorſo thoracis rimam tam in aurelia quam ſenecta feciſſet, tamen extrahere caput & pedes non potuit. Sic ergo paulatim elanguit. Animadverti hic naturæ ingenium. Nam cum in exuenda ſenecta exarmentur priores pedes, & poſteriores etiam plane ſecedant; tamen ibi relinquit veſtigia, ſub quibus poſtea renaſcuntur alii. In veterum autem bombycis loculamenta, alarum pinnæ inſertæ erant, totumque necydali caput cum cornibus cranii galea includebatur. Talis mas erat. Fœmina omni vita caſſa adhuc monſtroſior apparebat. Perfecto opere ſericii (quod erat bombycium majus; & duorum articulorum auricularis digiti longitudinem adæquans, ſed longe tenuius maſculo, intus album & leve ſplendenſque, foris ſubcitreum villoſum) exuere pellem bombyx conatus erat, indeque protraxerat totum dorſum, quod valde protuberabat, anterioribus in circulum contractis; ſed ab oſcillo ſe liberare ob pertinacem ſymphyſin non potuerat; itaque ibi ſenectæ caput, nymphæ vertex, & necydali conjuncta conſpiciebantur; quæ conjunctio retinebat ſenectam in ventre, ne potuerit penitus avelli, & deſtringi. Ideo & cohærebat cum alvi acumine, non aliter ac ſi quis ſacco fuiſſet incluſus, & circa caput aſtrictus; facto vero in tergo foramine dorſum extraxiſſet quidem, ſed adhuc

adhuc hæreret capite, & podice, ita jacens incurvus & exanimis. Sic ſe habebat ſenecta. Ex hac promicabat & aurelia viciſſim necydalus fere totus eluctatus erat, fracto putamine in dorſo, ſolitaque regione; ſed capita cohærebant indiviſſa, ſicut & alvi extrema. In ventre exerto magna copia ovorum conſpiciebatur colore flavo. Nam fœmina ſtatim etiam intra aureliam ovorum formam in ſua matrice abſolvit, ſed quæ ſine maris aſpergine ſint infœcunda. Itaque etiam vidi ova parturientem eam, quæ nullum marem fuerat paſſa. Conſpicuum hinc fuit, quomodo natura exuat primum veterem bombycis pellem cum forma; poſtea tranſeat in nympham, cujus aurelia viciſſim exuta prodeat necydalus. Triforme hoc monſtrum erat, dignumque contemplatu. In eo notaſſes etiam aureliam ea parte qua alæ erant deſignatæ, nigram fuſcamque, quaſi afflata fumo fervente fuiſſet: deinde quantopere conata fuerit fœmina necydalus exire, perſpicuum erat ex ovis eminentibus ex interſtitio circulorum ſquamoſorum. Cohærent alias ventris circuli interveniente cuticula tenui, contiguè. Sed in hoc adeo erant circuli disjuncti, ut zona juncturæ latior eſſet circulo. Apex alvi, ſenectæ, & aureliæ, ad lucem tranſparebant, ita ut cernere exacte poſſes confinia. Ad dimidiam vero aureliæ capacitatem pertingebat extremitas necydali circa dorſum hirſuti, licet imperfectè, quemadmodum & alæ nondum aſſecutæ legitimum incrementum. Et hactenus de monſtris.

Necydalo vegeto tenax vita eſt, præſertim in pectuſculo. Nam & capite & alvo abſciſſis, alas motitat ſtrenue, & pedibus diſcurrit, idque uſque in alterum diem aut amplius. Secta fœmina in alvo matricem exhibet ovis plenam, adeo ut poſt 400 jam edita, nihilominus ſuperfuerint plura. Inſiſtere & involuta eſſe ſubtiliſſimæ tunicæ videbatur. Apparebant & nervoſi quidam ductus, inſtar meatuum inteſtinalium. In medio ventris veſicula extabat, continens terreum ſuccum coloris ravi ſeu fulvi.

Hæc veſica per ſe continua ſyſtole & diaſtole agitabatur. Vitæ principium ibi tanquam in corde eſſe judicabam. Circa collum matricis, nodus geminatus albus, nerveus, qualis veſica animalium eſſe ſolet, durus ſplendenſque cernebatur, idque intra ventrem. Nam de mammoſis proceſſibus externis poſtea. Nodulus unus major erat, alter minor. Collum vulvæ eſt inſtar tubi, cui ſucculento foris aſtant utrimque flavi noduli mammarum inſtar. Circa collum ambitus cum retinaculis corneis, latis, inque ſummo obtuſioribus, quibus genitale maris viciſſim prehendit. Pectus carneum eſt. Caput membranoſum & corneum. Cornua triquetra eminente dorſo albo, pennis vero utrinque demiſſis, ut fieret triangulus. Si vivis præſeces, ſuccus quidam tralucidus ex dorſo, ſeu culmo pennati cornu exit, intuſque meatus apparet. Ita ſe habebat fœmina quam vivam aperiebam. Mortua nihil in ventre exhibuit præter cavitatem notabilem alvi juxta pectus; deinde humorem illum vitalem. In veſica, quanquam nunc non amplius vividum; tandem matricis evacuatæ reliquias nerveas & membranoſas. Maris ſuperiora congruunt cum fœmineis. Ventrem ſi ſeces, rubeum humorem multum intus inveneris, & præterea liquamen quoddam nervis plenum, cui connectitur meatus genitalis. Genitale autem habet peculiare, carens & cæteris quæ fœminæ ſunt propria. Ejus hiſtoria hæc eſt. Sub cauda lanugine prolixiore ſtipata, foramen eſt notabile, cum ambitu membranoſo duriciei corneæ, in duos quaſi dentes diviſo. In hujus ambitus medio collum genitalis eſt trifidum, cum extremitatibus corneis. Circa hoc diſpoſiti ſunt aculei punicei (cornei proceſſus omnes punicei ſunt ad nigrum accedentes) duo ſuperiores hamati, ſeu in uncos recurvati, ut ſit forma videntia unci, ut cornua caprearum, deorſum reflexi: inferior unus rectus. Hi aculei proximi ſunt collo membri, Paulo citra in ambitus medio alii tres ſtimuli ſunt parvi. Tot retinaculis comprehenſam fœminæ vulvam attrahit, ſibique jungit adeo firmiter,

miter, ut ſi diſtrahere congreſſos velis, citius videatur ruptura ventris & circulorum compages, quam remiſſura coitio, id quod ſæpius attentavi. Sed & hinc pertinaciam conjunctionis æſtimare licet, quod viderim totos dies æſtivos una manere, & noctu, neſcio qua hora, conſentaneum verſus auroram, disjunctos perceperim, mane inventis ovalibus vermiculis pluribus, ipſis autem ſeorſim quieſcentibus. Frigidæ aquæ injecti nihilominus cohærent; ſale inſperſo & muria caudarum juncturæ durarunt: aqua chalchantina ſimiliter addita non ſunt divulſi. Immerſi marem aquæ, fœmina in margine ſicco relicta; etiam injecto atramento & ſale in aquam; ſed vixit, & coitum retinuit. Tandem ita reliqui per noctem in aqua; mane aliquot centuriæ ovorum in vaſis fundo erant, ipſi necydali natabant vivi. Alteri mari in congreſſu præcidebam caput; non avulſus eſt. Diviſi pectus à ventre; hic hæſit donec per vim abſtraherem. Caput & pectus, ut diviſæ muſcæ diu vixerunt, diutius tamen pectus. Hic mas in coitu ita diſſectus in ventre ſimiliter habebat humorem lutoſum ſpadiceum, cum quadam ſubſtantia inteſtinali, ſublutea, membranoſa. Mas natus 4. Julii ob imbecillitatem quinto mortuus, ſectuſque nihil aliud continuit alvo. Alioquin vita necydali ſeptem aut octo pluriumve dierum eſt. Ut enim dixi eſt pertinax; adeo ut cum confringerem quatuor ictibus principia alarum & pectus; poſt etiam alvum aliquoties, tamen vita manſerit quaſi inviolata; licet ſpiritu tandem diſſipato, altero die ut plurimum ita tractati moriantur. Coitum mas ferventer appetit, parva mora poſt exitum ex aurelia. Idque ſæpius exonerato ventre, nonnunquam tamen etiam nullo humore emiſſo, & hoc evenit etiam in fœmina. Qui vegetus eſt, poſt primi diei congreſſum, interveniente noctis quiete, altero die repetit eandem fœminam, aut in quamcunque inciderit, adeo ut ter quater peragat coëundi vices. Fœmina quoque toties marem admittit: quanquam non ſemper ova promat. Non enim gignit, niſi ova in ſe habeat, licet rore maſculino con-

concepto. Poſt ſolutionem à congreſſu ſtatim deponuntur ova ordine alterum poſt alterum, ubi videas quaſi cum conatu & contractione alvi protrudi, excludique ex matricis collo exerto, adeo ut pavimentum tangat. Numeravi quadringentis plura ex una fœmina, ex aliis fere quadringenta; quæ tamen diſſectæ adhuc multa in ſua matrice habebant. Quod ergo Vidas de centenis ſcribit, id de macris parviſque necydalis poteſt intelligi, quales ego vidi evaſiſſe ex neglectiore nutritione, aliis triplo fere majoribus. Quidam mares emittunt alvi proluviem ante coitum ſemel; & iterum poſt ſecundum congreſſum. Interdum mares ſoluti, necdum ſatiati, incipientem ova ſerere fœminam interpellant, & coëunt denuo, quanquam fœmina per vim cohæreat, cupiatque contracta alvo & pedum poſteriorum deterſione ſolvi. Ita una ante concubitum 17 emittebat, poſt primum ſoluta, 194, & tunc iterum coiens, poſt 4 horas revulſa, edebat 245. inde appetente mare humorem tanquam ex ſiphone ejaculabat, iterumque congreſſa, & liberata adhuc ova plura vicenis. Quæ ova quarto Julii erant edita colore citrio, ſeptimo evadebant punicea, & inde plumbea. Detinebantur in capſula poſt feneſtram pro meridiano ſoli expoſita. Sterilia tamen colorem non mutabant ſed ſubſidebant duntaxat. In necydalis ſolutis obſerves aliquoties motum tremulum, qualis eſt à rigore & horrore febricitantium. Neque tamen febri laborare dixerim. Sed eam concuſſionem eſſe puto ex alteratione & promotione ſeminalis materiæ, exhalante inde vapore & nerveas partes convellente. Ultimus necydalus pumilio 24. Junii inter duo folia mori texens folliculum parvum, prodiit 13. Julii, in quo præterquam quod minimum feciſſet bombylium, etiam hoc peculiare erat, quod non exiret in baſi folliculi, ſed juxta apicem facto foramine, contra ac alii omnes, mas autem erat, qui non timebat conjungi cum fœmella jam ter marem paſſa & vix ſpiritum trahente. Bis autem coitu impleto poſtea projectus eſt. Alæ etiam videbantur pictæ aliter ac cæterorum.

Nam

Nam cum reliquorum ſint lineis in longum & latum diſtinctæ, tanquam limbis, hic quidem quatuor ejuſmodi lineas plumbeas in latum acceperat, ſed inter ſecundam & tertiam, verſus ſinus alarum extimos, interjectus erat parvus quidam circulus, non exactus, lividus, cum puncto albo in medio. Verum enimvero tam ingenioſa natura eſt in hoc inſecto, ut cum plura obſervaveris, ſcripſeriſque, ſemper tamen reſtent notanda plura. Itaque hiſtoriæ finem facio, & cætera diligentiæ naturæ ſtudioſorum relinquo.

THAU-

THAUMATO-GRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS NONA:

In quâ

PISCIUM ADMIRANDA.

Plinius l. 9. Natur. Hiſt. cap. 2.

Vera eſt vulgi opinio, quicquid naſcitur, in parte naturæ ulla, & in mari eſſe, præterque multa, quæ nuſquam alibi.

SYL-

SYLLABUS CAPITUM.

CLASSIS NONÆ.

CAP. I. *De Acu, Anthia & Aphya ſeu Apua.*
CAP. II. *De Anguilla.*
CAP. III. *De Balæna & Barbo.*
CAP. IV. *De Cyprino, Clupæa, Congro & Chaouſarou.*
CAP. V. *De Canicula*
CAP. VI. *De Dracunculo.*
CAP. VII. *De Delphino, Exocæto, & Fiatola.*
CAP. VIII. *De Glanide & Glauco.*
CAP. IX. *De Harengo & Huſone.*
CAP. X. *De Lucio & Luna.*
CAP. XI. *De Manati & Merula.*
CAP. XII. *De Miro piſce, Mola, & Monocerote.*
CAP. XIII. *De Mugile & Mulo.*
CAP. XIV. *De Muſtella fluviali & Muræna.*
CAP. XV. *De Perca & Phoca.*
CAP. XVI. *De Rajis & Reverſo Indico Anguilliformi.*
CAP. XVII. *De Remora & Scaro marino.*
CAP. XVIII. *De Serpente marino & Sturione.*
CAP. XIX. *De Salmone & Turdo.*
CAP. XX. *De Torpedine & Thunno.*
CAP. XXI. *De Vranoſcopo & Xiphia.*
CAP. XXII. *De quibuſdam aliis piſcium admirandis.*

ADMI-

ADMIRANDA, PISCIUM.

CAPUT I.

DE ACU, ANTHIA ET APHYA ſeu APUA.

A*Cus* piſcis timam ſub ventre habet, in qua ova reponi *Rondeletius*, autopſia edoctus, ſcripſit. Cum enim ejuſmodi piſcem hyemis initio aliquando ſecaret, in ea tima multa ova reperit. Ita autem poſt partum coit, ut coaleſcere videatur; quod mirum non eſſe luciorum Anglicorum exemplum oſtendet. Adeo duro integitur cortice, ut acuto gladio ſecari vix poſſit. *Anthiæ*, ubi ſe captivos inveniunt, lugent ſuam mortem, & quodammodo ſupplices videntur; retibuſque inſultantes inſidias tranſilire conantur. Aſperitate dorſi diſſecare lineam, captivoſque liberare ſocios, *Ovidii* & *Plutarchi* authoritate demonſtratur. *Aphia Thalerica* tam mollis eſt & pinguis piſciculus, ut, ſi aliquandiu manibus tractetur, liqueſiat, aut ſi magna eorum copia in navibus vehatur, pinguedinem ſtiller, quæ collecta, lucernarum præbet pabulum. Horum piſciculorum figuras, referente *Suida*, ex rapis fœminis in longa & tenuia fruſta diſſectis, ex oleo coctas, ſaleque & papavere aſperſas, Nicomedi Bithyniarum Regi, pro veris propoſuit *Apitius*.

CAPUT II.

DE ANGUILLA.

A*Nguillas* in multis dulcibus aquis inveniri, nemo dubitat: attamen in illis quæ Danubio influunt non reperiri, cum, quæ Rheno illabuntur, eas nutriant, *Nauclerus* prodidit. Cauſam in frigiditatem Danubii conjicit *Albertus*, hancque exinde oriri, quod ante fauces Alpium ab occidente in Orientem fluat, majorem

jorem partem aquarum ex iiſdem accipiat, adjicit. Solæ contra aliorum piſcium morem non ſuperfluitant mortuæ, teſte *Plinio*; rationem in ventre exiguo, & pinguedine pauca quæſivit *Ariſtoteles*. Sic ſe rem habere, lampetrarum, congrorum, murænarum pinguedine abundantium oſtendit ſuperfluitatio. Tanta earum alacritas, ut à Phalacrocorace integræ devoratæ, per inteſtina novem repetitis vicibus elabantur, tum retineantur cum debilitatæ fuerint. *Geſnerus*. In ſinu detentos, majores præſertim, hominem ad ſuffocationem vincire, teſtatur *Cardanus*. A Sole in terra attactæ emoriuntur; ſed ægerrime alias, vita poſt excoriationem manens oſtendit. In Arethuſa Calcidenſi manſuetas, in auribus argenteis & aureis ornatas, cibum de manibus largientium accepiſſe, *Athenæus*, *Ælianus*, & *Plutarchus* referunt. Idem in Eloro amne fuiſſe *Nymphodorus* author eſt.

CAPUT III.

DE BALÆNA ET BARBO.

CÆterum omnium maxima ac princeps eſt *Balæna*. *Plinius* maximum in Indico mari animal vocat, illique quaterna jugera adſcribit; hæc autem *Maſſarius* nongentorum ſexaginta pedum longitudinem interpretatur. *Nearchus* viginti trium paſſuum Balænarum magnitudinem conſtare tradidit, qui in inſulis ante Euphratem, cetum mari ejectum, centum & quinquaginta cubitorum ſe vidiſſe, refert. Quæ in Scaldi fluvio decem ab Antverpia milliaribus anno 1577, die 2 Iulii capta eſt, colore erat ex cæruleo nigricante: fiſtulam in vertice habebat, qua aquam eructabat magna vi: Longitudo ejus erat pedum octo & quinquaginta, altitudo ſedecim: cauda quatuordecim pedes lata, ab oculo ad roſtrum extremum intervallum ſedecim pedum. Maxilla inferior ſenum in ſingulis lateribus pedum erat, viginti quinque dentibus armata, qui totidem foraminibus, in ſuperiore dentibus omnino carente, excavatis, recondi poterant. Tot den-

dentium longiſſimus ſex pollices non excedebat. Qui non ita à multis annis ad Schevelingam, pagum Hagæ Comitis adjacentem, captus erat, ſexaginta pedum fuiſſe dicitur; Caput illius trium fere cubitorum longitudine, ipſi ibidem vidimus. Ad Balænarum genus *Ambara* ſpectare videtur. Si enim longitudinem ipſius ſpectes, viginti quinque æquat cubitos; ſi capitis duritiem, ſaxum. *Leo African. l. 9. deſcr. Afric. Barbi* ova venenata eſſe Maji præſertim tempore *Platina* obſervavit. *Antonius Gazius* expertus eſt. Nam poſtquam duos duntaxat de illis bolos comediſſet, cœnæ tempore talem ventris ſenſit inflationem, ut facies ſyncopticæ ſimilis appareret, inæqualis in unaquaque carnis parte ſentiretur intemperies, cholerica tandem accideret paſſio. Nec citius evanuêre ſymptomata, quam ova ſupra & infra purgarentur.

CAPUT IV.
DE CYPRINO, CLUPÆA, CONGRO, ET CHAOUSAROU.

Cyprinos lapillum in capite juxta linguam habere candidum & durum, tradit *Geſnerus*, inque capitis medio ſubſtantiam cordis figura craſſam, dum recens eſt flexilem poſtea duram, repoſitam geſtare. Viginti librarum pondo invenitur interdum, ducentorum in Latio amne repertum; retulit *Iovius*. Cum fœmina gravidam ſe ſentit, patiendi allapſo tempore, motu oris maſculum excitat, qui lac ſpargit, ſparſo parit ipſa. In Polonia Cyprini lati in piſcinam repoſiti à quodam, glacie obductis aquis quamvis diligentiſſime quæſiti, inveniri non potuerunt: vere apparente diſſolutis, apparuere omnes, *Geſnerus*. *Clupæa* magnus eſt piſcis, in Arari Galliæ flumine. Creſcente Luna albicat, decreſcente nigreſcit: aucto vel minimum corpore à propriis ſpinis interimitur. In ejus capite grano ſimilis invenitur lapis, quem luna decreſcente ſiniſtro alligatum lateri, ad quartanas facere quidam exiſtimant. *Caliſthenes Sybarita citante Stobæo Congri*

S fœtu-

fœturam intra ſe continent, ſed non omnibus locis æque id conſtat, nec ipſa fœtura ſatis conſtat in utero pingui, obeſo, ineſt tamen ſerie quadam prolixiuſcula, ut in ſerpentibus, quod certe ignis periculo innoteſcit. Pingue enim abſumitur: ova autem crepant, & extruſa diſſiliunt. *Ariſtotel. 6. Hiſt. cap. 17.* Piſcem Chaouſarou *Latius in l. 2. Amer. c. 11.* ita deſcribit. *Hic ad decem pedum longitudinem non rarò excreſcit, longus & teres inſtar Lucii, duriſſimis cinericii coloris ſquamis, & quæ ferri aciem hebetent, totus, veluti Accipenſer, armatus; roſtro oblongo magno rictu & duplici acutiſſimorum dentium ordine ad utramque maxillam præditus. Non modo cæteris lacus illius, in quo circa fluvium. Nova terra* des Iroquois *à Gallis dictum degit, piſcibus infeſtus eſt: ſed & aves ſingulari induſtria venatur. Inter arundines quippe & juncos ad ripam lacus latitans, roſtrumque erigens, & rictum ſupra undas diducens, tam diu immotus præſtolatur, donec aves doli ignaræ, in roſtrum illius tanquam ſtipitem incumbant, præſenti ſuo exitio.*

CAPUT V.
DE CANICULA.

CAniculam ad quatuor millia librarum accedentem, Nicenſes, teſte *Gillio*, cepêre, ſolido in ventre reperto homine; loricato Maſſilienſes. *Rondeletius* tanto oris & gulæ hiatu in Santonico vidit littore, ut obeſum caperet hominem: *Bellonius* quodlibet oris latus ſex & triginta munitum dentibus aſſerit. Hinc in hoc Ionam Prophetam fuiſſe piſce, & quod ceti indigiterur nomine, propter magnitudinem fieri, quidam opinantur. Idem *Bellonius* ſenos vel octonos, atque interdum etiam plures fœtus ſuis partibus abſolutos, pedali longitudine diverſis temporibus parere ſcribit, & perſæpe vivo emergente fœtu, ovis adhuc crudis & excluſis ſcatere uterum, ſuperiorem ejus partem quæ ad ſeptum eſt, occupantibus: eorumque alia dextro matricis cornu, alia ſiniſtro concludi: at in

Catu-

Catulis hoc præcipue admiratione dignum eſſe, quod nulla contegantur ſecundina, atque ab umbilici quadam venoſa parte nutriantur. Cum enim ova (inquit) foras non exeat, certiſque vinculis matrici obvinciantur, amnio tantum tunica opus habuiſſe videntur; quo jam efformato fœtu, & timam quandam in ſterno inter pinnas, quæ ad branchias ſunt, ducente, alimentum à matrice per vinculum ſeu umbilicum ſuſcipit, adeo quidem tenuem, ut lyræ fidiculam non exuperet. Id autem alimentum ſecundum tenuem & exilem fidiculam, in quandam veluti perulam fertur, quam ventriculum eſſe diceres, quo tanquam ovi vitello perpetuo repleta eſſe conſpicitur; cujus poſitio eſt in ventre medio, duobuſque hepatis lobis ſubjicitur. Ac quod ita ſe res habeat, catulum à matris utero exectum ſi per ventrem diſſeces, verum ejus ventriculum perpetuo vacuum & jejunum reperies: nihil enim per os aſſumit aut devorat. Rectum vero inteſtinum recrementis lividis turgere videbis. Quin vivum piſciculum, à matris utero, ſi quando illæſum exemetis, atque in aquam projecetis, protinus vivere ac natare conſpicies. *Rondeletius* in medio uteri ad ſpinam ova adhærere obſervavit, & cum accreverint, in utrumque uteri tranſferri ſinum. Figura ovorum pulvinaribus quæ capiti dormituri ſupponimus ſimilis eſt; ex angulis longi tenueſque dependent meatus, quos *Ariſtoteles* πόρους τελχώδεις vocat, iique capreolorum convoluti inſtar, duorum cubitorum, ſi explicentur, æquant longitudinem. Teſta intus rupta, fœtus exit.

CAPUT VI.
DE DRACUNCULO.

DRacunculus piſcis eſt capite magno, compreſſo roſtro prominente, ore parvo, ſine dentibus, ſine ulla ad branchias ſciſſura; ſed hujus loco ſupra caput utrimque foramen eſt, eo aquam trahit & emittit. Oculi illi magni ſupra caput poſiti, os capitis in aculeos ad caudam ſpectantes deſinens. Pinnæ pro corporis

magnitudine longiſſimæ, partim argentei, partim aurei coloris æmulæ. Quæ ad branchias ſitæ, aureæ ſunt, in radice argenteæ: quæ in ſupina parte & ori propiores ſunt, & longiores iis quæ ad branchias, in dorſo duæ eriguntur. Prior parva eſt, aurea & argenteis lineis diſtincta: poſterior magna admodum in medio dorſo, papilionum alis non valde diſſimilis, radiiſque quinque hordei ariſtis ſimilibus, membranaque conſtans. Radii priores longiores ſunt, poſteriores breviores, contra quam in membrana, quæ ſingula radiorum intervalla, veluti intertexta occupans, paulatim creſcit. Eadem quoque varia eſt. Lineis enim argenteis, in medio duarum nigrarum ſitis, diſtinguitur. Hæc in medio dorſi cavo, veluti in vagina conditur. Alia eſt à podice ad caudam etiam aurea, demptis ejus fimbriis quæ nigricant.

CAPUT VII.
DE DELPHINO, EXOCÆTO ET FIATOLA.

DElphinis tam acutus eſt viſus, ut piſcem etiam in caverna abditum cernant: *Oppian.* tanta celeritas ut plenam velo ventiſque ſecundis injectam navim, velocitate ab iis victam, *Bellonii* dederit obſervatio. Cauſam quidam in pinnas conjiciunt; in pondus corporum nonnulli. Membrana inter cornua extenſa velorum loco uti, *Clariſſ. Baudartius* exiſtimat. Tantus iiſdem erga ſe invicem amor, ut, quodam apud Cariam capto & ſaucio, ingens eorum ad portum acceſſerit multitudo, receſſerit demum dimiſſo. Nautis ſibilum edentibus diutius circa navem commorantur; at tempeſtate exorta, aliquo qui Delphinum occidit, in navi exiſtente, ad ultionem undique concurrere, Græcorum nautarum tradit credulitas. Tranquillo mari laſcivientes flatus, ex qua parte veniunt, præſagiunt; item ſpargentes aquam turbato, tranquillitatem. *Plin. l. 8. cap. 35.* Thomæ exhalationem hyemali ingruente procella ab imo maris exſurrectio hujus cauſa eſt, inde excitari

citari calorem in Delphinis exiſtimat, eoſque erumpere crebrius. Sed cum & plures piſces tempeſtatem præſentiant, eos in aqua aëris agitatione affici, non aliter ac valetudinarii ſolent, auſtrino ingruente flatu, ſentit Rondeletius. *Exocatus* in ſicco diutiſſime vivit. Cauſa aëris copia, quam cum affatim non attrahat, ab eadem non ſuffocatur. Hinc & Anguilla ſub terra diutiſſime vivit. *Rondelet.* *Fiatola* latus eſt piſcis ac planus, caudam lunatam obtinet, linguam carnoſam. Præter omnium piſcium morem pinnis ſub ventre caret, eſtque prorſus inermis. Hepar illi unius tantum lobi eſt, nullo felle præditum; ſtomachus in V efformatus literam; cujus infima pars in mucronem terminatur, atque ad ejus pylorum tam numeroſas videas appendices, ut nulla arte numerari poſſint.

CAPUT VIII.
DE GLANIDE ET GLAUCO.

DE *Glanide* referunt ſcriptores, piſcem eſſe ingentem & truculentum. In Tibiſco præſertim flumine quod Iſtrum influit, adeo audacter inſurgit, ut nec ipſis parcat hominibus. Publica apud Hungaros fama eſt, inventum in viſceribus ejus manum ornatam annulis pueri in Danubio natantis, ab eodemque devorati, in eo capto inventa fragmina, Comitis Martinengi proditur teſtimonio. *Geſnerus* ſe ex erudito quodam Hungaro accepiſſe ſcribit, in Tibiſco eundem captum, ſeptem vel octo cubitorum plauſtrum occupantem. Eum in fluvio annis ſedecim, ſub culina viri cujuſdam nobilis latuiſſe; hamo tandem ineſcatum, cum fœturam ſuam cuſtodiret, ubi ſe captum ſenſit, exiliiſſe; ſecutos impetum ejus piſcatores ad miliaria duo, denique defatigatum cepiſſe, & in oppidum Nadlac vexiſſe. Ibi in ejus ventre caput humanum, cum dextra manu & tribus annulis aureis inventum eſſe. *Glaucus* hepar habet ſpongioſum, in duos lobos diſtinctum, quorum ſiniſter latior eſt. A dextro autem lobo veſicula fellis parva, piſi magnitudine, velut ex

filo trium digitorum longo dependet, atque in fundo ſtomachi quandam apophyſin, in alio piſce vix conſpectam, gerit, præter quinque alias in pyloro ventriculum obſepientes.

CAPUT IX.
DE HARENGO ET HUSONE.

HArengum aqua vivere *author libri de natura* teſtatur, extractum ex ea non vivere experientia teſtatur. In ejus ventre nil invenitur, quia jejunum tantum habet inteſtinum. Tam magnis ſimul agminibus natant, ut præ multitudine capi nequeant. Lumen ubi conſpexerint, gregatim adnatant, & ſic autumnali æquinoctio capiuntur. Ventribus verſus ſummum æquor obverſis lucent in aqua, & tantum de ſe emittunt ſplendorem, ut mare fulgurare videatur. Mirum eſt quod nonnulli narrant de terræ ſanctæ Oceani Germanici inſulæ incolis, nempe cum circa annum poſt virginis partum MDXXX. ex Harengorum captu bis mille hominum vitam ſuſtinerent, per petulantiam vero aliquando unum ex captis, virgis cecidiſſent, adeo imminutos ibi fuiſſe hoſce piſces, ut poſtmodum vix centum eo quæſtu vixerint. *Huſonibus* loco ſpinæ dorſi cartilago eſt, quæ foramen habet magnum & vacuum, à capite ad caudam quaſi terebello perforatum. Quod *Ælianus l. 14. cap. 25.* de Antaceis ait, illos ætatis progreſſu ad maximi Thunni in Iſtro accedere magnitudinem, tam pingui abdomine eſſe, ut lactentis ſcrophæ ubera ventrem eorum dicas, aſpero tegi corio, ut eo perpoliantur haſtæ, membrana à cerebro ad caudam tam ſtricta, ut ad Solem exſiccata flagelli loco eſſe poſſit; id de Huſonibus accipiendum eſt. Eos enim magnitudine pondo quadringentorum ſe vidiſſe ſcribit *Vadianus* in *Epitome trium terra partium*. Tam timidi ſunt, ut à minimis piſciculis terreantur. Cantum ſequuntur tubarum, adeo, ut ex adverſa accedant ripa. Tanti denique in aquis roboris, ut cauda piſcatorem ſi percuſſerint, de navi deturbent,

quam

quam primum caput aquis extulêre, invalidi redduntur. Vino generoſo potantur, & inebriati plures dies vivunt, exportantur ad exteros. Bibunt autem vini ſextarios quatuor.

CAPUT X.
DE LUCIO ET LUNA.

VEntriculum gutturi ita continuatum *Lucios* habere *Albertus* ſcribit, ut aliquando cum aviditate cibi rejiciat: permultas vero ejus eſſe appendices, in quibus chylus confectus ſervetur, *Rondeleti* habetur obſervatione. Viſus magnitudine inſigni, qui alium inſigniter grandem ventre contineret, & hic ruſus murem aquaticum. Viſus & alter in quo anſeris pulli bini, viſum denique fulicam in ejuſdem repertam ventriculo. In extrema fame terreno veſcitur pabulo. Cum rana naturale diſſidium habet: hinc illi ſæpe ab eadem effodiuntur oculi. Vulnera ſua affrictu tincæ, cujus continuus comes eſt, ſanat. Maxillæ ejus in pollinem redactæ, aurei exhibitæ pondere, calculos frangunt. Venter ei apud Anglos ad duos & amplius reſcinditur digitos, & ſi emptorem non inveniat, vulnere conſuto vivario redditur, in quo tincæ degunt. Cauſa quamvis amicitiæ tribui poſſit; ſatius tamen lento quo obſepitur tinca humori adſcribere, utpote quo vulnus conſolidari poſſit. Lucius Friderici Imperatoris ducentos ſexaginta ſeptem annos in quodam ſtagno vixiſſe dicitur: id ex annulli ærei quem, cum ſtagno eum inderet, in branchiis ſub cute abdiderat, inſcriptione græca, colligitur, quæ talis eſt: *Ego ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impoſitus per mundi Rectoris Frederici II. manus, die quinta Octobris.* Fuit inventus iſte annulus in capto eo lucio anno 1497, ut teſtatur *Conradus Celtes*, referente *Geſner.* in epiſtola nuncupatoria. *Luna* eſt piſcis formæ pulcritudine eximius, exigua magnitudine, lata figura, idemque cyanei coloris ſpeciem gerens, in dorſo habet pinnas molles, quas dum in natando explicat, ad ſimi-

ſimilitudinem Lunæ ſemicirculum efficit. *Ælian. ex Demoſtrato.* Plena Luna exſiccari & interire, ad plantaſque admotum eas marcidas reddere, Cyprini piſcatores vulgarunt.

CAPUT XI.
DE MANATI ET MERULA.

Manati ingens piſcis eſt, qui in Hiſpaniolæ fluminibus capitur. Caput ei bovis inſtar, vel etiam majus, oculi pro corporis magnitudine exigui, bini craſſi pedes tanquam alæ, branchiarum loco, quibus natat, circa caput ſiti. Corio integitur, non ſquammis. Adeo magnus eſt, ut jugo boum opus ſit ad unum vehendum. Nonnunquam quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem ſuperat, octo vero palmorum craſſitudinem; circa caudam ſtrictior eſt, & quaſi præcinctus, à qua ſtrictura deinceps cauda longior & craſſior fit. Lapides quoſdam, ſive potius oſſa habet in cerebro bina, parvæ pilæ palmariæ magnitudine, aut nucis baliſtæ, ac interdum majores, pro piſcium magnitudine. Auribus caret, ſed earum loco exigua foramina habet, per quæ audit. Ejus corium ſimile uſtulati bovis corio, digitum denſum, cinericeo colore, rariſque pilis præditum. Cauda à ſtrictiore illa parte ad extremum uſque tota nervoſa eſt; ex ea in partes conciſa, deinde Soli per quinque aut ſex dies expoſita & reſiccata, tandem in parella cocta, ſive verius fricta, multa pinguedo elicitur: tota enim in pinguedinem reſolvitur. Ad ova in ſartagine frigenda utilis eſt. Nam nec ranceſcit vetus; nec mali evadit ſaporis. Cicuratur, & docilis eſt canum more, ſed injuriarum memorem ex *Franciſci Lopetii* Hiſtoriola patet. *Parvulum captum Regulus Caramatexi in Inſula Hiſpaniola, viginti ſex annorum ſpacio, in lacu Guaynabo dicto aluiſſe fertur, adeoque manſuetum evaſiſſe, licet jam grandem, ut veterum Delphino non cederet: Nam de manu ſumſiſſe cibum, & inclamato nomine Mato, quod magnificum eorum lingua ſonat, lacum egredi ſolitum, ad ædes*

ad ædes cibi ſumendi gratia perreptaſſe, deinde ad lacum remeaſſe, comitibus pueris atque viris, quorum cantu delectari videretur, imo tergo inſidere interdum permittentem, denos ſimul ex una lacus parte in oppoſitam ſine ulla difficultate tranſvexiſſe. Cæterum cum Hiſpanus quidam periculum facere volens, an adeo dura cute præditus eſſet, haſtam vibraſſet in eum, adeo ira exarſit, ut conſpecto aliquo Chriſtianorum veſtitu, inclamatus etiam ex aqua emergere nollet. Valde poſt intumeſcente Haibonico fluvio, & in lacum Guaynalo ſe effundente, in mare regreſſus, magnum ſui omnibus deſiderium reliquit. Merula nil comedit, mortuum niſi viderit. *Ælian.* Mas maxime zelotypus eſt. Nam tum domi quieſcit, & ne inſidiæ inferantur, metu parvulorum obſervat.

CAPUT XII.

DE MIRO PISCE, MOLA, ET MONOCEROTE.

M*Irus* piſcis breviter ab *Ambroſio Pareo* deſcribitur. *In mari*, inquit, *Veneto, inter Venetias & Ravennam, duobus ſupra Clodiam milliaribus, anno* 1550. *captus eſt piſcis volans, valde horribilis & monſtroſus, quatuor pedes longus, capite erat craſſiſſimo, binis oculis non è regione poſitis, duabus auribus & ore duplici, roſtro valde carnoſo & viridi, alis geminis, quinque in gula foraminibus, lampretæ foraminum æmulis, cauda ulnam longa, in cujus ſummo duæ videbantur aliæ exiguæ. Mola* etiam piſcis eſt, Calend. Martii, anno 1552. non procul à Venetiarum urbe captus, qui primo aſpectu maſſa carnea potius videbatur quam piſcis. Forma in orbem vergebat. Corio ſine ſquammis & pilis tectus erat. Os in arctum colligebatur, ut pro belluæ magnitudine miraculo fuerit. Oculi patentes, prominentes, & ampliores quam bobus. Branchiæ detectæ carnoſæ leveſque. Pinnæ in lateribus dodrantales. Tuberculum habebat duriſſimum. Maxillæ utrinque continui oſſis ſoliditate armabantur. Lingua inferiori maxillæ adhærens, ut nonnullis elinguis viſus

ſus fuerit. Cauda paulo minus pedes quatuor longa erat. Pinnæ in cauda tres, ita ut altitudinem cauda cum pinnis novem pedes efficeret. Longitudo piſcis pedum octo erat; altitudo quinque pauloque amplius, & quamcunque in partem volveretur, ſuam ſervabat altitudinem. Exenterati, cor, hepar, lien, bubalo majora reperta ſunt, ac unicum inteſtinum perveniens ad meatum excrementarium ſub alvo collocatum. In imo inteſtini glomus quidam erat, ex nervis quaſi contuſis, inſtar fidium contuſarum; Caro lactea, ſolidaque, tanquam in ſue lardo quinque aut ſex digitos craſſo veſtita, ut in Balænis. *Unicornu ſeu Monocerotem* piſcem appellat *Cluſius*, quem Batavi ex Orientali India anno 1601 reduces attulerunt, Mercator tanti æſtimavit, ut niſi ingenti precio redimi non poſſe putaret. Ab extimo ore uſque ad caudæ pinnas, paulo longior erat tribus unciis, medio corpore paulo plus uncia latus; à ſummo capite, ubi ſupra oculos cornu eminebat, ad infimam alvi partem, quæ etiam in parvum aculeum deſinebat, ſeſcunciam latus; corio fuſci coloris & ſcabro totum corpus tectum erat, os præterea habebat prominulum, anguſtum, ſemunciam longum, binis oſſeis denticulis munitum, qui in denos ſuperne ſecti videbantur, inferne vero in pauciores, niſi ii fuerint abrupti. Oculos, qui eruti fuerant, ſatis magnos habuiſſe videbatur; ſupra quos in capite corniculum gracile eminebat quadrangulare, pene unciam longum decem ſpinulis inſtar hamuſculorum deorſum ſpectantibus, binis lateribus armatum, à quo ad pinnam, quæ à medio dorſo continua ad caudam uſque porrigebatur, interſtitium erat uncialis longitudinis, depreſſum inſtar ſulci cujuſdam. In quem corniculum, dum natat, inclinare videtur, &c. *Hæc Cluſius l. 6. Exotic. c. 27.*

CAPUT XIII.
DE MUGILE ET MULLO.

MVgil piſcis eſt temperatiſſimus; ſi in quempiam inciderit, non prius attingit, quam caudam moverit. Mota enim diſcedit, immobili manente prædæ loco conſumit. *Ælian. l. 1. cap. 3.* Tanta illis ſalacitas, ut in Phœnice & Narbonenſi provincia, coitus tempore, è vivariis marem linea longinqua per os ad branchias religata emiſſum in mare, eodemque linea retractum fœminæ ſequantur ad littus, rurſuſque fœminam mares partus tempore. *Plin. l. 9. cap. 13.* Sunt etiam tam veloces, ut tranſverſa navigia ſuperjacent, jejuni cum ſunt. *Mullus* prodigo veterum luxu adeo fuit inſignis, ut ingenti pecunia venundatus fuerit; imo vero ut argenti puri pondere, ſæpius à privatis etiam Quiritibus (inquit Iovius) emeretur, cum pedis ſuperaret longitudinem. Quin author eſt *Plinius*, Aſinium Celerem è Conſularibus hoc piſce prodigum, Claudio Principe, unum mercatum fuiſſe octo millibus nummûm, id eſt, quadringentis fere imperialibus. Addit *Macrobius l. 3. Saturn. cap. 16.* luxuriam illius ſeculi eo magis licere æſtimare, quod *Plinius* ſuis temporibus negat Mullum repertum, qui duas excederet libras *Scalig.* author eſt *Ex. 226. ſ. 15.* jecur in illo ſiniſtro ventriculi adjacere lateri, dextro lienem. *Albertus* vero illorum eſu extingui libidinem affirmat; tantaque vi homini comedenti vim ſuam infundere, ut ipſum quoque olere videatur. In vino necatum noxam eidem adferre *Athenæus* author eſt; tritos vomitiones concitare ſcribit *Plinius*.

CAPUT XIV.
DE MUSTELLA FLUVIATILI, ET MURÆNA.

MVſtella fluviatilis jecinora tanti ſunt ſaporis, ut apud Thuringos olim Comitiis cujuſdam Bichlingorum matronam omnes dicant principatus ſui redi-

tus, in eorum conſumſiſſe deliciis. Ante natalem Domini præcipue laudantur, improbantur ante partum. Nam tum nonnullis in aquis grandinoſa fiunt. Caupones aliqui exciſis jecinoribus piſces aquæ reddunt, conſuto vulnere. Ventriculum illius cum ſuis appendicibus miras habere vires tradit Encelius. *Inveteratum enim, ut fit* (inquit) *in Saxonia à matronis, trahere mirifice ſecundas hærentes, aut in partu relictas in potu datum; & magni momenti eſſe ad omnia matricis vicia.* Colligi ajunt & oleum ex hepate ad Solem vel ad fornacis calorem ſuſpenſu intra vas vitreum. Hoc tantæ præſtantiæ in ſuffuſionibus oculorum & maculis eſſe putatur, ut *Foreſtus in Obſervationibus*, miraculi inſtar tenebroſum viſum lucidum reddere ſcribat. Ingentem *Murænarum* eſſe audaciam à *Nicandro* proditum eſt. Sæpius enim prodeuntes è vivariis, laborioſos piſcatores in ſalum fugientes mordere, & è navibus in mare pronos dejicere ſolent. Cicurem tamen etiam eſſe, illius Murænæ exemplo conſtat, quam L. Craſſus qui cum Cn. Domitio Cenſor fuit, inauribus & gemmis diſtincto monili exornaſſe, Macrobius, Ælianus, & alii teſtantur. Hæc appellantis Craſſi cognoſcebat vocem, adnatabat vocata, cumque aliquid porrigeretur, gaudio exiliens captabat. Flevit mortuam Craſſus & ſepulturæ affecit honore. Cum vero Domitius acerbius aliquanto in eum dixiſſet; Stultè, Craſſe, murænam fleviſti mortuam, reſpondiſſe fertur: Equidem ego de beſtiæ morte flevi; Tu vero nullos, ne ex trium quidem uxorum interitu, quas ad ſepulturam dediſti, luctus percepiſti. Ferunt, teſte *Plinio l. 9. c. 23.* aceti guſtu in rabiem agi. Mirum vero quod tradit *Ælianus l. 1. c. 37.* Si plagam unam acceperint, torpeſcentes perſtare: ſin plures inferas, funditus ira accendi.

CAPUT XV.
DE PERCA ET PHOCA.

P*Ercas* veſiculam quandam rubram ex ore pendentem per idem emittere, piſcatores in Lemano lacu, ut nar-

ut narrat *Geſnerus*, obſervarunt; quæ vel invitas ſupernatare cogit. Præ iracundia autem id fieri exiſtimant, quod in retia inciderint. Hoc enim tum maxime pati, cum trahunt eadem: ſed mirum eſt hyeme tantum id ipſis accidere. Fœtus adeo ſibi cohærent continuo, ut eos in lacu piſcatores glomerent. Iecur in omnibus grandine affectum, *Gregorius Mangoldus*, citante *Geſnero*, ſcribit. *Phocæ* inter dormiendum tam alte ſtertunt, ut mugitum edere videantur. Piruitoſum humorem qui in aſpera arteria ſit, inſpirando & expirando agitatum, in cauſa eſſe ſcribit *Rondeletius*. Maximus illis cum mari eſt conſenſus. Excoriatis enim pilis in pelle ubicunque fuerint, ceu naturali quodam inſtinctu, prout ſe mare habet, ita ſe gerere dicunt. Hinc ſi mare turbatum in fluctus ſurrexerit, & illi erecti exſurgunt: ſin mare pacificum fuerit, plane ſternuntur. Quod cum non crederetur Plinio, periculo in Indico mari facto, circa Hiſpaniolam Inſulam non amplius fabuloſum haberi *Cardanus* aſſerit. Eorundem corio mutationes ſignificari, author eſt *Rondeletius*. Auſtrinis enim ventis inſurgentibus pili inhorreſcunt: in boreali conſtitutione ita deſident, ut nullos plane affirmes. Inſtitutum à circumforaneo quodam unum vitulum vidit *Aldrovandus*, qui ad nomen cujusvis principis Chriſtiani, gaudio correptus, obſtrepere nonnulla viſus eſt; ad Turcæ vel Hæretici tacuit.

CAPUT XVI.
DE RAJIS ET REVERSO INDICO ANGUILLIFORMI.

R*Ajæ* unum aut duos fœtus uno partu edunt, ſed iteratis vicibus plures. Ova ſine teſta primum conſpiciuntur, in ſuperiore vulvæ parte, quorum alia gallinæ ovorum magnitudinem æquant, alia his minora ſunt, quædam vix ciceris ſunt magnitudine. Plura centenis aliquando in ſingulis numeravit *Aldrovandus*. Ex his quæ à perfectione propius abſunt, in inferiorem vulvæ par-

partem demiſſa, teſta operiuntur, in qua albumen & vitellus continentur. Hanc rem cum vehementius admiraretur idem, cauſamque inveſtigaret, ova gallinarum recens formata, in quibus ne veſtigium quidem albuminis apparebat, coxit, & caloris vi candidum à luteo vidit ſecretum. Hinc eſſe id initio confuſum, ſed paulatim calore vires exerente ſuas, ſeparari, & ex craſſiore parte, indurata teſta, circumdari agnoſcitur. *Olaus in tabula Septentrionali*, paulo ultra Daniæ fines, Rajam hominem à multitudine canum defendentem, in Oceano pingit. *Reverſus Indicus & anguilliformis*, piſcis eſt ignotæ figuræ, corpore anguillæ grandiori perſimilis, habens in occipite pellem tenaciſſimam, in modum magnæ crumenæ. Hunc victum tenent in navis ſponda funiculo incolæ; ſed tantum demiſſo, quantum piſcis intra aquam carinæ queat inhærere; neque enim patitur ullo pacto aëris aſpectum. Viſo autem aliquo piſce aut teſtudine, quæ ibi ſunt magno ſcuto grandiores, piſcem ſolvunt. Ille ſolutus ſagitta velocius piſces aut teſtudines adoritur; pelleque illa crumenaria injecta, prædam raptam ita tenaciter apprehendit, ut exolvere ipſum nulla vis ſufficiat, niſi extra aquæ margi nem paulo glomerato funiculo extrahatur. Viſo enim aëris fulgore, ſtatim prædam deſerit. Martyr Rondeletius ei Elephantis adſcribit ingenium, cum & cicuretur, & loquentes intelligat.

CAPUT XVII.

DE REMORA ET SCARO MARINO.

R*Emoram* naves remorari, & veteres crediderre, & modernis demonſtratur exemplis. Navem Franciſci Cardinalis Turonenſis, cum aliquando è Gallia maritimo itinere pergeret, ferunt, narrante Petro Melara Bononienſi, in medio detentam curſu: cauſam multi inquiſivere, nemo certam reddidit. Propter officium ſunt immobilia quædam ſemper, ut poli: quædam ratione loci, veluti terræ pars, quæ eſt in centro. Nunquam enim movebitur naturaliter. Contrà,

trà, officio quædam ſemper mobilia, ut Cœlum, quædam natura loci, ut flumina. Ita quibuſdam movendi eſt facultas, ut magneti; contraria quibuſdam, ut Remoræ. Quia vero ratio reddi nequit, cur calori adverſetur frigus; ita ne in illis quidem, cur ea quæ principia in ſe habent effectiva motus, moveant; quæ quietis, faciant quieſcere. *Keckermannus* humori frigido à Remora fuſo adſcribere videtur, qui aquam circa gubernaculum conglacier, *in Diſput. Phyſicis. Scarum* ſolum ex omnibus piſcibus ruminare, author eſt *Ariſtoteles l. 2. Hiſt. cap. 17.* Incluſum naſſis non fronte erumpere, ſed averſum caudæ ictibus crebris laxare fores, Ovidius teſtatur. In Creta eos aſſant veru per os transfixo, ibidemque eorum ventriculos delicatioribus cibis refertos piſcatores liguriunt, jecinora ſimul, quæ prægrandia & ſine ullo felle, excrementaque addito ſale & aceto conterentes. *Bellonius.*

CAPUT XVIII.

DE SERPENTE MARINO ET STURIONE.

IN mari ſerpentes eſſe certiſſimum: diverſæ eoſdem magnitudinis hiſtoriæ oſtendunt. In Africa triremes evertere & trucidare homines Ariſtoteles refert; Circa Norvegiam ad centum aut ducentos pedes longum tranquillo apparere mari, nautis infeſtum adeo, ut hominem quandoque è navi abripiat, ſcripſit *Olaus Magnus.* Pugnam eorum cum terreſtribus *Schiltbergerus quidam Bavarus* deſcripſit. *In regno Genyck vocata* (verba ejus) *Urbs eſt nomine Sampſon. Eam, quo tempore ego apud Vrejaſitam Turcarum Regem eram, Colaberi aquatiles ac ſerpentes terreſtres innumeri circumquaque per milliaris ſpacium circumdabant. Veniebant autem hi ex ſylvis, quæ multæ ſunt in vicina regione, illi vero è mari. Hi dum colliguntur per novem dies, nemo præ metu ex urbe egredi audebat, quamvis nec hominem, nec alia animalia lædebant. Decimo die duo hæc ſerpentum genera inchoatum*

tum diluculo conflictum ad Solis uſque occaſum produxere. Cedebant autem aquatiles terreſtribus ; & poſtridie octo occiſorum inventa ſunt millia. *Sturionem* in Albi tabeſcere multi credunt ; *Geſnerus* aliquando ſexaginta librarum ſupra ducentas pondo captum, à Iohanne Frederico Saxoniæ Electore totidem florenis emptum tradit. Cauda tantum valet ut ligna diſſecet, hominem robuſtum proſternat, ex lapidibus, ſi eos percuſſerit, ignem eliciat. Id autem attritu oſſiculorum quibus toto corpore mucronatus horret.

CAPUT XIX.
DE SALMONE ET TURDO.

S*Almo* circa Coloniam bicubitalis eſt, apud Miſenos & Deſſaviæ circa Albim fluvium majores à libris viginti quatuor uſque ad triginta ſex accedunt. In Helvetia circa Tigurum triginta ſex librarum aliquando graviores capiuntur. Inteſtinum in eo in plures partes ſicut in digitos dividi, ait *Albertus*. *Geſnerus* in diſſecto à faucibus patulis duos ſe obſervaſſe meatus ſcribit, deorſum protentos, unum ad ventriculum, quem œſophagum vocant, alterum anonymum. In Mulda fluvio ſi præcipitium aquæ, juxta Deſſaviam ſecundo ac tertio fruſtra ſaltu ſuperare conatus fuerit, vadum petit, eoque in loco ſub lapidibus & ſaxis deliteſcens, emaciatur, æneì coloris maculis impletur, roſtrumque in magnum hamum inflectit. In Scotia autumno rivulis plerumque aut locis vadoſis coëuntes junctis ventribus ova pariunt, ſabuloque contegunt, quo tempore maſculus adeo lactibus, genitura, fœmina ovis exhauſta eſt, ut ne quicquam præter oſſa ac ſpinas pellemque ſuperſit. Macies illa contagii loco habetur, cum obvios quoſcunque ſui generis inficiant. Rei indicium, quod perſæpe uno latere extenuati capiuntur ; reliquo non ita. Ex ovis arena obrutis piſciculi ineunte vere naſcuntur adeo molles, ut donec digiti magnitudinem non exceſſerint, manu compreſſi velut humor concretus diffluant.

fluant. Tum primum natura duce ad mare pergunt, vigintique dierum ſpacio aut paulo majore, incredibile dictu, qualem in magnitudinem exereſcant. Ibidem venientes ex mari flumine adverſo, mirabile de ſe ſpectaculum præbent. Flumina enim hinc atque illinc anguſtis preſſa rupibus, ac proinde veloci demiſſa curſu, ubi prærupto caſu deſcendunt, non per canalem ſtatim prodeunt, ſed incurvatæ undæ impetu paululum per aëra feruntur, antequam cadant. Vivaces eſſe cordis extracti vivacitas oſtendit. Teſtatur Robertus Conſtantinus, ſeſe Baſileæ exenterati Salmonis cor, aquoſa aſperſum ſanie, ultra diem vivere conſpexiſſe. *Turdorum* aliquot ſunt ſpecies. Quidam veluti Apophyſes habent è mento dependentes, cutaceas, ſubflavi coloris. Toti aureo magna ex parte, item amethiſtino, cæruleoque magna ex parte variant. Oculi maximi ſunt, quorum auream pupillam circulus ambit niger, nigrum rurſus aureus, aureum cæruleus, hunc iterum aureus, ac tandem niger alius omnes ambit. Pinnæ ad branchias aureæ omnino ſunt, pectoris vero totæ carulex, præter earum nervos, qui aurei ſunt. Quæ vero ab ano eſt, item quæ in dorſo ac cauda, qua uropygio junguntur, aureæ ſunt; ſed maculis parvis ſanguineis reſperſæ, cætera cæruleæ.

CAPUT XX.

DE TORPEDINE ET THUNNO.

DE *Torpedine* nil habeo quod dicam, niſi quod torpore manus afficiat: hincque illi nomen. Id autem tam efficaciter, ut priuſquam capiatur per rete vel arundinem id afficiat. Hoc aſtu uſa, limo & cœno obducta venatur piſciculos. Mirum. *Plut. l. 1. Vtr. anim.* *Thunni* quamvis in plurimis capiantur locis: circa Byzantium tamen maxime. Nam poſtquam Cyaneas inſulas attigerint, tranſierintque ex ripa Chalcedonia, albicans occurrit petra quædam, tantumque beſtiis ipſis incutit terroris, ut è veſtigio in ulteriorem

riorem convertantur ripam: quas cum præceps aquarum curſus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornuque Byzantii deflectat, & eo naturæ impetu propellat, in inſidias incidere mirum non eſt. Alias generatio illorum in Mæoticis fit paludibus. Inde cum modicum increverint, erumpunt grege facto per os ipſum, ac propter littus Aſiaticum uſque ad Trapezuntem excurrunt. Quia vero tempeſtates ac frigora, unde oculi eorum hebetantur, oderunt, in profundiſſimo quodam Thracii maris receſſu, qui Melas cognominatur, ac loca cava & cænoſa piſcibus alendis idonea fovet, morantur, ad vernumque tempus creſcunt. Ventorum flatus intelligere videntur: nam *Plinius* teſtatur, operiri eos Aquilonem, ut ſecundo fluctu exeant è Ponto. Pontum autem aliter intrant, aliter exeunt. Dextrorſum enim ſecundum *Ariſtotelem l.* 8. *Hiſt. c.* 13. terram contingentes cum ſubeunt, remeant contra; lævum enim in latus ſe admovent; quod propterea facere (inquit) dicuntur, quia dextro oculo clarius vident ſua natura, lævo hebetius. Noctu eos proficiſci antiquiſſimum Amphylli vatis apud Herodotum teſtatur oraculum. Hinc adſtipulatur antiquiſſimus nummus, qualem ſe vidiſſe Lutetiæ teſtatur *Bellonius*; in quo altera parte Spica, altera Thunnus conſpiciebatur, & ſuper hunc Luna inſcriptione PHILLIPENSE. Dormiunt tam profunde, ut ſomno obruti capiantur.

CAPUT XXI.

DE URANOSCOPO, ET XIPHIA.

Uranoſcopus piſcis eſt ſolivagus carne veſcens adeo vivax, inquit Bellonius, ut ſi internis omnibus ſpolies, nihilominus adhuc moveatur: eſt omnium piſcium voraciſſimus. Apophyſin extra os propendentem habet, qua piſciculis ſtruit inſidias. Inſatiabili eſſe abdomine vel id declarat, quod ſi cibum illi objeceris, eo uſque veſcatur, donec cibus exaggeratus, ad ipſum os redundet. Xiphiæ utraque maxilla roſtrata eſt,

ta eſt, brevis tamen & triangularis inferior, ſuperior magis oſſea, durior, multoque longior, bicubitalis namque nonnunquam. In Oceano Indico in tantam augentur magnitudinem, ut validiſſimarum navium latera ad ſeſquipalmum aliquando perforent, *Iovius*. Geſnerus ex amici fide digni relatu, quendam cum in Syriam navigaret,.. natantem juxta navem vidiſſe ſcribit, medium ab hoc piſce roſtro diſciſſum. Balænam exhorreſcit, & eam conſpicatus, gladium ſuum in terram aut obvium quemcunque vadi locum impingendo, truncum ex ſe format. Balæna negligens prænatat.

CAPUT XXII.

DE QUIBUSDAM ALIIS PISCIUM ADMIRANDIS.

IN fodinis inveniuntur etiam piſces; præſertim ſi humida fuerint loca, imo etiam ubi nulla aqua. In multis Ponti locis animadvertit *Theophraſtus*, in Paphlagonia *Eudoxus*, Orteranti ultra Albim *Agricola*. Ad Narbonem amnem planicies eſt, per quam fluvii feruntur Iliberis & Roſchinus, piſces foſſiles in ea. Terra ibi tenuis, & multum naſcitur graminis, ſub quod altitudine duorum aut trium cubitorum aqua fluminum dilatata, fluit. Si quando inundaverint, planiciem ſubterraneis piſcibus refertam efficiunt, *Polyb. in Hiſtor.* Duo ſunt illorum genera. Teretes nonnulli ut anguillæ, verum pelle carent tenaci, ſquamis ut gobii; carnis duræ, nec gratæ guſtui. Majores duos craſſi digitos, digitum minores. Illi palmos longi quatuor, tres hi, ſonum edunt acutum. Incluſos pharmacopolæ vitro ſuſpendunt de trabe, & pane longo tempore alunt. Ex fluminibus interdum, quæ currunt in paludoſis locis, egreſſi, per riparum venas penetrant in terram longius, in cellas interdum. *Theophraſtus* ſcribit, in latebris propter ſenſuum nil ſentire ſtuporem, donec ollæ injiciantur coquendi, ſed effoſſos moveri. In flumine quodam Orientalis Indiæ piſces ſunt *Tubarones* dicti, tam

tam rabidi, ut cuidam nautæ ſupra aquam ad navis ſtanti latus, unus pedem primò, poſt manum morſu abſtulerit. *Linſchottan. in Navigat.* Incredibile fere eſt quod idem memorat; navem nimirum ex Mozambique tendentem per quatuordecim dierum ſpacium, vento ſecundo, nil obſtante, retroceſſiſſe; idque ex altitudine Solis ſingulis diebus obſervata, animadverſum. Cumque anxii nautæ cauſam inquirerent, & veneficia ſuſpicarentur, piſcem tandem ſub navi inventum, quem navim in tergo, contra venti appulſum natando, portaſſe collegere. Hoc enim magna cum difficultate depulſo, rectum ſtatim tenuere curſum. Hiſtoria in palatio Proregis Goani depicta, addito Nauclери, anni & menſis nomine. *Blefkenius in deſcriptione Iſlandiæ* ſcribit, in mari Iſlandico eſſe monſtrum, nominis incogniti, ſed Balænæ ſpeciem judicant. Cum caput ex mari oſtendit, homines ita perterret, ut fere exanimati decidant. Caput quadratum habet, oculos flammeos, circumcirca nigris cornibus munitum; Corpus nigrum & atris pennis obſitum eſt, ſi quando noctu conſpicitur oculi igniti ſunt, ut totum caput, quod ex mari exerit, illuſtret. *Olaus lib.* 12. ejus mentionem facit, & duodecim cubitorum eſſe adjicit. Coronidis loco adjicio, in Ieilan inſulæ fluvio piſcem eſſe, quem ſi quis manu capiat, continuò febre corripiatur; amiſſo, liberatur. Hinc Scaliger Febrium vocat. *Ex.* 218. *ſ.* 6.

THAU-

THAUMATOGRAPHIÆ NATURALIS

CLASSIS DECIMA:

In quâ

HOMINIS ADMIRANDA.

Seneca.

Quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit parens noſter, quanto valentiora animalia ſub jugum miſerimus, quanto velociora aſſequamur, quam nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique cui nihil non eodem quo intendit momento pervium eſt, ſyderibus velociorem, quorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit.

SYL-

SYLLABUS CAPITUM ET ARTICULORUM,

CLASSIS DECIMÆ.

CAP. I. *De homine in genere.*
CAP. II. *De nutritione.*
Art. I. *De Venenatorum innoxio eſu.*
Art. II. *De aliorum inſolitorum ciborum eſu.*
Art. III. *De edonibus prodigioſis.*
Art. IV. *De bibonibus monſtroſis.*
Art. V. *De quibuſdam circa ebrietatem reconditis.*
Art. VI. *De Pane.*
Art. VII. *De Inedia ſtupenda.*
CAP. III. *De Concoctione.*
Art. I. *De Hepate & Liene.*
Art. II. *De Humoribus in genere.*
Art. III. *De Sanguine.*
Art. IV. *De Vrina & de Renibus.*
Art. V. *De Sudore.*
Art. VI. *De Inſenſili tranſpiratione.*
CAP. IV. *De Accretione.*
Art. I. *De Gigantibus.*
Art. II. *De Pygmæis.*
CAP. V. *De generatione.*
Art. I. *De Semine,*
Art. II. *De Menſtruo, ſanguine, & lacte*
Art. III. *De membris generationis.*
Art. IV. *De Sexu fœmineo.*
Art. V. *De Vagitu uterino.*
Art. VI. *De Partu numeroſo.*
Art. VII. *De Monſtroſo partu.*
Art. VIII. *De compenſatione naturâ monſtris facta.*
Art. IX. *De Variarum formarum gentibus.*
Art. X. *De Antipathia quadam mira inter patrem*

patrem & filium.
Art. XI. *De quibuſdam circa generationem miris.*
Cap. VI. *De actione vitali.*
Art. I. *De Corde.*
Art. II. *De Pulſu.*
Art. III. *De Vita & morte.*
Art. IV. *De Venenorum infectione.*
Cap. VII. *De ſenſu Interno & Externo.*
Art. I. *De imaginationibus Melancholicorum.*
Art. II. *De Imaginationis efficacia.*
Art. III. *De Viſu & Olfactu.*
Art. IV. *De Facie.*
Art. V. *De Somniis.*
Art. VI. *De Noctambulis.*
Art. VII. *De nonnullis circa caput ac ſenſus obſervandis.*
Cap. VIII. *De Locomotiva.*
Art. Unicus. *De Miro quorundum robore & agilitate.*
Cap. IX. & ultimum; *De anima rationali, imprimis vero Memoria.*

ADMI-

ADMIRANDA HOMINIS.

CAPUT I.
DE HOMINE IN GENERE.

HActenus irrationalia fuere animalia. Homo ſequitur, de quo ſecundum actionum naturalium, vitalium, animalium & rationalium ſeriem agemus, incepturi à fabrica. Eſt autem hæc tam elegans & miranda, ut magis eſſe nequeat. Corpus Adami ex terra efformatum eſt; noſtra ex tribus ſeminis guttulis, & tantilli ſanguinis lactis in morem fuſis, caſeique ritu coagulatis effictum, & ex eadem materia tot & tam diverſæ productæ partes. Totum ædificium plus quam ducentis ſuffultum eſt oſſibus: totidem cartilaginibus, articuli omnes incruſtati, ligamentis quamplurimis omnia connexa; membranis innumerabilibus veſtita; nervorum pluſquam triginta paribus, ceu funiculis quibuſdam, membrorum vaſtiſſimæ moles irrigatæ: arteriis totidem velut aquæductibus ſpumante ſanguine & ſpiritu vitali omnes partes perfuſæ: muſculis fere quadringentis, & diverſi generis carnibus ceu tormentis vacua ſpacia repleta & viſcera obtecta; cute denique omnia circumdata ſunt. Eſt in ea & Dei effigies (mente repræſentat eandem) & omnium animalium vires ac temperamenta in ſe tenet incluſa. Multos reperies qui *ſtruthionis inſtructi ventriculo:* multi qui *Leonis corde*, haud pauci *qui canis*; plurimi *qui ſuis*; infiniti, qui *aſini natura* gaudent. *Alexand. Macedo* tanta erat humorum ſymmetria, ut ipſius ſpiritus & humores, imo *exanime cadaver, naturale balſamum, odoris referret fragrantia.* Quin in eo tanquam centrali puncto, nodo, & faſciculo, creaturarum omnium radices & ſeminariæ deliteſcunt rationes. Vegetabilia ſpiritibus balſamicis mineralium, animalia vegetabilium & per has mineralium: homo vero

vero propter quem omnia condita ſunt, animalium, vegetabilium, & mineralium nutritur & augetur. Quare ex iiſdem etiam, ut conſtet, ratio poſtulat. Florent itaq; in homine, & fructus ſanitatis vel morborum nuncios proferunt, meliſſa, violæ, chamedrys; puta ſpiritus, cordis, cerebri, & hepatis: urtica, aron, flammula: puſtulæ, pruritus, herpetes. Fiunt in eodem quoque mineralium ſeparationes, paroxyſmis conſpicuæ, vitrioli aluminis, ſalis gemmæ, colcotaris, tartari; nempe lepra, elephantiaſis, morphæa, cancer, variis tincturis & ſignaturis ſeſe prodentes. Nec deſunt aquæ generationes, aurum, argentum, ſtannum, cuprum, ferrum, plumbum: cor, cerebrum, hepar, renes, ventriculus. Quin reperiuntur in corporibus noſtris fodinæ, è quibus lapides eruuntur, renum & veſicæ calculi, non ad ædificandam, ſed ad deſtruendam domum. Caput humanæ mentis arx, rationis ſedes, ſapientiæ domicilium, memoriæ, judicii & cogitationum officina, ſupremum occupans locum, annon ſupremam & Angelicam mundi partem refert? Mediam & cæleſtem habes in thorace & medio ventre ad unguem expreſſam. Vt enim ad ſolis acceſſum, ſuperiora colluſtrantur, & inferiora vivificantur omnia: Contra vero, Sole de ſede ſua digreſſo, horreſcunt, & ad interitum vergunt: ita & cordis perpetua motione, ejuſdemque vitali calore omnia vigent, lætitiarumque ſeges ſeſe oſtendit uberrima: eo vero curis, triſtitia, metu, aliiſque nebulis obfuſcato, omnia debilitantur, & tandem pereunt. Sublunarem mundi partem in ventre inferiori expreſſam, quis non videt? in eo partes nutritioni, coctioni & procreationi dicatæ continentur. Stellatum errantium forſan ducatum in Microcoſmo deſideras? Ecce, humectantem Lunæ potentiam profluens Cerebri refert medulla. Venereæ juriſdictioni genitales inſerviunt partes. Mercurio ingenioſo facundiæ & venuſtatis debentur inſtrumenta. Solis & cordis maxima eſt analogia; benefico Iovi humanum epar, fons gratioſi vaporis confertur. Martis incendium &

furorem, fellis in ſe concipit veſicula. Saturni ſydus frigidum flaccida lienis caro, humoris melancholici receptaculum perpulchrè refert. Imo ſi ulterius aſcendere licet, Elementa, Maria, Ventos, hic adumbrari, audacter dicere poſſum. Spiritus humani corporis, cœlum quintam illam denotant eſſentiam. Quatuor humores Elementa exprimunt. Bilis calida & ſicca Ignem: Sanguis calidus humidus Aërem: Pituita frigida humida Aquam: Melancholia frigida ſicca Terram deſignant. Sic venter hominis Terra eſt omniformium frugum ferax. Vena cava Mare Mediterraneum. Veſica mare occidentale, in quod omnia flumina exonerantur, & ſal ſuperfluum reſolutum colligitur. Habet Orientem in ore: Occidentem in ano: meridiem in umbilico: ſeptentrionem in dorſo. Summa. Europa, Aſia, Africa, America geographicè deſcribi poſſunt in homine. Vere itaque barbarus *Abdalas*, *hominis corpus admirabiliſſimum quid eſſe* pronunciavit, vere hominem *Protagoras* πάντων χρημάτων μέτρον, *Theophraſtus Vnivèrſi exemplar & Mundi Epitomen*, *Syneſius horizontem corporeorum & incorporeorum* nominavit. Vere denique cum *Zoroaſtre* exclamabimus:

ὦ τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα.

Manet ſcilicet θείων χειρῶν πλαστούργημα δαιδαλιώτατον.

CAPUT II.

DE NUTRITIONE.

ARTICULUS I.

DE VENENATORUM INNOXIO ESU.

VEnena aliquando longa conſuetudine alimenta fieri, Hiſtorias ſi reſpicimus, vix dubitandum eſt. Multæ enim, & à probatis cum ſcriptæ fuerint

fidem

fidem apud quoſvis merentur. *Avicenna*, *Rufus* & *Gentilis*, puellæ meminere, quæ à teneris venenatis nutrita, peſtiferum adſtantibus contraxit habitum. *Coloniæ Agrippinæ* in deliciis araneas habuiſſe quandam, *Albertus* author eſt. *Porus* quidam *Indorum Rex* veneno quotidie utebatur, alios ut perimeret. Viſus qui commorſus à venenatis occidebat eadem. *Avicen. l.* 8. *de Anim. cap.* 2. Nota hiſtoria puellæ veneno nutritæ, qua Reges Perſarum petimebant alios. In Helleſponto *Ophyogenes* ſerpentibus veſcuntur. Quidam ſimili delectatus victu, in repletum ſerpentibus dolium injectus, intactus permanſit. *Plinius* & *Athenagoras Argivus* nunquam à ſcorpionibus lædi poterant, & Æthiopes Hydaſpidis fluvii incolæ, è ſcorpionibus & aſpidibus lautiſſima patabant fercula. Anum quandam Athenienſem magnam cicutæ ſine noxa eſitaſſe quantitatem *Galenus* author eſt. *Empiricus*, triginta drachmas aliam ſine læſione ſumſiſſe, perſcripſit, *Hipot. Empir.* Lyſidem quendam quatuor Opii deglutiiſſe drachmas, idem teſtatur. Thracia illa mulier ex manipulis veratri gratiſſimum habuit obſonium. Denique

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Cauſas hujus ſi inquiris, varias eſſe exiſtima. Nam primo eſt naturalis cuique proprietas, ob quam ſturni cicutæ, ſues hyoſciami delectantur eſu. Dein eſt veneni portio certa, quæ venenorum immutat potentiam & ſubjecti diſpoſitionem. Tum corporis debilitas vel robur. Quatuor ſe vidiſſe venenoſa edentes fercula, refert *Conciliator*; quorum unus ſubito mortuus, duo læthaliter ægrotarunt: tertius evaſit. Accedit quantitatis & compoſitionis vis, temporum & locorum, in quibus colligitur varietas. Sic *Traſſius Mantinenſis* cicutam in frigidiſſimis colligebat locis, ut citius interimeret; ut idem faceret certum compoſitionis apud Chios fuiſſe modum *Theophraſtus* oſtendit *l.* 9. *Hiſt. Plant.* A ſcorpione ictus plures dies vivere poteſt: ſeptem ab ammodite. Cherſydrus intra

tres dies, aſpis intra tres horas, ſubitò Baſiliſcus interimit. Commiſtione denique ejuſdem generis venenis promoveri operationem, impediri diverſi, mulieris virum occidere volentis hiſtoria teſtatur. Alias certum eſt, calida vinci non poſſe. Nam & ſublimatum ob ingentem vim corroſivam à natura aſſimilari nequit, & Napellus ſumma ſua caliditate enecat.

ARTICULUS II.
DE ALIORUM INSOLITORUM CIBORUM ESU.

Puellam quandam ſtercoribus delectatam legimus apud *Nancelium l. 3. Analog.* Virum nobilem foria puellarum recentia avidiſſimè ſorbillaſſe, idem refert. Calcem vivam pugni magnitudine devoravit quædam apud *Fernelium l. 6. Pathol. cap. 3.* fila ex veſtibus apud *Trincavellum l. 7. cap. 5.* goſſipium & lanam apud *Luſitanum c. 3. Cur. 86.* lacertas apud *Marcellum Hiſtor. Mirab. l. 4. cap. 1.* Tartarorum quinquagenaria mulier apud *Nicolaum ſerm. 5. tract. 4. cap. 36.* Crines denique alia apud *Camerarium.* Id in ſingulari morbo accidere poteſt; quem μαλακίαν in prægnantibus, κίτταν in virginibus & aliis appellamus. Cauſa ejus humor vitioſus & pravus tunicis ventriculi impactus, vel in eodem genitus ex prava victus ratione, vel ab utero eodem affluens. Hinc primis tribus menſibus præſertim prægnantibus accidit, cum & vomitus accedunt, & fœtus minus abſumit: Virgines infeſtat, cum menſium intercipiuntur fluxus. Quomodo autem talis appetitus ab hac cauſa excitari poſſit, difficile eſt dicere, & ſatius occultæ tribuere qualitati, quam in manifeſtis committere abſurdum. Quod vero de *Lazaro* quodam narratur, eum vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viva animalia, piſces vivos voraſſe: & nos de ruſtico in Friſia eadem pro mercede faciente, à *Clariſſ. Winſemio in prælectionibus Anatomicis* accepimus: id ob nervorum videtur acci-

accidiſſe vitium. Nam in illo diſſecto, quartam nervorum conjugationem, quæ guſtus gratia in aliis hominibus producta eſt, neque ad palatum neque ad linguam reptaſſe, ſed ad occipitium reflexam, *Columbus* obſervavit *Anatom. l.* 15. Odore etiam nutriri poſſe hominem quidam exiſtimant; nec deſunt quæ factum teſtantur Hiſtoriæ. *Rondeletius de piſcib.* quendam Romæ annos quadraginta ſola aëris inſpiratione nutritum reliquit; & Democritum Abderitanum philoſophum, panis vino affuſi olfactu, ne Cereris profanaret ſacra, vitam quatriduo ſuſtentaſſe *Laërtius* author eſt. Sola contemplatione homines diutius vivere poſſe affirmat *Cardanus l.* 8. de *Variet. Rerum*, *cap.* 41. Ad extremos denique fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, aſtomorum gentem ſine ore, corpore toto hirtam, veſtiri frondium lanugine, halitu tantum viventem & odore, quem naribus trahant, Megaſthenes ſcribit, nullum illis cibum, nullumque potum; tantum radicum florumque varios odores, & ſylveſtrium malorum quæ ſecum portant longiore itinere ne deſit olfactus; graviore paulo odore haud difficulter examinari. *Plin. l.* 7. *cap.* 3. Sentiendum tamen odores, quia qualitates ſunt, nutrire non poſſe: reficiendo cerebrum fovere, nemo negabit.

Articulus III.

DE EDONIBUS PRODIGIOSIS.

Mulier Alexandriæ olim fuit, quam, *Athenæus* prodit, *libras carnis duodecim ediſſe, panis quatuor chœnicas, id eſt totidem & amplius librarum; vini autem congium adbibiſſe.* Maximum Imperatorem bibiſſe ſæpe in die vini capitolinam amphoram: comediſſe & quadraginta libras carnis: ut autem Cordus dicit, etiam ſexaginta, *Capitolinus* autor eſt. Amphora autem octo capit congios. *Phagon* quidam, apud *Vopiſcum*, Aureliano Principi in deliciis, uſque eo multum comedit, ut uno die ante menſam ejus A-

prum integrum, centum panes, veſvecem, & porcellum comederet; biberet autem in fundibulo appoſito plus Orca. Orca autem vas vinarium fuit amphora ſane majus. Quid vero de *Clodio Albino Imperatore* dicam? Is, *Capitolino* ſcribente, *tantum pomorum hauſit, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Græci Calliſtruthias vocant, jejunum comediſſe Cordus dicit: & centum perſica campana, & melones Oſtienſes decem, & uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadringenta.* Vguccio Fagiolanus exſul & jam ſenex apud Canem Scaligerum Veronæ gloriabatur in menſa: ſe juvenem quaternos capos altiles, & totidem perdices, item hædi clunes aſſos, & vituli infarctum pectus, præter ſalſamenta una in cœna eſitaſſe. Huc pertinere videtur vir prodigioſæ vaſtitatis, *Maximiliani Cæſaris* tempore, qui vitulum crudum cum ove incocta una devorabat vice. Nec non *Suidrigellus Dux Lithuaniæ* qui in ſex cœnam producebat horas, centum triginta utebatur ferculis. *Sylv. l. 2. Comment. in Panormit.* Quin & *Thimocreon Rhodius*, cujus Epitaphium tale erat:

Multa bibens, & multa vorans, mala multaq; dicens,
Ipſe viris jaceo Timocreon Rhodius.

Cæterum nimium vorandi deſiderium, ſi à præternaturali cauſa oriatur, Bulimos dicitur; & ſi cum vomitu fiat, canina appetentia. Fitque vel à ſucco ventriculum mordente, vel toto corpore exhauſto, vel aëre etiam frigido operante, vel denique vermibus. Hinc & *Brutus*, cum Dyrrachio in Apolloniam per nives iter faceret, eum fere contraxit; & in muliere, poſtquam duodecim digitorum excreviſſet vermem, conquievit eſurire; & alia deſiit poſtquam centum excreviſſet vermiculos. Epidemium aliquando hoc malum *Ferrariæ* fuiſſe *Braſavolus teſtatur*, *Boruſſiæ* anno 1535. *Leonellus Faventinus* author eſt. *Gemma Friſius* cujuſdam mulieris non ita grandævæ meminit: quæ nec ad momentum quidem ſine ciborum vivere potuit ingeſtione. Cauſam in Hepatis molem & monſtroſam

idio-

ἰδιοσυγκρασίαν conjicit. *Nam aucta ſupra modum pinguedine & calore ſuffocato apertus eſt venter, detra-ctaque adipis libra propemodum viginti: inventum eſt epar integrius, turgidum ſanguine ſpirituque, ſed im-penſius rubens ac mole ineffabili, ut ſola magnitudine membra ſpiritalia compreſſerit. Friſius l. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

ARTICULUS IV.

DE BIBONIBUS MONSTROSIS.

Σ Υμποσίυ ναύτας κ̀ κυλίκων ἐρέτας difficile non eſt invenire. Vides nulla in parte mundi ceſſare ebrietatem, & ita quidem, *tanquam ad perdenda vina geniti eſſemus, & effundi illa non poſſint, niſi per humanum corpus.* Quod olim prædixit *Seneca. Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe virtus erit*; id in moderna ætate eveniſſe forſan exiſtimandum eſt. *Optimus cenſetur non qui ſermone philoſophico uti novit, ſed qui multos maximoſque calices exſiccavit. Galen.* Imo non tantum vinum & aqua, ſed & fumi atque odores ad hanc mentis alienationem inducuntur. Non tamen omnes pari ambulant paſſu, ſunt qui in hoc curſu palmam meteri volunt. In illo publico ἀκρατοποσίας apud Alexandrum præmio, fuit *Promachus* quidam, qui ad quatuor congios pervenit. Congius autem cepit olim libras decem. Idem de *Proteo Macedone* apud *Athenæum* legitur. *Novellius Torquatus* Mediolanenſis tres bibit congios, ſed uno impetu, ſpectante miraculi gratia Tiberio Principe. *Plin. lib. 14. Hiſtor. Natur.* Et quod amplius miteris, *in eo* (verba ſunt *Plinii*) *rara hac gloria, non labaſſe ſermone, nec levatum vomitione, non altera corporis parte dum biberet: matutinas obiſſe vigilias: plurimum hauſiſſe uno potu, plurimum præterea aliis minoribus addidiſſe: Optima fide non reſpiraſſe in hauriendo, neque exſpuiſſe, neque ad elidendum in pavimento ſonum ex vino reliquiſſe. Cicero* filius duos exhauſit congios. *Bonoſus*, ut *Spartiani* verba

 habent,

habent, *bibit quantum hominum nemo*. De quo Aurelianus ſæpe dicebat, *Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibat*. Quem tamen diu in honore habuit cauſa militiæ. *Nam ſi quando legati barbarorum, undecunque gentium, veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta pernoſceret. Ipſe quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius, & ut Oneſimus ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, ut quantum bibiſſet, tantum mingeret, neque unquam aut ejus pectus, aut venter, aut veſica gravaretur*. In nuptiis cujuſdam Nobilis, tempore *Lipſii*, quidam ſex congios hauſit. De Camatero Logotheta, qui duos congios ſimul exhauſit, videantur *Nicetas lib. 3. Hiſtor.*

ARTICULUS V.

DE QUIBUSDAM CIRCA EBRIETATEM RECONDITIS.

CÆterum bibonum, ratione inebriationis, varia eſt ratio. Tardius alii inebriantur, citius alii: & poſtquam inebriati fuerint, retrorſum nonnulli feruntur, antrorſum nonnulli; canunt quidam, jurgia quidam movent. Hujus varietatis, variæ etiam ab authoribus dantur cauſæ. Qui citius & magis inebriantur, aut vino aſſueti non ſunt, & largius biberunt, (Natura enim ab uno extremo ad aliud ſine incommodo non tranſit) aut anguſtiores venas nimis calidas, aut denſiorem corporis conſtitutionem obtinent, aut nimium in conviviis loquuntur. Vociferatio quippe calorem naturalem à vino inflammatum adauget, caput plenum grave reddit, majorem vaporum multitudinem coacervat; qui ob continuum motum corrupti, per univerſum diſtribuuntur corpus, oculos inflant, tempora diſtendunt, cerebrum offendunt. Eadem illorum ratio, qui in conviviis calidi panis eſu utuntur, vinum generoſum bibunt, copia ciborum ſe ingurgitant, ſalſis delectantur, os apertum tenent. Omnia enim

hæc

hæc maximam procreant ſitim, quam frequentes bibitiones ſequantur neceſſe eſt. Nec diverſa illorum ſors, qui panem in conviviis ubi eſt nigella, lolium & ejuſmodi, ſeu panem ſecundarium & miliaceum comederint: hic enim ſpiritum ſomniculoſum, & ſimilem ebrietati paſſionem, ob craſſorum vaporum inducunt multitudinem. *Canonher. l. 3. de Admiram. Vini c. 1.* Huc denique pertinet defæcatum & à ſuis fæcibus defuſum vinum. Nam, quamvis hoc ad ſui conſervationem ſit imbecillius, & nullo firmamento nixum in vappam ocyus concedat (fæx enim ſuſtinendo vinum radix eſt) tamen liquidius quia eſt, & in omnes bibentis venas penetrabile, ſanguinem celerius incendit, inebriat, mentemque dejicit. *Iaſon Pratenſ. de morbis cerebri.* Aſt in hanc ſeriem mulieres non pertinent; nec qui vel auſterum poſt dulce vinum bibunt, vel muſto delectantur. Mulieres enim humidiſſimi ſunt corporis, crebro depurgantur, patulas vias obtinent. *Macrob. in Saturnal.* quia tamen & debilius habent cerebrum; & anguſtiores capitis ſuturas, melius eſt cum *Alphonſo Lupejo* dicere; furioſâ raro accendi ebrietate, obtuſa corripi ſæpius. Vinum autem dulce potos obſtruit; per quos vini auſteri vapore ad primum ſenſorium aſcendere poterant. Ebrietati denique dulcedo repugnat adeo, ut Medici eos qui ad periculum vino diſtenduntur, plurimum primo cogant vomere, & poſt contra fumum, qui in vinis manſit, melle illitum panem offerunt, *Macrob. Saturnal.* Varios geſtus quod attinet, in varietate humorum partiumque fundantur. Quia fumi ex vino ſyncipur parteſque anteriores occupant, ex cerviſia poſticas, retrorſum ex hac temulenti aguntur antrorſum ex illo. Oblivioſi illi ac ſomnolenti, clamoſi iſti & loquaces. *Lemn. l. 2. de occult. c. 19.* Longinqua minus vident, quia ſpiritus optici craſſiores redduntur. Sanguinei rident. Cholerici loquuntur & inſaniunt. Stupidi Phlegmatici. Melancholici triſtes: & quia omnibus ſpiritus luminoſi vaporibus turbantur, rota diverſorum colorum, circa lumen candelæ apparet omnibus. *Gordon. Lilio Medic. part. 2. cap. 21.* Lachrymas ſi profundunt,

dunt, cum jucunditate id faciunt. Nam ſic redundantem in corpore profundunt humorem, copioſoque liberantur vapore. *Rhodig. l. 12. cap. 4.* Balbutiei cauſa humiditas eſt. Hinc enim lingua extenditur, ſicut ſpongia impleta aqua, & ob tumorem ac craſſitiem ſermonem articulatum non reddit. *Iacob. Pratenſ. de Natura vini.* Cæterum ebrietati multa reſiſtere experientia docuit. Braſſicam inprimis crudam, illam præſertim quæ plus cæteris rubeſcit, id facere *Lemn. l. 2. cap. 11. de occult.* teſtatur, calidam maceratam capitique circumpoſitam *Galen. l. 2. de Compoſit. Medicam. cap. 5.* Tantaque eſt inter illam & vinum antipathia, ut ſi quis vinum dum ea coquitur inſtillaverit, ne poſtmodum coquatur, efficiat. Cauſam ſi quæris, alii ex eſu ejus craſſos elevari vapores, qui vinoſos incraſſent, ſcribunt: *Ariſtoteles* humores vinoſos undique in alvum trahere, corpuſque refrigerare reliquit. Eadem vis hederæ tribuitur à *Weckero*; apio, nucibus, lupinis, ab *Alexandro*: pulveri pumicis in aqua ſumpti à *Fumanello*; croco à *Grotarolo de vini natura cap. 5.* caprino pulmoni ab *Africano*: lacti jejuno ſtomacho ſumpto, ab *Amando de Sancta Sophia. l. 1. de veris ſecretis*: pulti ex lacte & farina hordei cum acero ſumptæ à *Platero Prax. Medic. Tomo 1. cap. 3.* adſcribitur. Idem pulverem quendam ſic deſcribit. Recipe, *ſeminum caulium drachmam unam*, *Coriandri drachmas quinque*, *camphoræ grana decem Fiat pulvis*, *cujus cochlear unum ex vino auſtero exhibeatur.* At abſtemium reddunt, hirundinum ſtercus pulverizatum & bibitum ſi *Plinio* credimus; Ruta comeſta ſi Merulæ: humori qui principio veris erumpit de vitibus: pani ex lolio confecto, exſiccato, & in pulverem redacto. Superſtitioſum illud quod dicitur; Si quis ante primum potum, hoc carmen protulerit:

Iupiter his alta ſonuit clementer ab Ida;

non inebriatum iri.

ARTI-

ARTICULUS VI.
DE PANE.

PRæcipuum nutrimenti fundamentum, & primarium vitæ conſervandæ fomentum in pane probe elaborato conſiſtit. Hinc quidam à paſcendo dici volunt; quidam, quia omni apponitur cibo πᾶν deducunt. Ex variis conficitur. *Æthiopes* ex Orindiæ pinſebant ſemine: *Ichtyophagi* ex piſcibus Sole torrefactis. *Plin. l.* 7. *cap.* 2. *Ægyptii* paſtores è loti ſemine. *Plin. l.* 22. *cap.* 21. Ad montis *Vogeſi* tractum prope oppidum *Burcken*, è vicino monticulo ſubtilem & candidam effodi farinam, ex hac ab incolis panes, & omnis generis placentulas confici, author eſt *Claudius Deodatus l.* 2. *Panthei Hygiaſtici cap.* 4. Addit autem veram illam farinam non eſſe, niſi miraculo locum dare velimus, ſed potius pinguem illius terræ ſuccum, temporis progreſſu & Solis æſtu concretum, qui tandem in farinaceum pollinem abeat. Ex pane varia conficiuntur medicamenta. Aqua vitæ ſic paratur, nobiliſſimus vitæ theſaurus. Recipe, *Panis optimi in tenues laminas ſecti quantum ſatis, impone calenti clibano, ut ſenſim optime exſiccetur ruſſibus cocti ad inſtar: mox craſſo modo tuſum aheno capaci indito, & ad ſingulas panis tuſi libras adde aquæ fontanæ libras quinque, florum lupuli manipulum unum, aniſorum unciam unam, coquantur ſimul ad unius partis conſumptionem, cum parum refrixerint, effunde, & per ſportam ſeu cribrum trajice, mox affunde aliquid fermenti, tepida prius aquâ diſſoluti, doliolo include, & muſti inſtar fervere ac fermentari ſinito: tandem clarum ſepara, deſtilla, & ut ſpiritum vini rectifica.* Quidam panis recens ex clibano extracti, medullam vitreis vaſis impoſitam deſtillant: cujus unciæ quatuor Epilepticis magno exhibentur ſucceſſu. Quinta eſſentia quomodo extrahi poſſit, vide in *Deodato*.

ARTICULUS VII.
DE INEDIA STUPENDA.

NVtrimenti uſus quamvis ad vitam ſit neceſſarius: inventi tamen plurimi, qui, non obſtante ſat longa illius carentia, vixere. Divi *Auguſtini* tempore *quadraginta dierum* quidam ſuſtinuit famem; *Olympiodori Platonici* alter, *quamdiu vixit nec eſſe nec dormire* ſuſtinuit, ſolâ in ſole mora alimenti loco paſci ſolitus. Imperatoris *Clotarii* puellâ *undecim* annis jejuna permanſit. *Petrus Aponus* aliam annos *octodecim* jejunam vidit, *Rondeletius* quandam toto *decennio*, fœcundam poſt prole parentem. *Hermolaus* ſacrificulum ſola aëris inſpiratione ſuperſtitem per annos *quadraginta*. Denique *Nicolaus* quidam *Helvetius Vndervvaldenſis anno* 1460, poſt ſuſceptos ex conjuge quinque liberos, ſolitariam vitam amplexus, per annos *quindecim* nec cibum nec potum guſtavit. Alii abſtinentiæ ejus tempus ad annos *viginti duos* extendere ſunt auſi: Bocatius vero ad *triginta* annos aut hujus aut alterius adſtruit inediam. *Mago Carthaginenſis* etiam, & *Laſyrtas Laſionenſis* ſine *liquidorum uſu* ſuam exegere ætatem. *Athen. l.* 2. *cap.* 2. Idem apud *Calium* quidam Neapoli natione *Tomacellienſis* fecit. *Andronis Argienſis* apud *Ariſtotelem*. Tacebo interim *Conſtanam & Bernenſem puellas apud Quercetanum l.* 2. *Diætetici cap* 6. Colonienſem *apud Albertum. l.* 7. *de Animal.* Hajenſem apud *Nancelium: nec* vel de *Timonis amita* apud *Athenæum l.* 2. vel de Gallo ex Hieroſolymitana peregrinatione reverſo, dicam. Hæc vero omnia præter naturam fieri, nemo eſt forſan qui non videat. Cauſa in illa conjicienda quæ vel tollunt appetitum, vel diminuunt eundem. Id autem fit vel quando venæ meſaraicæ chylum non attrahunt, & è ventriculo quaſi exſugunt; vel quando illa ſuctio in orificio ventriculi non percipitur. Illud vel venarum obſtructio, vel intemperies calida, vel alimenti propter copiam

non

non evacuatio, vel orificii ventriculi à pituitoſis humoribus obſeſſio cauſetur. Hoc vel ab influxus ſpirituum animalium inhibitione, & languore illorum, vel facultatis diſtractione, vel ventriculi intemperie & ſtupore oritur. Sed quia hunc appetitus ſublationem mors non ſequitur, aliam adhuc cauſam ſubeſſe neceſſe eſt. Hanc autem alii in nervorum in orificio ventriculi relaxationem conjiciunt, ex quibus eſt *Langius*: alii aërem inſpiratione attractum ſpirituum pabulum fieri exiſtimant, ex quibus *Quercetanus*: Aſt cum illi cauſam vitæ non oſtendant; de horum vero ſententia ſub judice lis ſit; iſti etiam qui pituiroſorum humorum congeriem accuſant, in Cachecticis eorundem copiam fateantur; magis placet *Sennerti* ſententia, qui corpora talia pene indiſſolubilia, nilque aut parum ex iis exhalare dicit: quod humore tenaci, bene concreto & compacto, & actioni caloris nutrimentum depaſcentis minime cedente, conſtent: caloremque mitiſſimum & placidiſſimum habeant, nec multum alimenti requirant. *Inſtit. l. 2. part. 3. ſect. cap. 2.*

CAPUT III.
DE CONCOCTIONE.

ARTICULUS I.
DE HEPATE ET LIENE.

NUtritio attractionem, retentionem, expulſionem, concoctionem, ſubordinatas habet: Concoctio vero vel eſt in ventriculo, vel in hepate & liene, vel in aliis etiam partibus. In prima fit ex cibo chylus, fæces & excrementa aquoſa ejiciuntur: In ſecunda ſanguis: bilis flava, ſerum Urina excernuntur. In tertia ros, gluten, cambium; & tenuia quædam, quædam craſſiora expelluntur. Quantum ad *Epar*, *nullum in Mathia Ortelio* mercatore Antverpienſi inventum eſt. Integrum quamvis alias ſit in homine, in brutis plures in lobos dividatur; tamen cum tribus lobis

bis in puella quadam repertum; in *Carolo Sabaudo* quatuor habuit penulas. *Franciſc. Puteus. l. 5. Apol.* in *Coleto* extremas fibras cirrhis prominentibus hirſutis ornatum fuit. *Camerar.* Labefactato illius calore, hydrops inducitur. De *Liene* pauca dicam. Inventa mulier Pariſiis ſine eo: *Holler. in obſerv.* & in Cauno homines abſque eodem naſci author eſt *Plinius l. 11. Natur. Hiſtor. cap. 73.* Hinc & plebecula curſoribus ſine noxa & equis exſcindi poſſe exiſtimat. Tres ſibi invicem ſuper impoſitos obſervavit *Fallopius*; duos Monſpelii *Poſthius*. Quibus augeſcit, illis minuitur corpus. Nam tum nimis ad ſe trahit ex chylo, ſubtrahitque hepati. Hinc Trajanus fiſcum appellavit lienem: quia ut hoc diteſcente plebs depauperatur; ſic liene augeſcente minuitur corpus. Viſus tam *magnus, ut viginti librarum excederet pondus. Columb. l. 15. Anatom.* in nauta quodam *viginti tres pendebat libras*, jecur undecim. At in *Iacobo Antonellio ovi columbacei conſpectus magnitudine*, in *Spoletano* marſupii in modum inanis.

ARTICULUS II.
DE HUMORIBUS IN GENERE.

SOlo Elementarium qualitatum ὁρμίμῳ humores definiri non poſſe vix dubitandum videtur. Vivit enim homo plantis; hæ acres, amaros, & minerales ſuccos in ſe interdum continent. Alterantur quidem ab interno illo archæo calore naturali; cum tamen ſint ἄκρητα ἀνεπιτήδεια & ἰσχυρά, permutari nequeunt. Hinc urinæ redduntur interdum, quæ lintea erodunt; in hæmorrhagia ſanguis effunditur, quæ eadem efficit *Doring. l. 1. de Medicina & Medico.* In vomitibus interdum tam ferventia ejiciuntur, ut lancibus excepta ebulliant, & pelves etiam argenteas æruginoſo colore inficiant, quem nec lotio ulla delere, nec fortis frictio caſſare poteſt. *Schenck. Obſ. l. 3.* Interdum crocea tam dulcia emittuntur, ut glycyrrhizæ ſaporem referant;

cum

cum tamen amara eſſe debuerint. *Cardanus Contro. 9. l. 2. tract. 5.* refert, è cujuſdam fœminæ, quæ venenum hauſerat, vena aperta prodiiſſe non ſanguinem, ſed virentem quaſi herbæ ſuccum uſque ad uncias nomen: viri vero cujuſdam ſanguinem emiſſum lacti ſimillimum fuiſſe. Habent autem humores miros in corpore decurſus & certas periodos. Viget ſanguis, *Sorano Epheſino* teſte, qui Euangeliſtarum more ſpacia decurſuſque diei ac noctis per horas æquales metitur ab hora noctis nona ad horam diei tertiam, quibus hominis ſanguis concoquitur ac elaboratur. Inde mens exorto Sole hilaris. Bilis flava ab hora die tertia ad nonam, quo naturalis facultas ſecernit à ſanguine choleram, eamque ad fellis folliculum dirigit: Inde homo pronus ad iram. Atra bilis ab hora diei nona ad noctis tertiam; Hoc tempore hepar defæcatur, à ſordidoque eluitur excremento, idque ſecundùm quoſdam natura ſpleni deſtinat: Hinc tum mens hominis obnubilatur. Pituita ab hora noctis tertia ad horam nonam; tunc enim peracta cœna concoctio in ventriculo peragi incipit, cibuſque liqueſcere: Hinc phlegma ſtomacho innatans, atque ad cerebrum delatum hominem ſomniculoſum efficit. Si vero redundant & inter ſe connexi ſunt, tempus non ſervant. Ceterum *Perſæ* propter exercitationes pueriles modicas, eam conſequebantur corporis ſiccitatem, ut neque ſpuerent, neque emungerentur, ſufflatoque corpore eſſent. *Varro in fragment.*

ARTICULUS III.

DE SANGUINE.

SAnguis mirifice à quibuſdam ſiſtitur. Annotat *Geſnerus* Fridericum Saxoniæ Ducem, bufonem veru ligneo transfixum in umbra diligenter arefactum, ſyndone involutum, hæmorrhagia laborantibus tamdiu manu tenendum dediſſe, donec intra manus caleſceret: ita ſanguinem repreſſum. Facit idem gallinaceus

ceus pullus, ſi eo in loco ubi Galli caſtrari ſolent, foramine ſectione aperto, pars intrudatur læſa; ſucceſſum experientia teſtatur, *Platerus l. 2. de vit. cap. 5.* Nobilis quædam Matrona, ſanguinis è naribus fluxum, fruſto cretæ albæ digito annulari contento, è regione naris ſanguinem fundentis, reprimebat. *Foreſt. l. 13. cap. 10. Oſorius* etiam ſcribit de Nahodaguca principe in regno Malacca, qui multis vulneribus confoſſus concidit, ne gutta ſanguinis emiſſa; Cum ſpoliaretur, detracta ex auro armilla, fluere cœpit. Ille vero lapis ſiſtendi vim habere dicebatur. Eruitur ex beſtiis quibuſdam, quas Sinenſes Cabriſias appellant *Oſor. l. 7. de reb. Africis & Indicis.* Quod per venam ſectam egreditur, diſtenſio vaſorum in cauſa eſt. Motus enim continuus arteriarum venis adjectorum venas comprimit; Venæ autem ſi aperiantur, ſanguis ob non reſiſtentiam egreditur. Hinc in venæ ſectione aggrediente ſyncope, ceſſat ſanguinis egreſſus. Spiritus enim vitalis vaſa non amplius diſtendit. *Bartholin. probl. 5.* Obſervatum in occiſo ad rei præſentiam ſubſilire, ad amicorum in ſubmerſo. Hujus dum quæritur cauſa, vel motus eſt & agitatio, qua venarum reſerantur & dehiſcunt ora, vel ſympathia & antipathia; Alterius vindicta in argumento ponitur. *Qui vulneratur dolenter convertitur in aſſilientem*, inquit *Rhodigin. Cogitatio ultionem expetit avide; ad id repente inardeſcit bilis, à qua mox accenditur ſanguis, totaque vi ſeſe ad vulnus proripit, tum fomenti cauſa, tum vindictæ. Convolant ſpiritus inſimul, qui levitate inſita mox autorem circumſiliunt, cujus calore perſeverant, perſiſtuntque aliquandiu. Rhodig. 3. Antiqu. c. 12.* Comitialis morbi olim putatum remedium, ſanguinis humani tepidi adhuc potus. Diabolicum inventum, qui laniena mortalium gaudet; & noxium. *Marci Antonii Philoſophi* uxor gladiatorem deperibat; conſulti Chaldæi occidendum judicarunt; ſanguinem *Fauſtina* propinandum, ſequente corporis cum Cæſare junctura. Factum; & amor quidem depoſitus; ſed infans natus gladiatorii animi, Rem-

publ.

publ. peſſumdedit. *Iul. Capitol.* Langius refert paſtoris cujuſdam filium ad latrocinia puſillanimem, panis gleba ſanguini humano intincta devorata, audaciſſimum ad omnia ſcelera redditum. Carmanis id inerat peculiare, ut in conviviis percuſſa faciei vena, profluentem inde cruorem vino commiſcuerint atque propinaverint; amicitiæ finem ſtatuentes, ſanguinem guſtaſſe mutuum. Sed hæc ad *Ritualia* pertinent. Anno Chriſti M X. in Pago Bruheſare in villa Anfrede continuis viginti quinque dieb. fons quidam ſanguine manavit ac vicinum vadum omnibus conſpicientibus infecit. *Lycoſt. in oſtentis.* Eundem Spiræ ex penibus an. MCIV. fluxiſſe *Abbas* apud Lycoſthenem teſtatur. Hoc etiam. Ex ſanguine humano lampas quædam vitæ & mortis attemperatur, de qua *Erneſtus Burgravius* ita ſcribit. Lampas hæc, ſive lumen incenſum ſemel, ardet jugiter, quoad homo ille, è cujus aptatur ſanguine, vitalem ducit ſpiritum, atque eodem quo eundem efflat ipſe, horæ ſive momento ſive punctiſtitio, ſimul cum eo extinguitur. Scito inſuper ſi flamma lucuſenta ſit, elevata, tranquilla & immota, nihil homo iſte, quod vel corpori vel animo grave ſit, ſentit: Sin vero ſecus habeat, & aſſurgens flamma varie ſcintillet, aut depreſſior ſit, aut nubiloſa & torpida; indicium tibi anxietatis, triſtitiæ, cæterorumque pathematum eſto. Perpetuo enim ex congenitis Microcoſmi influxibus aſtralibus, ac naturalibus inclinationibus (cum & ſanguis ille à ſanguine ipſius hominis, & Corpus ejuſdem à ſubſtantia hujus ipſius ſanguinis, à quo ſanguis ad præparandam mutuo quaſi ſumptus eſt, enutriatur) flamma iſta pro ſtatu & habitu iſtius hominis ſive proſpero, ſive adverſo emicat, & ſpectandam ſe præbet. Pyronomantiam appellant *Sennertus & Deodat.*

ARTICULUS IV.

DE URINA ET DE RENIBUS.

PRæter aquoſam ſubſtantiam aliud aliquid in urina recondi multa ſuadent. In morbis enim copioſæ redduntur, nullus quamvis præceſſerit potus; & animalia quæ nil bibunt, mingere obſervatum eſt. Medici ex colore, tenuitate & craſſitie multa prædicunt, & Chymici ſalem inveniunt in reſoluto. Illud autem quicquid eſt ſeri nomine, dicitur, quod ſal eſt in cibo & potu ſuperfluus, alendoque corpori inutilis. In cibis certe ſal reconditur ut condimenta exigunt, plantaſque eo abundare deſtillationes oſtendunt. Ex urinis ſalium genera elici notiſſimum eſt. *Ægineta* Chryſocollam facticiam ex urina docet oriri. Nitrum ex terra, animalium urina & excrementis imbuta, parari ſcribit; *Baccius* modum oſtendit: *Fit ſal nitrum* (verba ejus) *hodie ex acerrimo lixivio, quod excolatur ex fimo & ſtercore antiquo vel putri, è cœmeteriorum materie, terriſque ſimul ſtudio quodam computrefactis, affuſa pluries in tiniis ligneis eadem aqua. Coquitur hoc lixivium in magnis caldariis, fitque ſal nitrum longis ceu ſalis fibris in fundo concreſcentibus.* Hinc igitur *Rufus Epheſinus.* Vrinam dixit eſſe nitroſum humorum in veſicam delabentem. *de appell. corp. human. cap.* 36. In lotio à canibus demorſorum canum apparere imagines, ſcribunt Arabes; & conjicit cauſam in imaginationem *Abenzoar.* Sed veneni id tribuendum videtur efficaciæ, quod hominis conſtitutionem valde immutet, & caninam quaſi efficiat. Nam & humores ab eo ita corrumpuntur, ut animalcula quædam catellis ſimilia in corpore generentur. *Sennert. l.* 2. *p.* 3. *ſ.* 2. *cap.* 4. Certe vermis in veſica naſci compertum eſt. Nam & mulier quædam ſpithamæ longitudine unum excrevit, & virgo nobilis cimicum magnitudine multos, *Schenk. l.* 3. *Obſ.* Quin *Carolus Comes Mansfeldius*

dius picæ ſimile animalculum ejecit, Duretus millepedi. Calculoſorum vero quidam duos acuto capite, corniculato, ventre & dorſo teſtula inductis, inſtar teſtudinis nigros, niſi quod rubebant ventre. *Pareus l.* 19. *c.* 3. *Holler. de morb. internis.* Emiſit alter ſcorpionem vivum, conchyliacea alter *Schenk. Obſer.* Via qua foras ejicitur urina omnibus nota eſt; accidit tamen interdum peregrina evacuari. Paulo infra glandem Bonini filius emiſit, nec non patritia quædam apud Haganoënſes familia; per umbilicum puella. Seni cuidam vinitori per ſiniſtræ natis ulcus tranſudabat: per femur & coxam egrediebatur militi, per alvum aliis, *Schenck. in Obſ. Fernel. l.* 6. *Patholog. cap.* 13. Quantum ad renes, tres aut quatuor à *Gemma* ſunt viſi *l.* 2. *Cyclogn.* unus à *Wolphio* & *Columbo l.* 15. *Anatom.* affixi jecori, *Auguſta ab Holtzapfelio.* Pinguedo illorum adeo concreta & dura aliquando inventa eſt, ut lapidis duritiem fere æquaret. *Euſtach. de Renib. c.* 45. ſubſtantiam in Caruncula reſolutam: *Saxonia.* In illis etiam calculi ex fæculenta materia ſalſo ac lapideſcenti ſucco permiſta generantur, monſtroſi interdum. In *Generali quodam Carmelitarum alter ren lapidem continebat; qui ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos juxta canaliculorum, vaſis urinarii formam atque numerum diviſus, coralli truncum & ſurculos elegantiſſimè æmulabatur: ac præterea venis caro valde contracta & imminuta ita firmiter huic, lapidi undique adhærebat, ut depoſita propria figura, quaſi craſſa quadam cutis ei obduceretur.* Euſtach. ad Cap. 44. de Renib.

ARTICULUS V.

DE SUDORE.

SAnguineum quoſdam ſudaſſe ſudorem refert *Ariſtoteles,* & *Fernelius l.* 6. *de part. morb. c.* 4. animadvertit ſanguinem interdum ab extremis venis, quæ in cutem deſinunt, multis in locis effundi. Fuit etiam quidam, cui ſingulis menſibus per cutem, qua ima jecoris

coris pats ſubjacet, ſanguinis libra quaſi ex vena apetta effluebat; quo evacuaio nullus diſcernere poterat, unde evacuatio facta eſſet. *Beniven.* *Praefectus* denique *Montis Marini*, cum in obſidione ejus ab Auguſto, Saluciatum Principis filio notho, quaſi ad colloquium fuiſſet vocatus, & captivus detentus, morſque interminata niſi locum redderet; tantopere indignæ mortis metu affectus eſt, ut ſanguineum ſudorem toto corpore funderet. *Thuan. l.* 11. *Hiſtor.* Cauſa ab Ariſtotele in duo conjicitur, ſanguinis nimirum tenuitatem, cutis raritatem & pororum apertionem. Addi his poteſt facultatum nutritioni inſervientium debilitas, ſi retentrix non retineat, fortiter expellat expultrix. *Sudor Anglicus* morbi genus eſt, anno 1486, in Anglia ortum, & in Germania anno 1529. ita graſſatum, ut colloquium *Zuinglii & Lutheri* ſolveretur. Vis ejus tanta, ut vel intra quatuor & viginti horas mors occuparet affectum; vel ſi exſudaſſet, ſanitas. *Thuan. l.* 6. Furnum quendam ingreſſum, ſudorem ingentem ſibi elicuiſſe, & ſanitatem adeptum, obſervationes docent Medicæ; ſed quotquot deinde de illo pane, qui poſtea in hoc furno excoctus fuerat, comederint, rabida abreptos morte, adjiciunt. *Riqu. de febr. ſudor. in Epiſtol.* Quamvis autem & ſudor cæteris paribus inter bonæ criſeos indicia ponatur: tamen lethalem eſſe frigidum extra dubium eſt. A calore enim patrium ſolidatum emortuo exiſtit; Cum ob calorem febrilem intus ferventem erumpens, in partibus exterioribus calore jam deſtitutis refrigeratur. Hinc noſter *Hippocrates l.* 4. *Aphoriſ.* 37. Sudores frigidi, ſi cum febre acuta profluant, mortem oſtendunt: cum mitior autem, diuturnitatem morbi. In templo Lateranenſi circa annum Chriſti milleſimum primum Sylveſtri II. ſepulchrum oſſium colliſione & ſudore emiſſo, ab eo tempore quo is in id poſitus eſt, dicitur ſemper Pontificum prædixiſſe mortem.

CA-

ARTICULUS VI.

DE INSENSIBILI TRANSPIRATIONE.

QVemadmodum in magno mundo vapores ex humidis extrahuntur locis vi ſolis & aſtrorum: ſic in homine minore illo mundo, vi inſiti caloris, idem fieri concedendum eſt. Ne vero illi uniti in humano corpore intemperiem excitarent, & febrium cauſarentur incommoda, patulum DEVS & poroſum humanum fecit corpus, per quod illi ipſi foras feruntur vapores; idque ita ſubtiliter, ut ullis ſenſibus vix queant percipi. Attamen *Sanctor.* *Sanctorius* accuratiſſime iſtud quicquid eſt obſervaſſe, & ponderaſſe viſus eſt. Hinc illi Statica Medicina, in qua inter cæteros Aphoriſmos & hi ſunt: I. *Perſpiratio inſenſibilis ſolet eſſe longe plenior, quam omnes ſenſiles ſimul unitæ.* II. *Si corporis pondus plus ſolito augeri incipiat, ſine majore cibi vel potus additione, vel ſenſibilium excrementorum retentione: facta eſt adiapneuſtia.* III. *Perſpiratio quæ ſalubriter aufert è corpore multum, idque inutile pondus, non eſt quæ cum ſudore fit, ſed ille halitus invisibilis, qualis hyeme uno die naturali ad quinquaginta uncias & ultra exhalare poteſt.* IV. *A ſomno ante excretionem ſenſibilium excrementorum quiſque ſentit ſe leviorem, quia revera factus eſt levior ſolito tribus libris circiter.* V. *Spacio unius noctis ſexdecim unciæ lotii plus minuſve; quatuor cunctorum excrementorum per alvum, quadraginta & ultra per occultam tranſpirationem evacuari ut plurimum ſolent.* VI. *Pluribus unica die naturali per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu.* VII. *Si aëri æſtivo frigus ſuperveniat, illa die ſuppoſita bibendi libertate, tertiam partem circiter perſpirationis exire prohibet: quæ niſi fiat ſenſibilis, facile ad putredinem vel ad Cachexiam diſponit.* VIII. *Æſtate corpora temperata ſunt minoris ponderis quam hyeme*

me tribus libris circiter. IX. *Æſtate calori ſuperveniente frigore, eodem die libra circiter excrementorum inſenſibilium magna ex parte diſſlari prohibetur.* X. *Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale qualibet die minus libram circiter perſpiramus, inde uſque ad æquinoctium vernum liberius incipimus perſpirare.* XI. *Stomachus cibo refertus, ſi inter dormiendum abſolvat primam coctionem, illius noctis perſpiratio magna ex parte aſcendit ad quadraginta uncias; ſi non abſolvat, ad octodecim circiter.* XII. *Cibi multum nutrientes, excepta carne vervecina, à cœna ad prandium non ſolent perſpirare ultra octodecim uncias.* XIII. *Cibi copioſi ſed tenuis nutrimenti, noctis ſpacio in plurimis ultra quadraginta uncias perſpirare poſſunt.* XIV *Caro vervecina facile coquitur & eſt vaporoſa. Perſpirat enim noctu ſpacio trientem libræ magis quam cætera ſolida edulia.* XV. *Somnus inquietus impedire ſolet trientem ſolitæ perſpirationis.* XVI. *Perſpirationem inſenſibilem curſu ſeptem horarum in dormiente, inveni in multis eſſe quadraginta unciarum circiter, in vigilante viginti.*

CAPUT IV.
DE ACCRETIONE.

ARTICULUS I.
DE GIGANTIBUS.

Gigantum duo ſunt genera. Vel enim ſunt populi, vel inter monſtra ob materiæ vel agentis errorem collocantur. Prioris generis Gigantes fuiſſe vel eſſe *Goropius Becanus* negat. At ſacræ ſcripturæ teſtimonia exemplorum evidentia, modernaque experientia demonſtrant. Expreſſe exploratores *Numer.* 13. *v.* 33. *Vidimus gigantes filios Hanak, qui ſuperant reliquos Gigantes, ita ut videremur in oculis noſtris eſſe ut cicadæ, & ſic eſſemus in oculis eorum. Emmeorum* vero & *Zamzummeorum* nomina, quid niſi giganteæ gen-

tis tituli? Gothos olim ob inſignem magnitudinem corporum admiratum Iuſtinianum teſtatur Procopius; ex gigantea appellationem cœpiſſe magnitudine, nonnulli exiſtimant. *Bartholin. de pygmæis c. 5. Mela l. 3. cap. 4.* apud Indos tantæ proceritatis fuiſſe homines ſcribit, ut Elephantibus maximis tanquam Equis uterentur. *Patagones* in America duodecim ſpithamarum eſſe, qui una bucca duas carnis aut piſcium libras ſumunt, aquæ tantum uno hauſtu bibunt, quantum duodecim hominibus ſufficere poſſet, ſagittas deniique adeo profunde in gulam demittunt, ut in ventriculum pervenire exiſtimentur (*Cardan. l. 8. c. 43. de rerum varietate*) notiſſimum eſt. Ibidem apud Canibales Gigantem à ſe viſum innuit *Pigafetta*, qui ſupra multos homines eminebat à cingulo: Circa vero fretum Magellanicum ſub polo Antarctico ſe vidiſſe homines, quorum cervix ad brachii dimidium protendatur, conſtantiſſime affirmat. In poſteriorum Gigantum cenſu *Goliathum*, & illos quorum 2. *Samuel.* 27. fit mentio, reponimus. *Auguſtinus* dentem molarem cujuſdam vidit; qui ſi in noſtrorum conciſus fuiſſet modulos, centum potuiſſet efficere, *l.* 15. *de Civit.* DEI *cap* 9. In Drepano Siciliæ inventi ſinguli trium librarum comperti ſunt. *Fulgoſ. l.* 1. *cap.* 6 Lucius Flaccus & Metellus triginta cubitorum bello Cretico invenêre corpora. Ibidem rupta terræ motu terra, quadraginta cubitorum repertum eſt. *Plin. l.* 7. *cap.* 16. Alibi puella inter fluctus quinquaginta cubitorum in longitudine viſa, quatuor in latitudine inter humeros, chlamyde purpurea amicta. *Vincent. Hiſtor. Natur. l.* 31. *c.* 5. *Litle Iohn* cujus coxendix in Scotia aſſervatur, quatuordecim pedum altitudinem habuiſſe dicitur. *Finnanum* quendam ſub Eugenio Scotorum Rege ſeptenûm cubitorum proceritate fuiſſe, refert *Hector Boetius l.* 7. *Hiſtor. Scoticæ.* Scaliger Mediolani tantæ ſtaturæ juvenem in Xenodochio vidit, ut ſtare non poſſet. In China ſtipatores regii quindecim pedes æquant, & talium quingentos Rex habere dicitur. In Hollandia juvenem novemdecim annorum octo pedes Geometricos

metricos cum dimidio longum, ſe vidiſſe ad me perſcripſit Conſultiſſimus Dn. Brinckius Conſul Hardervicenus. Nos hoc ipſo anno puellam Leydæ ſeptendecim annorum vidimus, ſtaturæ quatuordecim fere ſpithamarum. Quid vero de alia in *deſcriptione Zelandiæ Bertius. Referunt annales noſtri*, ait *à Guilelmo Bono Hollandiæ Comite, ad nuptiarum ſolemnia Caroli Pulchri Franciæ Regis adductam fuiſſe inuſitata corporis mole fœminam, natione Zelandam, præ qua proceri etiam viri puſiones videbantur: tanto etiam erat virium robore, ut bina dolia cereviſia referta ambabus utrinque manibus portaret, quæ ſingula quadraginta pondo Italica appendebant, trabemque, cui attollendæ impares octo viri fuere, quo vellet transferret.* Plura qui volet *Iohannis Caſſinionis* librum de Gigantibus videat; nobis ſufficit, præcipuorum quædam attuliſſe. Alias, plurimo qui utuntur cibo, minus ſpecioſe adoleſcunt. Suffocatio caloris nativi in cauſa, quam immodica adfert humiditas. Idem in morbis accidit. *Lemn. in occult.*

ARTICULUS II.
DE PYGMÆIS.

Pygmæis nomen à magnitudine cubitali impoſitum eſt. *Πυγὼν* enim eſt intervallum, quod à cubiti flexu ad initium uſque parvi digiti procurrit. *Gammadim* Ebræis à Gomed ſeu cubiti menſura. Duplex illorum genus. Alii minimi in magnatum aulis ludibrii aluntur gratia, caſu monſtrorum inſtar geniti. Alii gentis ſunt, quæ vel alicubi ſit, vel aliquando fuerit. Illos dari non eſt quod oſtendam. Sub *Theodoſio* adeo parvus in Ægypto quidam, ut perdice non videretur major; qui & prudentia polluit, & voce ſuavi ſermone claro generoſæ mentis præbuit ſpecimina, vixitque annos viginti, *Nicephor. lib.* 12. *Eccleſ. hiſtor. cap.* 37. Lugduni duos cubitalis menſuræ *Iohannes Caſſinon, de Gigantibus p.* 76. vidit: quorum alter barbam

bam habens promiſſam, eleganti ſat conſpiciebatur forma. Vlnæ longitudine fœminam, anno 1630. *Falcoburgi* pago unius à *Leyda* lapidis, ipſi vidimus. *In nuptiis Ducis Bavariæ nanus erat, qui integrè armatus cum brevi haſta, gladio accinctus, in artocreas occultatus ut non conſpiceretur; & in menſam appoſitus, fracto artocreate erumpens, & ſtricto gladio, gladiatorum in morem ſaliens, omnibus riſum & admirationem incuſſit. Plater. l. 3. Obſerv.* Dresdæ in arcæ Electoris Saxoniæ, pygmæi oſtenditur ſceleton, altitudine infra cubitum, oſſium ſoliditate & omnium proportione tanta, ut Embryonis oſſa ſuſpicari quis poſſit. *Bartholin. de pygm. cap. 6.* In Marchia & Luſatia integrum ſceleton, cum cranio, duos pedes & tres digitos longum inventum *Leonhardus Turnheuſerus in German. Piſone memorat l. 7. cap. 84.* Quia vero ſæpius in iſtis partibus effodiebantur urnæ, à pygmæis in terra confici vulgus exiſtimat: hyeme viginti pedum profunditate latere, circa feſtum Pentecoſtes unius ulnæ, ejuſdem eſt opinio. Pertinent huc macilentorum exempla, ex quorum multis Philetæ Coi, Cineſiæ, & Hipponactis produxiſſe ſufficiet. Ille tam macro erat corpore, ut ferreas plumbeaſve ſoleas in calceis habuerit, ne à vento abripetetur. Iſte Philyrini nomen apud Ariſtophanem obtinuit, quod cortice philyræ ſe cingeret, ne à vento inflecteretur. Hic quamvis tenuis, tam validus tamen, ut vacuam lecythum per maximum ſpaclum conjiceret: cum leviora corpora non violentam habeant lationem, qua aërem diſrumpere queant. Alterum genus aliquando fuiſſe multitudo ſcriptorum poſſet perſuadere. Inter cæteros *Cteſias Indicus* ſic habet: *Media India nigros habet viros, qui Pygmæi appellantur, eadem qua Indi cæteri lingua utentes: ſunt autem valde parvi; adeo ut bona pars dimidii cubiti magnitudinem, qui autem eorum maximus, duorum cubitorum magnitudinem non ſuperet. Capillum autem uſque ad genua & infra etiam demiſſum, barbam quoque quibuſvis aliis hominibus promiſ-*

V ſiorem

ſiorem geſtant. Atqui adeo poſtquam illis promiſſa barba exorta eſt, nullo jam veſtitu utuntur, ſed capillos quidem à tergo multo infra genua demittunt, barbam autem ante ad pedes protrahunt: deinde cum totum corpus pilis obduxerunt, ſeipſos cingunt illis veſtimenti loco utentes. Sed & veretrum illis eſt valde craſſum, adeoque magnum, ut ad pedum uſque malleolos pertingat. Sunt porro ſimi atque deformes. Oves autem eorum ſunt agnis noſtris pares; boves & aſini ad noſtrorum arietum magnitudinem accedunt: equi item eorum, & muli, cateraque veterina animalia arietes magnitudine non ſuperant. Horum Pygmaeorum tria millia Rex Indorum in ſuo comitatu habet. Sunt enim ſagittarii peritiſſimi. Iuſtiſſimi autem ſunt, & iiſdem quibus reliqui Indi legibus utuntur. Lepores & vulpes non canibus ſed corvis, milvis, cornicibus & aquilis, venantur. Lacus eſt apud eos octingentorum ſtadiorum ambitum habens, cui, quoties à nullo vento agitatur, oleum ſupernatat: quod quidam ex ejus medio ſcaphis hauriunt, navigiolis per eum navigantes, atque eo utuntur. Vtuntur autem & oleo ex ſeſamo & ex nucibus: ſed praſtantius eſt, quod è lacu illo hauritur. Hactenus ille. *Antonius Pigafetta* inter Moluccas in inſula quadam eos comperit; ſed & in inſula Caphi. *Iovius l. 3. de rebus Moſcoviticis*, ultra Lapones eſſe ſcribit. *Odericus* denique *de reb. Indicis l. 1.* trium palmarum à ſe compertos, qui ætatis anno quinto jam gignerent aſſeverat.

CAPUT V.

DE GENERATIONE.

ARTICULUS I.

DE SEMINE.

SEmen nobiliſſimum in generatione principium multis reſiſtit injuriis. Id vel ex eo apparet, quod multarum rerum eſſentia in multis mutationibus integra, & ſub

ſub alterius formæ dominio deliteſcere poteſt. Alatur capra herbis quibuſdam purgantibus: lac capræ illius bibat nutrix, fiet ut infans qui hoc ſuxerit, purgetur: Cum tamen in ventriculo capræ herbæ illæ mutentur in chylum; ex chylo fiat ſanguis in hepate, ex ſanguine in mammis lac. Lac hoc ubi nutrix bibit, rurſum fit ex lacte in ventriculo nutricis chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine lac. *A fide digno viro accepi*, inquit *Sennertus de Conſ. & Diſſenſ. è ſpuma canis rabidi in veſte vel linteo hærente animalcula quædam parvis catellis ſimillima progenita fuiſſe.* Solet interdum in virginibus & viduis ſalacioribus retentum putreſcere in utero, deleteriam acquirere vim, & mirifica excitare ſymptomata. Vapor enim malignus ſuſcitatus, inteſtina, ventriculum, hepar ac diaphragma comprimit, reſpirationem tam exilem reddit, ut ad ſenſum plane periiſſe videatur. Cum imminet res aliqua à regione pectinis & umbilici verſus diaphragma, & ventriculi orificium aſcendens ſentitur, cordis palpitatio, cardialgia, vertigo, & pallor oboritur. Dum præſens eſt, ſubito mulier proſternitur, reſpiratione, loquela, viſu privatur (multæ ſic per triduum jacuere; pro mortuis ſepultæ nonnullæ; quædam à *Veſalio* ſumma cum infamia diſſecta) Epilepſia, convulſione & delitiis interdum infeſtatur, & pro ratione maligni vaporis in hanc vel illam irruentis partem, afficitur. Exaudiuntur interdum ex imis viſceribus miræ voces, ranarum coaxatus, ſerpentum ſibili, crocitus corvorum, gallorum cucurritus, latratus canum; quæ pro viarum & erumpentis ſpiritus proportione caſum effingere *Gemma Friſius l. 1. cap. 6. Coſmocrit.* exiſtimat. Præſidis Rhotomagenſis filiæ continuo ridebant, nec à riſu quacunque tandem re adhibita dimovebantur. *Holler. de inter. morb.* Accidit interdum ut imaginatione læſa, Melancholia laborent, Diabolum præſentem ſibi imaginentur, furorem uterinum, & Melancholiam errabundam, (hæc menſe Februario præſertim viget, & autumno cumulatur) acquirant. His poſitis diverſa & mirabilia in diverſis etiam linguis

proferri. Concubitus ab obviis expeti, nocturnos diſcurſus, & circa mortuorum ſepulchra latebras quæri, medici innuunt. *Henr. Petrejus Noſolog. Harmon. Diſcurſ.* 3. Imo legimus Mileſias virgines, cum hoc conflictatas morbo, violentas ſibi intuliſſe manus. Cæterum ordo formationis eſt iſte. Membranæ fœtum ambientes primo omnium formantur. His enim nobilior ſeminis pars concluditur, ſpirituſque ac ſeminis obvallatur calor. Partes poſt ſpermaticæ ſimul omnes delineantur; & ſuo quæque ordine pro ratione dignitatis perficiuntur. Aliæ tamen citius, aliæ tardius formam abſolutam accipiunt. Hinc primo conceptus tempore tres quaſi bullæ, ſpiritibus turgentes, quæ cerebri, cordis, & jecoris ſunt rudimenta, & innumera fere filamenta, quæ venis, nervis, & arteriis originem præbent, & ſolidarum partium quaſi ſunt ſtamina, apparent. *Sennert. l.* 1. *Inſtit. c.* 9. Interdum & ſuperfœtatio accidit. Ea gemino partu alterum marito ſimilem, alterum adultero genuit. Proconneſia ancilla ejuſdem diei congreſſu unum domino, alterum procuratori ejus; alia quædam unum juſto partu, alterum quinque menſium edidit; alia denique ſeptem menſium edito puerperio, inſecutis menſibus geminos enixa eſt. *Plin. l.* 7. *Hiſtor. Natur. c.* 11.

ARTICULUS II.

DE MENSTRUO SANGUINE ET LACTE.

Frigiditas mulierum, & generatio facit, ut non omnis abſumatur in eis ſanguis. Quia vero non ſemper adeſt fœtus, in vaſis circa uterum tum colligitur, & ſinguis menſibus foras, ne graventur, expellitur. Menſes hinc dixere Medici. Prima juventa expulſionis fiunt primordia: modum fluxionis uteri vel fundus vel collum determinat. Obſervatum recens natam, mammis pendulis, alarum & pubis ornatam pilis, quinquennem paſſam decurſum etiam ſine diſpendio: *Schenck,*

Schenck. l.4. Obſervat. Quin quærit natura alibi viam, dum ſuero nequit ire tramite. Puellæ Saxonicæ per oculos fluebant: Ex auribus religioſæ cuidam: per nares uxori Patei: per vomitum Stutgardianæ puellæ: per ſputum in Chio inſula ancillæ: per mammas nonnullis apud Amatum: per umbilicum mulieri Tridentinæ; & quod mirum per minimum manus digitum & per annularem ſiniſtræ manus menſibus ſingulis Moniali: *Ludov. Mercat. l. 1. cap. 7. de mulier. affectib.* Non uniformis autem omnibus eſt fluxus. Bene habitæ bis in anno habent ſine diſpendio: quædam ne ſemel quidem. At antequam concipiant, ſolere habere *Hortenſius* prodit *Inſtit. Medic. l. 1. cap. 28.* Qui ex matribus ſero menſtrua paſſis naſcuntur infirma ut plurimum ſunt valetudine. Sic fuit in *Franciſco II. Rege Galliarum, qui per nares mucore nunquam emiſſo, raro per os exſcreatu purgabatur, decumbente interim in auriculam excrementorum colluvie, ac per eam exonerante ſe cerebro, quod tandem lethali putrefactioni cauſam præbuit. Thuan l. 23. Hiſtor.* Vim illi venenatam ineſſe affirmat *Plinius*, dum *l. 7. cap. 15. l. 19. c. 1.* ſcribit: *Nil facile reperitur mulierum menſtruo magis monſtrificum. Aceſcunt ſuperventu muſta: ſterileſcunt tactu fruges: moriuntur inſita: exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus inſedere, decidunt: ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur: acies ferri præſtringitur, eboriſque nitor. Alvi apum moriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corrumpit, odorque dirus aera. In rabiem aguntur eo guſtato canes, atque inſanabili veneno morſus infligunt: Etiam formicæ animali minimo, ineſſe ſenſum ejus ferunt, abjicique guſtatas fruges, nec poſtea repeti.* Lac in virorum etiam aliquando inventum mammis: Teſtatur enim *Cardanus de ſubtil.* Antonium Benzum, annum agentem trigeſimum quartum, pallidum, barba rara, pingui habitu, tantum lactis in mammillis habuiſſe, ut infantem lactare poſſet. Qui novum luſtrarunt orbem, narrant, viros pœne omnes maxima lactis abundare copia. *Ariſtoteles* vidit in Lemno caprum, è quo tantum emulctum lactis, quantum ad

coloſtra facienda ſatis fuit. *l.* 3. *Hiſtor. Animal. cap.* Lapideſcere interdum obſervationes apud *Schenckium* teſtantur. In virginibus eſſe negat *Matthæus Medic. quæſt. Centur. qu.* 14. affirmat *Heurnius ad l.* 5. *Aphoriſ.* 39. *Si virgines hujuſmodi ſanguine*, inquit, *abundent, & ab ea ſanguinis copia menſes ſupprimantur, niſi ejuſmodi plethora, aut ſanguinis emiſſione, vel vomitu, vel per hæmorrhagiam, aut per hæmorrhoides, vel per dyſenteriam αἱμαγωδην excernatur; & ſi his mammæ calidiores fuerint & atterantur, eo aliquando is poterit decumbere, & in lac converti.* Hippocrates vero eodem Aphoriſmo: *Si mulier, neque prægnans, neque puerpera, lac habeat, huic ſuppreſſa ſunt menſtrua.* Attamen id raro fieri fatendum eſt, cum lac ad fœtus alimentum Natura ordinaverit.

ARTICULUS III.

DE MEMBRIS GENERATIONIS.

PAuca de his & pura mente, eademque qua ſcripta ſunt legenda: *Syllam* miorchem fuiſſe tradunt hiſtoriæ; triorchem *Philippum Landgravium Haſſiæ* author eſt *Thuanus l.* 41. Addit, tam inexhauſti ad Venereos uſus fuiſſe ſucci, ut, cum uxore ſola uteretur, & illa toties eum admittere non poſſet, vir alioqui caſtus, ex ejus permiſſu, negotio cum paſtoribus communicato, concubinam ſuperinducere coactus fuerit. Princeps quidam Germanus bombardæ eviratus ictu, argenteum ſibi fabricari curavit penem; hocque liberis ſucceſſu felici navavit operam. *Nancel. Analog. Microcoſ. l.* 7. Taurus cum ſtatim à caſtratione iniviſſet, implevit. *Ariſtotel.* Exciſum coiviſſe virum apud *Albertum* legitur. Sine mentula quidam natus eſt, cum ſcroto & teſticulis; alter ſine utriuſque ſexus partibus. *Schenckius in Obſervat.* Clauſtrum virginale virgines habere certum eſt. Illud vero non pellicula quædam in medio uteri tranſverſim collocata, quæ cervicem faciat imperviam: Sed quatuor carunculæ in

coro-

coronam collocatæ, interventu parvularum fibrarum, donec vi rumpantur, ad invicem circulariter corrugatæ, foramen in medio ſui relinquentes, ut inde poſſent menſtrua ab utero provenientia fluere. *Ludovic. du Gardin. Anatom. cap. 91.* Sectum quibuſdam aliquoties ſine incommodo uterum, partus Cæſarei oſtendunt exempla; exſectum plane cuidam ob petulantiam ſine vitæ diſpendio teſtantur hiſtoriæ Medicæ. Puellam ex pudendis vaticinatam ſe vidiſſe affirmat *Rhodiginus:* idem à Pythia ſacerdote Apollinis factum, *Chryſoſtomi* aſſertio eſt.

ARTICULUS IV.

DE SEXTU FOEMINEO.

DVplicem eſſe ſexum nemo ignorat. Maſculinum ſuperiorem, vilioris fœmineum naturæ, omnia fere oſtendunt. Subjectionem certe huic imperavit DEUS, illi conceſſit imperium; Corpuſque ſi ſpectemus, habet hoc in [illegible] ſuæ inferiorem oſtendit gradum; temperamenti [illegible] rum ſi attendatur ratio. Hinc, quia triſtes ob menſtruorum decurſum diffundunt halitus, & nucem myriſticam, & corallium ſquallido ac nigricante inficiunt colore: Cum contra illa pinguior maſculi reddatur geſtatione: rubicundius iſtud. *Lemn. l. 2. c. 12. de Occult.* Ira eis facilis, bile accenſa ſubito ebulliente, & ob caloris defectum minor ingenioſitas. Quantum ad libidinem, magis accendi hunc ſexum quam maſculum, in communi jam eſt opinione; ſed & in ipſo gradus concedi nemo negabit. Quia enim in pallidis & macilentis, acri mordacique ſucco genitales imbutæ ſunt partes, humectarique inde poſtulant; rubicundis & obeſis ſalaciores eſſe conjicit *Lemnius l. 2. de Occult. cap. 37.* Ruta libidinem in viris extinguit, auget in fœminis. *Secundus Philoſophus* cum omnem mulierem fornicatricem eſſe ſibi perſuaſiſſet; &, facto ipſo periculo, de matre id verum cognoviſſet: Non re qui-

dem peracta, ſed adulterum filium admiſſura, ſi voluiſſet exequi; ab Adriano quid eſſet mulier, interrogatus, ſubjeçit; *Hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſollicitudo, indeſinens pugna viri, incontinentis naufragium, humanum mancipium.* Quidquid autem ſit: ita tamen abjectus non eſt hic ſexus, ut non aliquæ ſupra ſortem inveniantur. In obſidione Braunſvicenſi militis officium præſtitit quædam; idem in Cæſaris caſtris olim altera. *Camer. Hor. ſubciſ. cap. 76. Cent. 3. Eudoxia* uxor Theodoſii Iunioris ſcripſit Poëmata, & extat ejuſdem Homerocento de Servatore. Idem ex Virgilianis verſibus *Proba Falconia* præſtitit. *Iohanna Graja* Ebræam Græcam, & Latinam linguas calluit; *Olympia Fulvia Morata* Græcè ac Latinè verſus ſcivit pangere; & cum ad Orthodoxam defeciſſet religionem, totam ſe Theologicis mancipavit ſtudiis. Quid vero dicam de *Eliſabetha Anglorum Regina?* Hæc certe virtutibus ſuis univerſo admirationem incuſſit orbi. Pontificem quoque Sixtum in tantam rapuit, ut eam ſolam cum Henrico IV. Galliarum Rege in conſilio de univerſi orbis Chriſtiani ſumma recte adhiberi poſſe, diceret. Abiiſſe quaſdam progreſſu temporis in viros exempla teſtantur. Antiochiæ illuſtris virgo deſponſata poſt dolores virilia recepit. Mævaniæ altera quoque in virum abiit. Romæ alia ipſo nuptiarum die erupto genitali vir apparuit. *Volat. l. 24. Comm. Vrbin.* Idem Æmiliæ fœminæ poſt duodecimum conjugii annum accidit. Plura exempla Vide apud *Schenck.*

ARTICULUS V.

DE VAGITU UTERINO.

INfantes in utero materno fleviſſe nonnullorum annotatum obſervatione; & ita quidem ut exaudiri ſatis bene potuerint. Apud *Weinrichium de monſtris* exempla invenies. Quidam vero *Poëta* de quodam:

Mirandum fœtus materna clauſus in alvo
Dicitur inſuetos ore dediſſe ſonos.

Cauſa

Cauſa ſubeſt; doluit ſe anguſta ſede teneri,
Et cupiit magna cernere molis opus.
Aut quia quærendi ſtudio vis feſſa parentum
Aucupiis aptas innuit eſſe manus.

Mali id aliquid vel fœtui vel matri portendere exiſtimant alii: quidam autem & rationi & experientiæ adverſari judicant. Experientiæ, quia certum non extat apud antiquos philoſophos ſimile quid accidiſſe unquam. Rationi, quia non fit ploratus auditu perceptibilis, abſque aëris per os attracti & inter exſpirationem ad aſperam arteriam alliſi, certoque modo formati in ore & palato, emiſſione. Nam, cum venis & arteriis, urachoque, aliis rebus impletis, reciproco aëris curſui locus non ſit, neque etiam tantæ copiæ meatus per cor poni debeat; ob inſigne caloris periculum per umbilicum ingredi non poterit, nec per uterum admittetur. Membranæ enim quibus obvolvitur, tam laxos non habent poros, ut tranſeat aër; nec uterus, etſi pondere hiet, auram admittere poteſt: Ne dicam, lentore excrementitio occupata eſſe omnia. *Libav.* omnia quæ in thorace ad reſpirationem requiruntur, fabrefacta ſupponit; aëremque halituoſum internum ex humoribus calore agente natum, & intra domicilium infantis atque etiam in capacitate pulmonum concluſum, à fœtu eliſum, ſufficere autumat. *Vide diſc. de vagitu* &c.

ARTICULUS VI.

DE PARTU NUMEROSO.

IN unica generandi facultate homini conceſſa, contingit etiam varietas, temporis rationem ſi ſpectes & numeri. Alii quinto naſcuntur menſe, ſexto alii, alii ſeptimo, octavo, nono, quibuſdam decimus, & decimus tertius, nonnullis etiam decimus quintus tribuitur. Geſtatus quidam per viginti tres menſes apud *Paſchal. in Biblio Medica:* biennio apud *Aventinum l. 5. Annal.* qui loquens natus eſt: quatuor annis

apud Mercurialem. Interim tamen nonum & decimum menſem naturalem legitimi partus terminum Medici ſtatuunt; Cum fœtus jam grandior nec alimentum copioſum habet, nec locum in quo contineatur ſat amplum. Quinto menſe natos debiliſſimos eſſe, vel puella apud *Valeſium de Philoſ. ſacra cap.* 18. (Cujus gracilitas ac tenuitas major, quam mulieribus eſſe conſuevit, fuit) oſtendit, ſeptimo infirmos imperfectionis alicujus ſuſpicio, octavo vix vitales, conatus exeundi ſeptimo factus, & inde contracta infirmitas quibuſdam perſuaſit. Veſtilia tamen C. Herdicii ac poſtea Pomponii Orfiti clariſſimorum virorum conjunx, ex his quatuor partus enixa, Sempronium ſeptimo menſe genuit, Suillium Rufum undecimo, Corbulonem ſeptimo, utrumque conſulem: poſtea Cæſoniam Caji Principis conjugem, octavo. *Plin. l.* 7. *cap.* 5. Numerum ſi exigit, duos, tres, quatuor ſæpius parere accidit: ad majorem imo ſtupendum aſcendere nonnullæ: Ægyptia quædam apud *Gellium* uno partu quinque enixa eſt, *l.* 10. *cap.* 2. Lamiſii Longobardorum Regis mater ſeptem. *Sigebert. in Chronic.* Comitiſſa Quenfurtenſis novem. *Betraff. lib.* 4. *Princip. Anhalt.* Mulier quædam apud *Albertum* viginti duorum abortum fecit: alia ſeptuaginta; alia centum quinquaginta; Cujus rei facta fides eſt, tuniculis quibus obvolvebantur, conciſis. *Cælius l.* 4. *cap.* 25. Irmentrudis Iſenberti Comitis de Altorf uxor duodecim protulit; Margarita Virboſlai Comitis conjunx triginta ſex. *Cromer. l.* 11. Margaretha Florentii Comitis Hollandiæ filia trecentos ſexaginta quinque. *Ludovic. Vives in colloquiis.* Machtildis Comitiſſa ab Henneberg ſub Friderico II. mille quingentos. *Aventin. lib.* 17. *Annal. Cuſpinianus* habet trecentos quinquaginta. Diviſim vero ſi ſumas, magnæ fœcunditatis mira in plurimis invenies exempla. Priamus ex Hecuba novendecim habuit liberos, triginta & unum ex aliis. Artaxerxes centum & ſex. Herotimus ſexcentos. Conradus Moſcoviæ Dux octoginta. Rex Gilolo (inſula eſt inter Moluccas) etiam ſexcentos. *Pigafetta*

Ziam-

Zlambæ, trecentos viginti quinque. Alter ſexcentos quinquaginta. Hos ſe viventes vidiſſe ſcribit *Martinus Polus l.* 3. *cap.* 6. Ludovicus Vives in Hiſpania ruſticum vidit, cujus liberi ipſo ſuperſtite, pagum plus minus centum ædium compleverant. Et hac ætate vetula quædam de ſua loquebatur progenie. *Hem filia mea indica nepti tua, id eſt mulieri ex filia tua nata, prolem filiis ſua ejulare. Sphinx cap.* 17. In Ægypto fœcundæ ſunt. Pariunt enim tres & quatuor idque locis nonnullis, ut plurimum quinque naſcuntur, & quædam quatuor partibus viginti edidit, quinos ſingulis partibus enixa, majorque eorum pars enutriri & adoleſcere potuit. *Ariſtot.* 7. *Hiſtor. Animal. cap.* 4. Multitudo Ebræorum ex Ægypto regredientium, ſi parvulos, mulieres, ſenes, & Levitas computes, poteſt dici fuiſſe, ad tricies centena millia hominum, quæ ex ſexaginta tantum perſonis, ſpacio 2150. annorum propagata ſunt. Scotiam feraciorem virorum quam frugum affirmat *Barclajus in Icone animorum.* Certè anno 1592. Scotus quidam Helſingoræ in Dania quinquaginta quatuor liberos ex una uxore, quæ quadraginta tantum annorum erat, undecim ex alia ſuſcepit; ſic ut ſexaginta quinque liberorum pater eſſet. Spacio annorum novem viginti ſeptem illa peperit, ſingulis ternos. *ex literis Dn. Brinkii ad me datis.*

ARTICULUS VII.

DE MONSTROSO PARTU.

NAtura in agendo ſuum opus intendit; at quia varia ratione primi agentis, ſeminis, conſtitutionis cœli, formatricis virtutis, imaginationis, caloris, oriri poſſunt obſtacula, aberrare interdum non mirum erit. Quamvis autem monſtra in omnibus fere corporibus ſint mixtis; tamen illa præcipue, quæ in animantibus fiunt monſtra attenduntur, & vel in quantitate vel in qualitate accidunt talia. Capite con-

te connexos gemellos quædam Turonenſis anno 1569 enixa eſt. *Pareus l. 24. Oper. cap. 2.* A cervice totum bicorporeum Avenione vidit *Valeriola Locor. Com. l. 1. cap. 8.* Adverſis frontibus ſibi cohærentes gemellas virgines, quarum una procedente retrocedebat altera, *Munſterus.* Florentiæ gemini exhibebantur mares; quorum alter integer corpore, alter ſcapulis alterius jungebatur ventriculo, ut totum illi videretur intruſiſſe caput; & illo ſugente non aliter commovebatur, ac ſi ipſe ſugeret. *Beniven. de reb. abdit.* Idem Lutetiæ in viro quadragenario vidit *Pareus, l. 24. c. 2.* anno 1530. Circa finem Imperii Lotharii Imperatoris edidit partum mulier, canis ac hominis ſpecie, integerrime connexis corporibus, ac dorſi conglutinatis ſpinæ. *Lycoſt. lib. prodigior.* In Scotia autem alter inferiore parte maris ſpecie, umbilicum vero ſupra geminis membris & ad uſum & ad ſpeciem diſcretis fuit. Hoc monſtrum in Muſicis educatum, varias linguas calluit: in commune conſultavit, diſſenſu orto in jurgia & rixas ſæpiſſime erupit: annos viginti & octo vixit. Et cum alterum corpus complures ante alterum dies obiiſſet; quod ſuperſtes fuit, dimidio ſui computreſcente, contabuit. *Buchan. in Hiſtor. Scotica.* Cracoviæ denique natus olim infans ex nobilibus parentibus; teter admodum & terribilis aſpectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribuſque bovinis, cornu figura exortis & prominentibus, dorſo pilis caninis hiſpido, ſimiarum faciebus in pectore extantibus; qua mammarum locus oculis felium ſubtus umbilicum hypogaſtrio adfixis, tetris ac minacibus: canum capitibus ad utrumque cubitum, & pedis utriuſque patellam ſpectantibus antrorſum; στρεβλόπους & στραβόχειρ, figura pedum cygni; cauda ſurſum reflexa & recurva, longitudine ulnæ dimidiæ: editus in lucem, quatuor horas vixiſſe, & tandem emiſſis vocibus: Vigilate, Dominus DEVS veſter adventat, exſpiraſſe dicitur, *Peucer. in teratoſc.* Huc pertinet fœtus lapideus Agendici Senonum; qui viginti & octo annos portatus, ex utero poſt mortem matris exciſus

ſus eſt. Hodie adhuc Agendici miraculi inſtar viſitur, expers putredinis. *Thuan. l. 76. Hiſtor.* Perſcriptum nuper ad me ab Ampliſſimo Domino Brinkio, inventum eſſe anno 1610. Hardervici annorum duodecim puerum natione Hibernum, mirè monſtroſum. Habebat enim duplex pectus, bina corda, occiput gemini capitis inſtar, loco linguæ carnis in infima oris parte particulam, in ſingulis manibus & pedibus ſex digitos, quorum minores à ſe invicem disjuncti, majores ſibi agglutinati, pedis anſerini referebant ſpeciem. Facies ipſi decora, cibus æſtate gramen, caules hyeme. Vox balatus inſtar. Plura qui ſcire deſiderat conſulat *Bauhinum de Hermaphroditis*, *Weinrichium de Monſtris*, *& alios.*

ARTICULUS VIII.

DE COMPENSATIONE NATURÆ MONSTRIS FACTA.

TRaditur vulgo, defectu naturæ laborantes, improbitatis inſignis aliquid habere. Hoc interdum quidem verum eſſe invenitur: at ſemper inveniri falſiſſimum eſt. Nam, ut nihil dicam de partium diverſitate, quam obſervandam ſuadet *Lemnius:* inſtitutionis vis tanta eſt, ut Socrates, cum per naturam malus eſſe deberet, bonus eadem ſit redditus. Quin tam benigna eadem, ut ob errorem quaſi verecundia ſuffuſa, defectum aliis compenſet ubertimè. *Comes Mansfeldius* viſu deſtitutus, ſolo contactu album à nigro diſcernere potuit. *Keckerm. in Phyſicis.* Hamar Dux quidam Caravanæ, ex ſolo arenæ odore, ubi eſſet agnoſcebat. *Leo African.* Francothalenſis quidam concionator, ab utero cæcus, ex tribus filiabus cujuſdam, tactu manus formoſiſſimam elegit. *Camer. Hor. ſubciſ. cent. 3. c. 80.* Et illius in defoſſis & furto ablatis quingentis aureis recuperandis apud *Panormitanum l. 3. de Alphonſo*, ſolertia, paucis ignota eſt. *Cicero* ait *Homerum* cæcum fuiſſe; at ejus picturam non poëſin nos videre.

dere. *Quæ enim (verba ejus ſunt Tuſculan.* 5.) *regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita depictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut videremus effecit.* Didymus etiam Alexandrinus cæcus ab ineunte ætate, ſapientiam divinam & humanam & didicit, & profeſſus eſt. *Ruffin. l.* 11. *cap.* 7. *Eccl. Hiſtor.* Quid jam de *Thoma Schvveikere* dicam? Sic de eo Poëta, & Medicus inſignis *Poſthius*:

Mira fides! pedibus dextra facit omnia Thomas,
Cui natura parens brachia nulla dedit.
Namque bibit pedibus, pedibus ſua fercula ſumit,
Volvit & his libros, præparat his calamos.
Quin & literulas pede tam bene pingere novit,
Artificis ſuperet grammata ducta manu.
Maximus hoc Cæſar, ſtupuit quondam Æmilianus,
Donaque ſcribenti largus honeſta dedit.

Georgius vero *Pictorius* Villinganus *lib.* 4. *Serm. Convival.* teſtatur ſe Hiſpanum vidiſſe ſine brachiis natum, pedibus tam citum, ut illis neret, ſeu acu expeditius pingeret, quam vel citiſſima mulier ambabus manibus. Arma tam affabre tractabat idem, ut nullus militum agilitatem aſſequeretur: arcu denique tam rectus, ut nunquam aberraret à ſcopo. Vnico ictu craſſiuſculum etiam infringebat truncum. Tandem, ut concludam, facit cujuſdam ſtudioſi *Keckermannus* mentionem, *l.* 1. *Phyſic. c.* 4. qui uno tantum digito, & quidem minimo, in utraque manu erat præditus, pedibus ſine ullis digitis formam triangularem referentibus. Hic tamen majori unico digito quam alius quinque pollebat robore; eleganter ſatis, ſatiſque celeriter ſcribebat; pedibus tam firmus, ut rarius quam cæteri in lubricis laberetur locis. Deſinat itaque naturæ accuſare injuriam *Plinius*. Benigna erga omnes mater eſt; defectum majore compenſat uſura.

ARTICULUS IX.

DE VARIARUM FORMARUM GENTIBUS.

QVod articulo octavo de monſtroſo partu dictum eſt, raro accidit; ex conſuetudine id eſſe apud quaſdam gentes, nonnulli judicarunt. Non procul à Troglodytis in Æthiopia gentem quandam capite carere, oculos in pectoribus habere vidit Auguſtinus, ſerm. ad fratr. in Eremo. Confirmat *Solinus cap.* 53. *Plinius l.* 5. *cap.* 8. In Peruaco provincia Caraqui occipite & ſyncipite carere ſcribit *Hiſpalenſis. Sylv. p.* 5. *cap.* 35. Statim enim edito partu tabulis complanari caput, adjicit. In Guiana Epumerocacos quoſdam in navigationibus ſuis ponit *Rhalegus.* Circades populi ultra Taprobanam oblonga ſunt facie, capite equino, ſi Arriano apud *Ramuſ. tomo* 1. credimus. Per Indiæ montana capitibus ſunt caninis, armati ungulis, veſtitu tergorum amicti, ad ſermonem humanum nulla voce ſed latratu tantum ſonantes, Magaſtenis teſtimonio. *Ælian. l.* 10. *cap.* 26. in Ægypto illos ponit, ſecundum viam quæ ad Æthiopiam pertinet, deſcribitque quod ſint nigro aſpectu, vocis expertes, ſtrideant acutè, infra barbam mentum poſſideant tam promiſſum, ut ſerpentum ſimile id eſſe videatur. Ex venatu Bubalorum & Dorcadum vivunt. *Auguſtinus de Civitate* DEI *l.* 16. *cap.* 6. id non eſſe incredibile exiſtimat. Panotii apud Scythiam eſſe feruntur, tam diffuſa aurium magnitudine, ut omne corpus iis contegant. *Iſidor. l.* 11. *cap.* 3. Quidam ſingulis pedibus adeo latis, ut ubi ſe defendi à calore velint, reſupinati toti inumbrentur. Quid ſi marinos dari homines & hic adjecero? Anno certe 1403 in Hollandiæ lacu capra eſt marina mulier, & Harlemum adducta; quæ docilis quidem apparuit ad nonnulla humana; ſed loqui diſcere non potuit. Anno 1526 in Friſia vir barbatus, piloſus, marinus, aliquot vixit

vixit annos, ſed mutus. *Libav. l. 6. de Vniverſit. rerum.* Nec ita pridem, cum legati Regis Daniæ in Norvegiam vela facerent, virum faſcia ſegetum inſtructum in mari videre; qui captus, inque navi depoſitus vivere deſiit; mari injectus, revixit. Hæc ſat probati Hiſtorici. Quid ſentiamus hic non addimus: niſi & Diaboli infinitas eſſe præſtigias, & imaginationis ingentes vires, & beſtias interdum accipi pro hominibus, præſertim ſimilitudo ſi accedat. Legimus in Hiſtoria Scotica, Legatos Regis, ventorum impetu in Norvegiam delatos, beſtias villoſas hominum inſtar, in montibus oberrantes, vidiſſe; quas cum homines eſſe feros judicaſſent, feras noxias eſſe ab incolis accepere. Fruatur interim quiſque ſuo judicio, nobis ſe, prolixius de his agendi, alibi poterit offerre occaſio.

ARTICULUS X.

DE ANTIPATHIA QUADAM MIRA INTER PATREM ET FILIUM.

PArentem fuiſſe qui filium legitimum non aliter abhorrebat, quam feles cæteri; ita ut præſente & nondum conſpecto in lipothymiam inciderit, *Georgius Mylius* Theologus Ienæ referebat. Cauſam ejus diligenter inquiſivit Libavius. Et certe, ſi digna eſt accuratiori conſideratione Antipathias inter res naturales ratio; illa quæ inter liberos & parentes fuiſſe notatur, digniſſima. Hoc autem primo certum eſt, nec in rationali, nec in ſenſuali parte, hujus quærendam eſſe cauſam diſcordiæ. Nam nec male voluit filio, nec Sympathia vel Antipathia στοργῆς vel ἀστοργίας dignari debet titulis. Sunt enim & in illis quæ non vivunt; & ſi in animalibus, non quatenus talia, ſed quatenus naturam habent, reperiuntur. Quia vero vix ab alio abhorruit filio, nec faſtidivit prolem cujus gratia conjugium ſuſcepit, hæreditarium id non fuiſſe malum evidens eſt. Videtur igitur probabile in eam diſpoſitionem immutatum filium, quæ paren-

parenti ſingulariter eſt adverſata. Ea autem vel è ſeminali corpore ab utero male diſpoſito, vel à ſanguinis impuri confluxu, fomentum alterationis habente, vel à ſanguine, quo Embryo alitur, oriri potuit. Hic enim ex materia alimenti diverſus evadit, vel aliqua alia cauſa interna, vel loco degenerat. Nonnunquam ſpiritus ſanguini totique naturæ aſſiſtentes, mutationem inducunt. Vel igitur mater inſigni pica laborans adverſo patri cibo delectata eſt: vel eidem ex conſternatione rei patri abominabilis, eundem impreſſit affectum: ut nihil de obſtetrice ſaga, vel occulta cauſarum qualitate dicam. Sic Vratiſlavienſis puella, epoto felis ſanguine, felinam expreſſit naturam; & Fauſtina, latronis guſtato cruore, crudeliſſimum peperit filium. Quod ſi quis una actione habitum acquiri non poſſe exiſtimat, id de potentiis naturalibus falſum eſſe cogitet. Qui enim in antrum Throphonii ſemel olim rapiebantur, per totam vitam moroſi erant: & mulier quæ in lupi incidit foveam, ea incanuit nocte.

ARTICULUS XI.
DE QUIBUSDAM CIRCA GENERATIONEM MIRIS.

ADjicio ea, ne, quamvis multa jam ſint dicta, deeſſe videatur aliquid, *Soranus Epheſinus Iſag* 17. tradit, mulieres quæ in navibus pariunt, mutos parere: non quod non loquantur, ſed quod cum educuntur, non vagiant. *Auſonius* de quodam,

Genua cui patrem, genitricem Gracia, partum
Puppis & unda dedit, num bonus eſſe poteſt?
Sunt vani Ligures, mendax eſt Gracia, Ponto
Nulla fides: hac tu ſingula ſolus habes.

Quidam nati ſignum ſecum in lucem ferunt. Thebis lanceam genitivis notis habere Spartorum familiæ datum erat. Inter quos fertur in brachio Dacorum notam originis quarto quoque partu regenerari. *Alexand. ab Alexandro lib.* 2. *cap.* 19. Auguſtus Cæſar genitivas

tivas notas diſperſas per pectus & alvum in ordinem & numerum cæleſtis Vrſæ habuit *Sueton.* Scanderbegus effigiem gladii in dextro brachio ex utero materno tulit. *Pontan. l. 2. belli Neapol.* Iohannes Fridericus Elector Saxoniæ crucem auream in dorſo habebat, futuræ calamitatis indicium *Bucholz. in Chronol.* Iacobus Magnæ Britanniæ Rex leonem, gladium, & coronam tulit. *Camer. Hor. ſubciſ. Cent. 3. c. 42.* Corzanorum Reges ſignum nigræ Aquilæ in humero portant. *Marcus Venetus.* De Auſtriacæ vero familiæ principibus fama eſt, (alii non tradunt) crucem auream, id eſt pilos candidos in modum crucis protractos geſtare. *Felix Fabr. Hiſtor. Suev. l. 1. cap. 15.* Ludovicus Vngariæ Rex ſine extrema cute quam ἐπιδέρμιδα vocant, editus eſt. Diadumenus Macrini, Imperatoris filius diadema in capite cum naſceretur, habuit, quod, veris intercedentibus nervis non potuit rumpi. *Cuſpinian.* Agrippæ in naſcendo non caput, ſed pedes primum exivere. *Plin. l. 7. c. 8.* In uterum protinus reverſus infans, Sagunti quo anno ab Hannibale deleta eſt. *Plin. l. 7. c. 3.* Gorgius Epirota, fortis & clarus vir, in funere matris ſuæ utero elapſus, inòpinato vagitu ſuo lectum ferentes conſiſtere coëgit, novumque ſpectaculum patriæ præbuit, non tantum ex ipſo genitricis rogo lucem, ſed & cunas aſſecutus. *l. 1. c. 6.* Quidam viri ultra octogeſimum annum gignunt. Nam & Maſaniſſa poſt eum ſex genuit liberos, & nobilis Francus filium & filiam. *Camerar.* Viſæ & fæminæ quæ quinquageſimo peperere anno. Sed & in puerili quibuſdam id accidit ætate. *Albertus* enim *Magnus l. 4. ſentent.* nono quandam anno redditam prægnantem, peperiſſe decimo ſcribit. *Plinius* vero *l. 7 cap. 2.* ſeptimo quaſdam parere, ac ſemel tantum, ſenio autem confectas, quadrageſimum annum non excedere, eaſque Macrobiis junctas, commemorat. Puerum vero decennem mulierculam imprægnaſſe *Rhodig. Antiq. l. 14. c. 18.* author eſt. Nonnullæ ſecundo, tertio, & quarto menſe poſt priorem fœtum, fœtum edidere vitalem. Vnius mulieris, quę bis intra duorum menſium ſpacium enixa eſt,

men-

mentionem facit *Nancelius l.* 8. *Analog.* Aliæ nonniſi aperto Chirurgi opera utero patere potuere. Quater cuidam exciſum, quatuor diverſos edidiſſe fœtus, apud *Schenckium* invenies. E Proculo Cæſare centum virgines intra dies quindecim fœtum concepere. *Plin, l.* 7. *c.* 32. In Picæno puer cum ſex dentibus natus eſt. *Bonfin. Decad.* 3. *l.* 8. Pruſiæ vero Bythiniarum Regis filius illorum loco continui oſſis ſoliditatem habuit. *Solin. cap.* 3. Nonnulli ita naſcuntur, ut aures quandocunque motitare poſſint. *Zoroaſter* ridens naſci viſus eſt. Sed ſatis de his, pergamus ad alia.

CAPUT VI.
DE ACTIONE VITALI.

ARTICULUS I.
DE CORDE.

Cor in nonnullis deſideratum eſt, ſi in Avicennæ nullum eſt teſtimonio mendum. *Rhodig. l.* 4. *cap.* 16. Cæſari certe Dictatori, quo primum die in veſte purpurea proceſſit, ſacrificanti bis in extis defuit. *Plin. l.* 11. *cap.* 37. Bina in quibuſdam animalibus reperiri perdicum Paphlagoniarum exemplo agnoſcitur. Deſideratum in quibuſdam ſiniſtrum ventriculum, cartilagineum in nonnullis repertum ſeptum, *Columb. l.* 15. *Anatomiæ* obſervavit. Os in eo in duobus virorum cadaveribus *Gemma l.* 2. *Cyclog.* deprehendit: Calculos quantitate piſorum *Wier. l.* 4. *de præſtigiis Dæmon. cap.* 16. Ariſtomenes Meſſenius, qui trecentos Lacedæmonios interfecerat, & aliquoties captus, aliquoties etiam elapſus erat, hirſutum habuit. *Valer. Maxim. l.* I. *c.* 8. Idem de latrone quodam refert *Benivenius c.* 33. *de abditis.* Pericardium, ſeu burſa in qua ſitum eſt, interdum deficere poteſt. Defeciſſe in juvene, & ideo Syncopen paſſum *Columbus* l. 15. *Anatom.* annotavit. Vulnus interdum excitare poſſe, nec letha-

lethale tamen, Marylli Mimographi puer, cui ſecto licet pericardio cor appareret, mors tamen conſecuta non eſt, oſtendit *Galen. l. 7. Adminiſtr. Anatomiæ.* Idem fere in cordis accidiſſe vulnere Hiſtoria Groningenſis, quam, quia in paucorum manibus, appono, teſtatur.

Caſus in cordis vulnere admirabilis.

Nicol. Mulerius lectori ſalutem.

Creditum hactenus fuit, corde vulnerato non poſſe quenquam vel ad unius horulæ vitam producere. Quam ſententiam ratio firmat & experientia. Cum enim vita noſtra à ſpirituum incolumitate dependeat, quorum officina fabricaque in ipſo corde ſita eſt, corde vulnerato, ſpirituum generationem impediri ac prorſus ceſſare neceſſarium eſt. Verum hiſtoriam valde memorabilem hoc loco proponere viſum fuit: hiſtoriam, inquam, militis, qui in corde ſaucius vitam ultra quindecim dies ſuſtentavit: qualis nec in veterum, nec in recentiorum medicorum obſervationibus ulla nobis occurrit. Andreas Haeſevanger, Illuſtriſſimi Comitis Wilhelmi à Naſſau Friſiæ, Groeningæ, Omlandiæ &c. Gubernatoris coborti prætoriæ adſcriptus, vulnus in pectore à commilitone accepit anno 1607 *die* 22 *Auguſti ſub veſperam. Obiit die Octavo Septembris hora una poſt exortum ſolis, qui erat dies decimus ſextus à vulnere inflicto. Defuncti cadaver prætoris militaris juſſu vulneris explorandi gratia à me & duobus Chirurgis Caſpare & Luca Hultano apertum & examinatum fuit, præſente & ſpectante viro ſtrenuo ac nobiliſſ. Bernhardo Hoorkens, ſpectantibus etiam nonnullis aliis ima ac meliorū ſortis militibus. Ecce aperta pectorū cavitate, evacuataque haud parva materia purulentæ minimè fœtentis copia, deprehendimus admirabundi, vulnus in cordis uſque ſinum dextrum penetraſſe, iſtamque cordis partem fere totam contabuiſſe, ſiniſtra parte manente incolumi, in qua continetur primaria ſpirituum vitalium officina. Hujus igitur beneficio vita Andreæ ad decimum ſextum diem conſervata fuit. Et ne forte hujus narrationis dubia eſſet apud nonnullos fides, eam teſtimonio ſuo manuumque ſubſcriptione muniverunt viri nobiliſſimi & ampliſſimi* &c.

AR-

ARTICULUS II.
DE PULSU.

PVlſus cordis eſt & arteriarum motus ſyſtole & diaſtole conſtans. In ſiniſtro latere percipi propter magnam arteriam *Platerus* judicat: fuere tamen quibus in dextro tantum, ſi *Cardano* credimus. Inæqualitas interdum in illo magna ob variorum caſuum allapſum. Vnde diverſitas pulſuum apud medicos. Intercipi aliquando nemo negabit: non ſentiri ob arteriarum profunditatem *Balduinus Ronſeus* docet. Schaſco Andreæ Comitis à Gorca hiſtrioni omnis generis inæqualitates in pulſu per naturam fuerunt. Iohannes vero Broſovius de ordine Cruciferorum Beatæ Virginis intermittentem, quoad vixit, geſtavit. Cæterum cordis motum in vividis animalibus explorant medici, in fele obſervavit *Coiterus*. Tum vero pericardio ſecto duplicem atque contrarium in corde vidit motum, nimirum ad ejus auriculas. Dum enim cor pulſatione efferebatur, auriculæ ſubſidebant; rurſus ſubſidente corde, attollebantur atque implebantur auriculæ. Auriculæ hoc ſeſe modo componebant ad diaſtolen; inſtar veſicæ viſæ ſunt inflari, & cum extenſæ erant rubrum acquirebant colorem, & aliquantiſper morabantur, antequam ad ſyſtolen contendebant. Eadem in decurſu ad diaſtolen ratio. In ſyſtole tamen candeſcunt, flaccidæ factæ conſidunt, atque vi cordis in cordis baſin nonnihil rapiuntur, &c. *in obſ. Anatom.*

ARTICULUS III.
DE VITA ET MORTE.

DE vita nihil fere habeo quod dicam, niſi longævos fuiſſe ante diluvium homines; poſt diluvium ad Mathuſaleam vel Adami non aſcendiſſe ætatem. Fuere

Fuere tamen nonnulli qui ad ſat provectam pervenere. Nauclerum centum annorum ſe Stockholmiæ vidiſſe ſcribit *Lemnius l.* 4. *cap.* 24. *Occult.* qui triginta annorum in matrimonium adſciverat ſponſam, aliquot poſt liberorum parentem. Laurentius Hethlandus apud *Buchananum* centum quadraginta annos natus, ſæviſſima hyeme piſcatum prodibat. Quidam in India ex Gandaridarum gente, quam hodie Bengalam vocant, trecentos triginta quinque annos vixit, filium nonagenarium habuit, & cum literam noſſet nullam, illa quæ ab eo referebantur ad Annalium optime congruebant fidem. Dentes ei poſtquam decidêre, renaſcebantur iterum, & barba poſtquam incanuiſſet in nigrum vertebatur colorem. *Petrus Maffejus.* Ratum & illud apud *Thuanum l.* 134. Emmanuelem Demetrium, obſcuro loco natum, centum & tres vixiſſe annos; Vxorem illius nonaginta novem, ſeptuaginta quinque expleviſſe in conjugio, alterum alteri tres ſupervixiſſe horas, Delphis ambos ſimul anno 1603. ſepultos. Anni ætatis qui per ſeptem & novem conſurgunt decretorii ſeu Climacterici dicuntur. Hinc periclitantur impuberes circa annum quartum, ſeptimum, nonum, &c. *Celſ. l.* 2. *cap.* 1. Annus ſexageſimus tertius ſenibus periculoſiſſimus eſt. Vnde id fiat, difficile eſt conjicere. *Lemnius l.* 2. *cap.* 32. putat certis annorum periodis magnam humorum congeri abundantiam, quorum agitatione morbi excitantur. Cum enim natura ad immodicam repletionem devenerit, ac conceptacula humorum plenitudinem ferre nequeant, in morbum erumpat neceſſe eſt. *Philo in loc. allegor. l.* 1. ſic de ſeptenario ſcribit. *Septenario natura gaudet Septem ſunt ſtellæ erraticæ, urſa ſeptem ſtellis completur, ſingulis ſeptimanis Luna mutationes fiunt, & quaſcunque in aere mutationes operantur: Humana omnia, quæ divinius principium cælitus ſibi contrahunt, juxta ſeptenarium ſalubriter moventur, infantum ſeptimus menſis ſalutaris partus, ſeptimo anno homo rationem perfectam habet, ſecundo ad potentiam progignendi ſibi ſimilem pervenit, tertius finis eſt augendi, anima*

bruta,

bruta pars ſeptifariam dividitur, in quinque ſenſus, vocis inſtrumentum, & genitalem vim. Corporis motus ſeptenarius eſt, ſex pro ratione membrorum, ſeptimus in orbem. Septem ſunt interiora viſcera, ſtomachus, cor, lien, jecur, pulmo, renes gemini. Septem membra corporis, caput, cervix, pectus, manus, venter, inguen, pedes. Septem foramina habet principalis pars hominis. Oculos, duos, duas aures, nareſque & os. Septem ſunt excrementa, lachryma, mucus, ſaliva, genitura & quæ per duas cloacas corporis fluunt, & ſudor totius corporis &c. Quicquid autem ſit, ſive diu vivamus ſive non; mors tamen omnibus certiſſima eſt. *Natura accipiendi ſpiritus & reddendi eodem momento temporis legem dedit. Valer. Maxim. l. 5. c. 10. Laureatis etiam foribus atra inducitur veſtis. Senec. ad Polyb.* Modus interim & incognitus & varius eſt. Baldus à cato Melitenſi leviter in labro admorſus, poſt quartum menſem rabie correptus, hydrophobicus mortuus eſt *Majol. in Colloqu.* Ladiſlaus Neapolitanorum Rex, cum Peruſii degeret, venenato ſuo & mulieris genitali interiit. *Colenut. in Compend. Hiſtor. Neapol.* Quidam præ ingenti occubuere gaudio: ex commiſeratione nonnulli. Ianitor ille cum ad interficiendum minimum natu Bajazetis filium juſſu Solymanni miſſus eſſet, & puerum ad conſpectum laquei arridere, & oſculum ferre, geſtire, vidiſſet, ita, homo alias ferox, commotus eſt, ut ſtatim anima liquente concideret. *Thuan. l. 24.* Poſt mortem omnium fere cadavera putreſcunt, & in alia abeunt corpora. Ex medulla naſci ſerpentes *Plin. l. 10. cap. 66. teſtatur,* Cleomeniſque in patibulum actum, apud Plutarchum, cadaver. Idem in adoleſcente quodam factum eſſe *Camerarius Centur. 1. Horar. ſubciſ. cap. 11.* memorat. Quum enim ſuæ ætatis putaretur pulcherrimus, inque morbum lethalem lapſus, ut ſuam effigiem poſteritati relinqueret, exorari non potuiſſet; tantum hoc illorum conceſſit precibus: ut pluſculos poſt à funere dies ſepulchrum aperirent, & qua forma ſuum invenirent cadaver, eadem depingerent. Aperto igitur ſepulchro, ſemiconſumpta à vermibus inventa eſt facies, pluresque ſerpentes circa diaphragma & ſpinam

ſpinam dorſi viſi. Caroli Martelli ſepulchrum corpore vacuum inventum eſt, proque eo ſerpens. *Guaguin. & Æmil.* In Ægypto cadavera integra viſuntur, ex quibus Mumia ad plures morbos ſalutaris deſumitur. Nec corrupta ſunt, quæ prope Kijoviam ad Boryſthenem conſpiciuntur.

ARTICULUS IV.

DE VENENORUM INFECTIONE.

OCculta quia qualitate infeſtiſſima ſunt Venena, hic pauca de infectionum varietate addere volui. Primo autem aëris occurrit veneficium. Id in peſte comprobatur, & ex illa prope Neapolim ſpelunca ab omnibus colligi poterat. Eoque res devenit, ut aër arte inquinari poſſit, quo hoſtes in eum irruentes, interimantur. Apparuit id in Semiramidis ſepulchro, ſuper celeberrimas urbis portas poſito: Hoc enim cum Darius ſpe inveniendi theſauri illectus aperuiſſet, exiguam arculam invenit, qua aperta tanta vis veneni proſiliit, ut tertiam hominum partem ſuſtulerit. Quædam animalia viſu & ſibilo interficiunt. Id quippe de Baſiliſco, qui in theſauris Maximiliani Imperatoris viſus eſt, creditur, & *Avicenna* ſcribit *l.* 4. *ſen. tract.* 3. *cap.* 21. militem cum ſerpentem quendam lancea percuſſiſſet, per lanceam una cum equo infectum, fuiſſe mortuum. *Bartholinus Phyſ. ſpecial. part.* 3. *cap ultimo.* in Cimbria paſtori cuidam oſtio horrei ſui brachio incubante innitenti eveniſſe author eſt, ut ſubito & innitentis lateris ſenſum ac motum imminutum ſenſerit, & ejuſdem lateris barbitium canum animadverſum ſit; atque unà latens in oſtii inferna parte ſerpentis exitiale genus. Iamboli relatu in Arabia genus herbæ reperiri, ſuper quam qui dormiunt, ſuaviſſimo ſopore correpti intereunt, prodidit *Diodorus Siculus l.* 2. Viſui guſtatum addo. Sic enim in Indiis cum Europæi pulchras deguſtaſſent herbas, mor-

mortę ſubito periere. Alexandri exercitus pomi cujuſdam novitate pæne obtritus eſt. In valle Anania ruſticus à ſerpentis decollati capite abſciſſo, præter expectationem demorſus, morſui cum os admoviſſet, ſuctu eidem medicaturus, repente mutus factus obiit *Mathiol.* Quid vero de tactu dicemus? Turcas venena habere, quæ ſolo attactu eodem die interimant. *Cardanus l.* 1. *de Venen. cap.* 15. prodidit. Otho III Romanorum Imperator à Creſcentii Romani conſulis uxore, ſpe conjugii fruſtrata miſſis chirothecis venenatis interemptus eſt. Iohannes Galleacius appoſito ſtapedi veneno, cum equitare veller, è medio ſublatus eſt. Dryinus, ubi quis eum calcaverit, illius pedes excoriat; & quod mirabilius, manus Medici locum curantis inde excoriantur. Denique odore multi ſolent è veneno infici. Alexandri enim Magni equitatus in India, peſtilentiſſimo cujuſdam fruticis odore, pæne totus interiit. Franciſcus verò Ordelaphus Forolivii Capitaneus genus veneni habuit, quod injectum ſupra carbones, omnes interimebat aſtantes. Nec exiſtimes ſola id qualitatis fieri potentia. Exitioſum aliquid odori conjungi, cum multa ſint rerum effluvia, certiſſimum videtur.

CAPUT VII.

DE SENSU INTERNO ET EXTERNO.

ARTICULUS I.

DE IMAGINATIONIBUS MELANCHOLICORUM.

MElancholia laborantibus tam mira ſe offerunt phantaſmata, ut ſapientiſſimis etiam interdum imponant. Animam ſe putabat quidam: granum milii alter: naſum tam vaſtum alius gerere, ut nullæ portæ illi perviæ eſſent. *Lemn. l.* 2. *de Complex. cap.* 6. Nonnulli ſe capite carere putabant; nonnulli ex vitro

ſibi conflatas nates arbitrabantur. *Lemn.* Senenſi, apud *Laurent. l. de Melanchol. cap.* 7. Nobili videbatur, ſi urinam mitteret, futurum ut univerſa urbs diluvio periret. Mulier apud *Trallianum* medium manus ſuæ digitum conſtringebat; ac ſi in ipſo totum geſtaret orbem; plorabat eadem, veteri ſe dicens, ne, ſi inflecteretur, tota mundi interiret machina. Doctus apud *Quercetanum Diatet. Polyhiſt. l.* 1. *cap. ult.* vir imaginatus eſt, ſibi ab amico ex Italia reduce duos ſpiritus malos, qui in colloquium ſæpe cum illo venirent, ingeſtos eſſe. Burgundus quidam Lutetiæ ad ædem S. Iuliani mortuum ſe affirmabat: Mox Medicos, ne amplius animæ, quo minus evolaret è purgatorio ad cœlum, impedimento eſſent, rogabat: Mox moribundos imitabatur. *Scholiogr. ad cap.* 17. *l.* 1. *Holler. de morb. internis.* Quidam apud *Montanum Conſil.* 25. imaginabatur totam mundi ſuperficiem ex ſubtiliſſimo eſſe vitro, ſubtus ſerpentes latere, ſe in lecto tanquam in inſula morari, unde, ſi egrederetur, facile in ſerpentes vitro fracto incidere poſſe. Taceo interim Virginem quandam, quæ in cælo ſe fuiſſe, cum Trinitate ſacroſancta & Angelis deambulaſſe, à Diabolo interdum rebatur. Aliquando ſolent tales homines linguis peregrinis loqui, & futura prædicere. Sic Spoletanum quendam idioma ignotum ægrum fuiſſe locutum, reddita ſalute illud ignoraſſe ſcribit *Eraſmus in Encomio Medicinæ.* Ruſticum quendam melancholicum ſe vidiſſe refert *Guianerius tract.* 15. *c.* 4. qui ſemper luna exiſtente combuſta, carmina componebat latina, & tranſacta combuſtione, circa duos dies ad aliam combuſtionem, ne verba quidem latina proferre poterat. Foreſtus mulierem melancholicam cantiunculas latinas cantaſſe author eſt, quas nunquam didicerat; & *Iohan. Huartius in ſcrutin. ingeniorum* Hiſpani cujuſdam ſervi mentionem facit, qui ſe Regem arbitratus, prudentiſſimos in morbo de regimine faciebat diſcurſus. Sed his exemplis Diabolum ſe juſto DEI judicio ingeſſiſſe, fatendum eſt: nec vel aſtris, ut *Guianerius* vult; nec linguæ latinæ

cum

eum anima rationali conſonantiæ, ut *Huartus*: nec puræ ſpirituum opacitati, vel malignæ qualitati, ut cæteri, adſcribi poſſe eadem. Modernorum quædam an huc pertineant, prudentibus judicandum abſque effectu relinquo.

ARTICULUS II.

DE IMAGINATIONIS EFFICACIA.

IMaginationis efficacia ex præcedenti articulo agnoſci poterat: ſed quia melancholicæ morbidam affectionem includunt, non ita eam exprimunt, ac timor ac conceptio. Cum enim quidam adoleſcens Nobilis ob ſtuprum virgini illatum, mortem ſubire deberet: attenta illius conſideratione tantum effecit, ut extincto ſopitoque vitali calore & ſpiritu, ſingulæ corporis partes emiſſo florido colore in deſpicabilem laberentur, & capillorum radicibus quæ fumido vapore aluntur areſcentibus, in canitiem illi abirent. *Camerar. Memorab. Medic. Cent.* 2. *Mem.* 15. Idem Franciſco Gonzagæ, cum tanquam conjurationis conſcius carceri includeretur, accidit. *Scalig. Exerc.* 312. Nec non Ludovico Bavaro Imperatori, poſtquam occiſa Helica virgine Prennebergenſi, ſecuri percuſſa uxore, fœmina alia nobili de turri præcipitata, viſione nocturna anxius redditus fuiſſet. *Avent. l.* 7. Idem in conceptione fieri, innumera exempla confirmant. Plumbini Ducis uxor cum Æthiope rem habens, Æthiopis forma infantem peperit. Perſina Æthiopiſſa, imaginem albi infantis in congreſſu intuita, alba facie filiam produxit. *Heliodor.* Carolo IV. imperante, mulier Iohannis Baptiſtæ effigiem ſæpius contemplata, hirſutum peperit filium. Boſciducis, quidam Dæmonis inſtar larvatus cum uxore congreſſus, filio eam imprægnavit, qui ſtatim ac natus erat curſitare incepit. Simile apud *Lemnium in Occul.* monſtrum invenies. Quin eo uſque imaginationem idem extendit,

dit, ut, in libidinoſioribus virgunculis, ſemine cum ſanguine imaginaria ſalacitate commiſtis, rudimentum animalis eam meditari exiſtimet. Quomodo vero id fiat, difficile eſt explicatu, nec hujus loci.

ARTICULUS III.

DE VISU ET OLFACTU.

TAm lucidos habuit oculos Auguſtus Cæſar, ut in quos eos attentius defixiſſet, hos connivere tanquam ad ſolis fulgorem cogeret. Tiberium, tanquam felem in tenebris videre potuiſſe auctor eſt *Suetonius.* Strabonem conſtat tam certa oculorum acie fuiſſe, ut à Lilybæo, portu Carthaginenſium egredientes claſſes intueretur. *Val. l.* 1. *c.* 8. in iiſque ſingulas numeraret naves. Diſtantia vero centum triginta quinque millia paſſuum erat. Quod ſi hoc verum eſt, verum etiam erit Hiſpanum quendam, Lopem in Gadibus fuiſſe, qui, ex edito monte, quem vocant Calpen, per fretum illud oppoſitum acie penetrabat, & ex Europa Africæ littus (cujus trajectus vel teſte *Clenardo in epiſtol. ad Iacob. Labocum* mari tranquillo trium ad quatuor horarum eſt) colluſtrabat, quæque ibi agebantur, indicare poterat. *Camerar. Hor. ſubc. c.* 3. *cap.* 81. Viginti gladiatorum paria, in Caji principis ludo fuere, in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam non conniverent, & ob id invicti. *Plin. l.* 11. *c.* 37. In Africa Occidentali Æthiopes quatuor oculis inveniri dicuntur. Lycoſten. *In Africa etiam familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus & Nymphodorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. Eſſe ejuſdem generis in Triballis & Illyriis adjicit Iſigonus, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis: quod eorum malum præcipue ſentire puberes. Notabilius eſſe quod pupillas binas in oculis ſingulis habeant.* In Albania quoſdam glauca oculorum acie à pueritia ſtatim canes, qui noctu plus quam interdiu cer-

cernant gigni, idem Iſigonus prodidit. *Plin. l. 7. c. 2.* Cilia umbra ſua choroidis nigredinem juvant, & diffuſionem cryſtallini ſplendoris prohibent. Hinc cum oculos quidam haberet cæſios & cilia albida; quoties hæc atramento pingebantur, eo melius videbat. *Montalt. apud Hofm. l. 10. de uſu part. c. 7.* Anaſtaſius Imperator diverſi coloris pupillas in oculis habuit. Dextra nigrior, læva magis glauca fuit. *Zonar.* Qui in paludibus habitant, odorem ferre nequeunt. *Strabo l. 16.* refert, apud Sabæos ab odoribus ſtupefactos, bituminis ſuffitu, hircique incenſa barba recreari. Fætidos interdum prodeſſe, hyſtericarum mulierum conditio & peſtilentiæ fuga demonſtrat. Apud Antverpianos ruſticus quidam cum in myropolium divertiſſet, deliquio animi periclitari cœpit, fimo equino admoto naribus, revocatus eſt. *Lemn. l. 2. Occult. cap. 9.*

ARTICULUS IV.
DE FACIE.

MAjeſtatem quorundam faciei indidit DEVS. Principes præſertim ſi attendas; forma quorundam ornavit eximia, ſimilitudinem quibuſdam indiſcretam indidit. Horrebant vultum Maximiliani Cæſaris captivi Brugenſes *Delf. l. 3. in Maximil. vita & Philippi.* Franciſci I. Galliarum Regis Muſagetæ æterna gloria digni ad Ticinum capti, victores intuiti ita obſervabant, ut certatim ei miniſtrarent vultu Regio. *Forcatul. de Gallorum imperio lib. 3.* Alphonſum Eſtenſem I. Ferrariæ Ducem conjurati interficere cum vellent, ſolo vultu territi non potuere. Mænechmi apud *Plautum* gemini adeo ſimiles fuere, ut nec nutrix nec mater dignoſcerent. Idem in Iohanne & Petro, Senatoris cujuſdam Mechlinienſis filiis, Vives obſervavit. Antonio Bithynico tam elegans erat forma, ut Adrianus Imperator templum ei apud Mantineam conſtitueric, & Civitatem apud Nilum, ejuſque imaginem inſculpi fecerit nummis. Maximini

filii tanta erat oris pulchritudo, ut caput morte jam nigrum, jam maceratum defluente tabo pulcherrimum tamen videretur. Democles puer Athenienſis ob formam ita appellatus eſt; Cui etiam tanta pudicitiæ extitit cura, ut, ad declinandam Demetrii vim, in plenum ferventis aquæ lebetem ſe conjecerit, *Plutar. in Demetrio.* Spurina adoleſcens ſolo aſpectu viros & fœminas ad libidinem provocabat. *Valer. Max.* Svavilda denique Regina tanta forma erat, ut, quum vincta loris expoſita eſſet equinis obterenda calcibus, ipſis quoque jumentis horrori fuerit, artus eximio decore præditos, ſordidis lacerare veſtigiis: *Saxo Grammat. l. 3. Hiſt. Danica.*

ARTICULUS V.

DE SOMNIIS.

UT in aliis ſic in ſomniis ludit natura; ita ut lætitia afficiat triſtes, triſtitia lætos affligat, regio faſtigio donet ſervos, Dominos mulctet & ſervitio. Quamvis autem fatendum ſit, plurima, imo plæraque quæ fiunt, naturalia eſſe; eſſe tamen & ſupra naturam plurima, vix aliquis negabit. Certe in antiqua Eccleſia per hæc monuit ſuos Iehova; multotieſque fit, ut ea quæ hodie in ſomniis offeruntur, ſuo non fruſtrentur eventu: Lucæ Iſelio privigno Zvingeri Veſontione agenti, Huberi Baſilienſis Medici mors in ſomnio aperta eſt. Nam videre viſus eſt lectum ſuum egeſta humo recens opertum, quem cum lodice remoto excutere vellet, ſub ſtragulis Huberum Medicum vidit, momento oculi in puerilem tranſmutatum ſpeciem. Neſſenus eodem die quo in Albi ſuffocatus eſt, ſomnium de lintris offenſione & ſui prolapſu habuit. Chriſtophorus Rhaumbavius Medicus Vratiſlavienſis, monitum, de cura morbi ſibi incurabilis, in ſomnio factum ſecutus, ægrum priſtinæ ſanitati reſtituit, & quod miror, Medicamentum illud, in libro paucis poſt annis edito, conſcriptum offendit.

Doring. de Medic. l. 1. *part.* 2. *ſ.* 1. *cl.* 1. *c.* 3. Idem Philippo, & ante eum Galeno accidiſſe Hiſtoriæ teſtes ſunt. Huc pertinet Matris Scanderbegi ſomnium de ſerpente, qui totam operuit Epirum, caput inter Turcarum protendit fines, cruentis faucibus ipſos abſorbendo, caudam inter Chriſtianos & Veneti imperii tenuit terminos. *Barlet. l.* 1. *de geſt. Scanderbegi c.* 82. Scaligeri de flamma ingenti cum ſonitu ſummas Alpes Noricas, Rhæticas, & Liguſticas ſine noxa pervadente. *Scalig. in comment. l. de Inſomn. Hippocrat. apotel.* 42. Hunnii de columna in templo. Hæc enim futuram filiorum aperuere conditionem, & quidem ſine fallacia. Malleus quippe Turcarum erat Scanderbegus, Sydus illatum terrarum Scaliger, columna Eccleſiæ ſuæ Hunnius. Quid vero dicam de Gunthramo Rege Francorum? Mirum eſt quod ille habuit. *Cum enim aliquando venationi intentus, per nemus vagaretur, forte à ſociis avulſus, uno tantum comite, cujus fidem præ reliquis perſpectam habebat, ad aquæ gelidæ rivulum delatus eſt. Vbi cum ſopor gravis eum opprimeret, reclinato in ſervi ſinum capite, obdormiit. Ibi rem mirandam ſervus animadvertit: Ex dormientis ſiquidem ore beſtiolam vidit prorepere, & recta ad rivulum tendere, quem cum fruſtra omni conatu tranſire laboraret, ſervus evaginatum gladium rivo impoſuit, per quem cum beſtiola facile evaſiſſet, in foramen proximi montis irrepſit, & poſt horam inde regrediens, eadem via in os regis reverſa eſt. Experrectus deinde Rex, ſervo narravit, quod ſibi per ſomnum viſus eſſet, ad ripam ingentis fluminis delatus eſſe, & per ferreum pontem tranſiſſe, inde ad montem perveniſſe, in quo grande auri pondus latuerit. Quod cum ſervo ſuo expoſuiſſet Rex, & viciſſim ex illo audiviſſet, quid ſe dormiente monſtri acciderit, ambo ad montem iſtum contendunt, ibique defoſſam ingentem auri vim defodiunt. Heidfeld. in Sphynge cap.* 14. *Marinus Merſennus in Geneſin* Somnium hoc Diabolicum appellat. Magis mirum illud eſt, quod Schmalcaldenſis ille habuit. Deſcriptionem qui voluerit, *Peucerum de Divinatione* videat. Ego il-

 go il-

go illius loco *Davidis Parei* appono, quod ſic, ab eo deſcriptum eſt. *Videbam, & ecce bos magnus & laſſus extendens caput ad Orientem; & ecce ab oriente venit Aries, qui habet tria cornua, incurrit in bovem, & læſit ejus crura poſteriora, & firmavit ſe bos & fortius ſtetit, & vidi quod bos laſſus fortius figit pedem. Et venit alius Aries de monte gentium & viarum, & crure fracto inter cornua ejus incurrit in ejus anterius; & iterum firmavit ſe bos & non occidit, & doluerunt Arietes dolore magno, & fleverunt qui Arietes adoraverunt: quia* DEUS *ſervavit illum & miſit illi pabulum Indicum, & confirmavit illum. Et ecce trans flumen ſtabat Tigris Armena, & Luna ſuper caput ejus, & dixit. Mihi eſca erit victus & victor, & devoratus eſt Aries qui habebat tria cornua à Tigri, & ſuper eum dominata eſt. Et alter Aries refugit ſuper montem ſuum, & herba aruerat, & cornua bovis creverunt & Tigris fugit ab eo, & Aries in montem non evaſit, & gaviſus ſum quod* DEUS *bovem ſervaſſet.*

ARTICULUS VI.

DE NOCTAMBULIS.

Noctambulonum multa ſunt exempla. Quidam juvenis è lecto ſurgens, indutus veſtimentis, ocreis, calcaribuſque appoſitis, ſuper feneſtram conſcendit, & hinc atque inde divaricatis cruribus, parietem perinde ac ſi equus eſſet, incitavit. Alter in puteum deſcendit, non citius experrectus, quam gelidam pede attigiſſet. Apud *Horſtium* quidam nobilis turrim conſcendit, nidum avium ſpoliavit, per funem ſe iterum demiſit. Referunt quendam Pariſiis gladio accinctum, Sequanam tranaſſe, eumque interfeciſſe, quem ſibi interficiendum vigilans propoſuerat; poſt patratum ſcelus domum rediiſſe. *Aleman. Comment. ad lib. Hippocr. de Aëre.* &c. Cauſam hujus quod attinet, varie à variis explicatur. Optima illorum videtur ſententia, qui imaginationi adſcri-

adſcribunt. Anima enim ſentiens in ſomno non ſolum ab externo objecto incitata ad ſentiendum ſe convertit, & primo obſcurè, poſtea clarius rem percipit, ſed & ab interno objecto per ſomnum repræſentato affecta, movet facultatem motricem. Excitatur autem imaginatio à reſervatis rerum ſpeciebus; circa quas dum intentius agit, facultatem motricem ſtimulat. Id ſe ſic habere, vel quotidianæ experientiæ teſtimonio apparet. Nam moveri nos in ſomno quis ignorat? quod non ſurgimus minor facit phantaſiæ circa imagines occupatio. Nec tamen motus ille fortior, ab eadem ſemper proficiſcitur cauſa. Fieri enim etiam id ex diurna cogitatione poſſe quidam exiſtimant in junioribus præſertim, quibus major cupiditatis & audaciæ vis eſt. Alii ab interna id patiuntur affectione corporis; quæ tamen non ejuſdem generis. Alacriores & magis phantaſtici ſpiritus animales quibuſdam; quidam ex ſimplicitate id facere videntur. Quod non excitantur, vaporum efficit pertinaciâ. Hi enim cum non permittant, ut facile excitentur; contra ſpiritus animales vegetiores ſint, fit ut medio modo inter dormientes & vigilantes conſtituantur. Nec tamen veriſimile eſt omnes eſſe ejuſdem generis. Nam puer ille cujus apud Libavium mentio, nudus ad portam progreſſus domumque regreſſus, vigilem in medio oppido ſedentem obſervavit. Denique, quod agunt dormientes quod aliàs non poſſunt, periculi facit ignorantia. Rationis obſcurata actio, motus à phantaſia excitatos impedire non poteſt. Videatur *Libavius in Noctambulis.*

ARTICULUS VII.
DE NONNULLIS CIRCA CAPUT AC SENSUS OBSERVANDIS.

NAtus quidam & in virum excrevit, anno 1516. qui aliud caput umbilico exeruit. Lycoſthen. Anno 1487. Venetiis puer fuit qui plurivariam ſciſſo

ore genitale membrum habuit vertici agnatum. Prognata adultis in capite cornua. Virgini circa articulos etiam pedum & brachiorum, vitulinis haud abſimilia, quæ poſt percurata. *Schenk. l.* 1. *Obſerv.* Ægyptiorum capita ita firma erant, ut ea vix ictu lapidis elidere potuiſſes. Perſarum tam fragilia, ut ſolo calculo perforari potuerint. *Herodot.* Indorum in Hiſpaniola oſſa capitis tam dura ut enſes frangantur. *Cardan. l.* 12. *de Varietate rerum.* Frontem totam ab humore atri oſſa nudatam in Monacho *Benivenius vidit*, *de abdit. c.* 10. Tyrrhenus Tarcon, & Cycnus Trojanus ætatis primordio ſtatim memorantur cani. *Cal. lib.* 3. *cap.* 27. *Antiq.* Scribit & Cteſias in Indiæ quadam parte fœminas ſemel tantum parere, eoque conceptu genitos confeſtim caneſcere. Myconii capillo carentes gignuntur. *Plin. l.* 14. *cap.* 37. Defluvium capillorum in muliere rarum, in ſpadonibus non viſum, nec in aliquo ante Veneris uſum. *Plin. l. c.* Viſa Lutetiæ fœmina myſtace nigro & incano juſtæ magnitudinis, mento etiam piloſo mediocriter. Fertur & in gynæconitide Alberti Bavariæ Ducis fuiſſe mulierem promiſſa barba. *Wolfius.* Tempore Gregorii Pontificis natus in Lombardia infans, tam magnis auribus ut corpus integerent. *Thomajus in Horto mundi cap.* 19. Viſi plurimi qui aures & capitis cutem promptiſſime movebant. *Dalechamp.* Ferunt ab Orientis parte intima gentes eſſe ſine naribus; æquali totius oris planitie. Alias ſuperiore labro carentes; alias ſine linguis. *Plin. lib.* 6. *cap.* 30. Scribunt etiam Æthiopiæ eſſe partem, cujus incolæ naſcuntur toto corpore flexili, ut in omnem poſitionem ſeſe contorqueant facillime; addunt iiſdem linguas geminas quibus diſtinctim ac pro arbitrio uti poſſunt. *Gem. Friſ. l.* 1. *cap.* 7. *Coſmocrit.* Zanetem Samothracem civem, cui renati ſunt dentes poſt centum & quatuor annos, Mutianus viſum à ſe prodidit. *Plin. l.* 11. *cap.* 17. *Ariſtoteles. l.* 2. *cap.* 4. *de Hiſtor. Animal.* mulieris mentionem facit, cui anno octogeſimo maxillares illi noviſſimi non ſine dolore exierunt. In palato quibuſ-

quibuſdam natos *Plin. l. 11. cap. 37.* ſcribit. Mæcenas tribus annis integris inſomnis permanſit, levi harmonia tandem liberatus. *Seneca de provident.* Nizolius Ciceronianus decennio ſomnum non vidit. *Heurn. c. 16. de morb. capit.* Cardanus quoties volebat animo ſic abripiebatur, ut nullum omnino in eo ſtatu ſentiret dolorem. Idem de Presbytero Reſtituto refert *Auguſtin: lib. 14. de Civitate* DEI *cap. 24.* Iacebat hic mortuo ſimilis, ut nec vellicantes ſentiret, nec quamvis igne ambuſtus fuiſſet, moveretur; hominum tantum voces, ſi clarius loquerentur, tanquam ex longinquo ſe poſtea audiſſe, referebat. Non obnitendo autem, ſed non ſentiendo immotum ſervaſſe corpus, eo probabatur argumento, quod velut defunctus omnis expers eſſet halitus: ſimilem ſe à ſenſibus auferendi habitum ex morbo contractum Eliſabetham Burroniam virginem Cantianam habuiſſe, Hiſtoria Anglica innuere videtur. Vidimus & nos virginem quandam nobilem, quæ cum hyſterica paſſione laboraret, & variis ſymptomatibus exinde angeretur, ita interdum extra ſe rapiebatur, ut omnis ſenſilis reſpirationis exſors, doloris expers, ſtupidis ad aliorum attractum membris, immobilibus oculis exiſteret. Interdum tamen rubore quaſi ſuffundebatur, mira loquebatur, modo lente, modo contentiſſimè per campos etiam ambulabat. Plato denique ſcribit, Erum Pamphilium inter eos qui in acie ceciderant, decem diebus jacuiſſe, biduoque poſtquam inde ſublatus eſſet, impoſitum rogo revixiſſe, ac mira quædam tempore mortis, ut *Valerius Maxim. l. 1. c. 8.* putat, enarraſſe. Quæ de Acilio Aviola & Hermotimo Glazomenio dicuntur, vide apud eundem & *Plinium.* De Genoveſa quæ per triduum immota jacuit, habet *Wolfius* in *memorabilibus.*

CAPUT VIII.
DE LOCOMOTIVA.

ARTICULUS UNICUS.
DE MIRO QUORUNDAM ROBORE ET AGILITATE.

Mira dico; & certe fuiſſe exempla illorum oſtendent. Polydamas inermis leonem confecit. Idem boum aggreſſus armentum, arreptum inſignis magnitudine bovis unum ex poſterioribus pedem, non prius, quamvis ferociente, dimiſit, quam in manu ungulam relinqueret. Quadrigas tota vi concitatas, retro apprehenſo altera manu curru, conſtanter retinuit. *Rhodig. l.* 7. *cap.* 57. Miloni Crotonienſi malum tenenti nemo poterat extorquere. Idem in Olympia bovem repreſſo anhelitu portavit per ſtadium, ictu pugni interfecit, totumque eodem die haud gravatim devoravit. Tandem quercum fiſſam divellere cum vellet, viribus ſubmiſſis ab eadem conſtrictus interiit. *Plin. l.* 7. *c.* 20. Maximinus Imperator adeo robuſtis erat membris, ut armillas conjugis, hoc eſt circulum gemmis inſignem, quo brachium cingebat ipſa, annuli loco pollici induxerit. Sarcator in Suecia collo appenſas auri centum viginti libras geſtavit perpetuo. Idem novem objectus athletis, trucidavit univerſos. *Olaus. l.* 5. *c.* 2. Paulus quidam, apud *Bonfinium rerum Vngaric. Decad.* 4. *l.* 2. ſtatura & membris Herculi ſimillimus, armatum hominem dentibus arreptum, inter militares choreas non inermis circumduxit ſaltando. Vbertus de Cruce Mediolanenſis jumentum frumento onuſtum portabat, & unico conſtitutus pede, à nemine de ſtatione depelli poterat. *Leander in Mediol.* In Anchuſa denique monte, non procul Atlante, quemlibet ſingularem peditem duobus Equitibus pugnando obſiſtere poſſe. *Leo Africanus* teſtatur. At Philetas Cous tam levis erat, ut plumbeos glo-

globos pedibus alligatos portaret, ne à vento deportaretur. Non minus miranda agilitatis exempla præſto ſunt. In occidui novi orbis provincia quidam Indi curſu adeo valent, ut diem integrum inſequantur, donec laſſitudine feſſum virum intercipiant. *Hyſpal. Sylv. p.* 5. *c.* 7. Scritofinnos curſu antevertere feras *Krant. in Svecia* author eſt. Heraldum nobilem Hibernicum equos celeritate viciſſe ab eodem proditum. *l.* 5. *Norveg. cap.* 6. In Mexico tabellarii quatriduo ſeptuaginta tranſvolavere leucas. Polymneſtor Mileſius puer leporem aſſecutus eſt ludicro. Philonides mille ducenta ſtadia, ſeu ſeptuaginta quinque leucas Gallicas uno die pedeſtri emenſus eſt itinere. *Ladas ita ſuper canum pulverem curſitavit, ut arenis pendentibus nulla veſtigiorum relinqueret indicia.* Fontejo Vipſianioque Conſulibus in Italia octo annorum puer natus, quinque & quadraginta millia paſſuum à meridie tranſivit ad veſperam. *Solin.* At maxime mira eſt illa agilitas, quæ in ruſtico quodam inter pecora educato, in aula Principis Papebergenſis, apparuit. *Habebat idem Princeps* (verba ſunt *Camerarii Centur.* 1. *Horarum ſubciſ. cap.* 75.) *in aula nanum quendam Martinettum; qui illum agilem hominem veluti equum conſcendebat, quem deinde in gyrum ducebat, & hinc inde concurſitationibus variis modis exercebat: verum quando volebat uno ſaltu ſeſſorem ſuum licet pertinaciter illius dorſo inhærentem, abſque omni difficultate excutiebat. Poſt quadrupes ille cum moloſſis & generoſis canibus; inter quos erant ferociſſimi, quos Angli Dokas vocant, certamen inibat, eoſque ſuo latratu & fremitu canino pendulaque coma conſternatos è cubiculo exigebat. Mordicus interdum comprehenſis illis minoribus ex indagatorum genere. Exactis canibus & moloſſis, miris ſaltibus, ſurſum & deorſum, quadrupes tamen, fere omnes angulos ſublimiores cubiculi, permeabat, ut ſimia vix hoc perficere poſſet, quod tam ruſticum & quadratum corpus, abſque omni difficultate, uti videbatur, faciebat. Vidi ſemel atque iterum, quum apud Principem in prandio eſſem, poſtquam ſuum ſeſſorem nanum excuſſerat, & canes ſuo ficto latratu*

tratu è cubiculo exegerat, eum ſalientem à tergo ſuper humeros unius ex convivis: inde in menſam, intactu poculis & vaſis appoſitis; mox in ſublimiora loca, tanta celeritate, ut inſtar ſciuri vel felis Indici, de quibus Iulius Cæſar Scaliger ſcribit, volare videretur. Addit. Multos in ea fuiſſe opinione, præſtigiis & faſcinationibus oculos hominum eum perſtringere; ſed ſibi de ea re nil certi compertum, nec putare id in ejus poteſtate, quamvis voluiſſet, fuiſſe. Similem pernicitatem Habidem filium Gargoris Regis Curetum habuiſſe *Iuſtinus l.* 44. teſtatur.

CAPUT IX.
ET ULTIMUM.
DE ANIMA RATIONALI, INPRIMIS VERO DE MEMORIA.

Anima rationalis forma eſt hominis, per hanc in ſuo conſtituitur eſſe, ab aliiſque diſtinguitur ſpeciebus. Duplex illius facultas, Intellectus & Voluntas, interpres ſermocinatrix utrique data. De illis vix aliquid dicendum venit. Nam, quamvis infinita fere habeant, ſi inventiones varias, virtutes, conſultationes, linguas, ſcribendi modos, & alia conſideres: tamen illa hiſce ſi adjunxeris, ἀμεϑοδίας ſummum committetur vitium. Hinc factum, ut, cum de affectibus in Ethicis commodius tractari poſſit, hic eos omiſerimus. Vnum tantum addo de Memoria. Excellentem nempe fuiſſe in quibuſdam. Eſdras ſacerdos univerſam Ebræorum doctrinam memoria tenebat. Cyrus & Scipio cunctorum militum in exercitu nomina tenebant. Carmides in Græcia quæ quis exegiſſet volumina in Bibliothecis, legentis modo repræſentabat. *Plin.* Mithridates duarum & viginti gentium calluit linguas. *Gellius.* Iulius Cæſar eodem tempore quaternas dictabat Epiſtolas; *Plinius* dictare,

ſtare, legere, & audire eum conſueviſſe affirmat. Themiſtocles tantæ fuit memoriæ, ut Simonidi artem memoriæ offerenti, oblivionis ſe malle diceret; meminiſſe ſe quæ nollet, oblivisci non poſſe quæ vellet, adjiciens. *Cic, l. 2. de Finib.* Seneca duo millia nominum recitata., quo ordine dicta erant referebat; ducentos verſus recitabat ab ultimo incipiens. Portius Latro, quæ dicturus erat ediſcendi cauſa nunquam relegebat. Edidicerat enim quum ſcribebat: dicebat ita, ut in nullo unquam verbo memoria eum deciperet. Clemens VI. Pontifex, illorum quæ vel ſemel perlegiſſet obliviſci non potuit; & quod magis mirum, ex vehementis capitis vulnere, tantum boni obtinuiſſe dicitur. *Petrarcha de Memoria.* Franciſcus Cardulus Narnienſis vir literatus (Verba ſunt *Leandri Alberti in deſcriptione Vmbriæ*) memoriter recitare poterat duas paginas integras, quas legentem tertium audiviſſet, eo quo lectæ ſunt ordine, aut etiamſi malles retrogrado. Idem de Iohanne Pico Franciſcus refert, & de Antonio Ravennate *Sabellicus l. 10. cap 9.* Nil interim dicam de Petro Comeſtore Trecenſi Presbytero, qui ſacræ ſcripturæ authoritate in ſuis ſcriptis & Concionibus tam expedite uſus eſt, atque ſi eam in ventriculum memoriæ ingeſtam concoxiſſet. *Trithemius.* vel de Corſico quodam juvene, qui ad triginta ſex millia nominum, eo quo recitata erant ordine, abſque cunctatione recenſere potuit. *Muretus l. 3. Variar. lect.* Quanta in his erat memoriæ excellentia, tanta in aliis vilitas, ſive morbo ſive prava ab ortu conſtitutione. Meſſala Corvinus nominis ſuis oblitus eſt. Franciſcus Barbarus literarum Græcarum Athenis vir eruditiſſimus, cum ictum lapidis capite excepiſſet, cætera omnia tenaciſſima memoria retinens, literatum tantummodo, quibus præcipue inſervierat, oblitus eſt. *Valer. l. 1. cap. 8.* Cluſius Sabinus tam frigidæ extitit memoriæ, ut illi modo Vlyſſis, modo Achillis, modo Priami excideret nomen. *Seneca in Epiſtol.* Atticus Herodis Sophiſtæ filius ne Elementorum quidem perdiſcere po-

terat

terat nomina. Thraces numerando quaternarium numerum tranſcendere nequivere. At maxime mirum quod de Theodoro Beza *Thuan. l.* 134. refert. Eum, antequam moreretur, præſentium memoriam, debilitata nempe mente, amiſiſſe, præteritorum, dum ingenio valebat impreſſam, ſervaſſe, in languore hoc per biennium permanſiſſe. Ingenium quod ſpectat, à certo id temperamento pendet. Et mirum eſt, ſtupidos ſæpe in multis eſſe eos, qui pro ſapientibus in aliis habentur. Themiſtocles non tam capere quam rapere conſilia potuit. Logicæ nequiviſſe addiſcere præcepta quendam, qui alias citiſſime apprehendit diſciplinas, Huartus author eſt. De excellentia ſi dicendum, Iani Druſi Philologi clariſſimi filio tam excellens erat, ut à decimo quinto ætatis anno ad vigeſimum, quo mortuus eſt, commentarios in Proverbia, & alia exquiſite ſcripſerit. *Druſ. in præf. paralipom. in n.* 7. Plurima tamen ſunt ad quæ ingenii humani nequit pertingere acumen. Vires magneticæ, marini refluxus, humorum in corpore humano mirabiles effectus, caloris ipſius nativi conſtitutio, & alia multa, multos exercuere, à nemine recte ſunt cognita. DEUM, propter nobilitatem, propter ignobilitatem materiam primam comprehendi non poſſe vulgaris eſt ſententia. Proprietates occultæ laxum nimis ignorantiæ noſtræ aſylum. Siſtam itaque & ego hic gradum; & certe ut ſiſtam intentio monet. Iucundiſſima ponere animus erat, ut & Adoleſcentum mentibus naturalis hiſtoriæ amor insereretur, & illis qui juventutem nobilem etiam privatim inſtituunt, ſubveniretur. Multa dubia inſerui, cauſas quorundam ex aliorum mente dedi, ut ſcrutinium naturæ requiri oſtenderem. Multa, quæ omiſi, naturæ fœcunditas fecit. Tam late ſua ſpargit pomæria, ut omnia recenſere, ultra virium ſit unciolas. Si tamen iſta quæ jam dantur placere intellexero, & tantum ingenii ac occaſionis ſuppetierit,

rit, ero in eo, ut Enchiridion Hiſtoriæ Naturalis, in quo natura tam ligata quam libera produci poterit, habeatur. Scrutinium, in An ſit, & Quare ſit, inquirens, aliis relinquo. Sed de his ſupremus ipſe videbit, cui Laus & gloria in ſempiterna ſecula. AMEN.

FINIS.

Ad Nobilem & Clariſſimum VIRUM, JOANNEM JONSTONUM, de ſuis Philoſophicis ſcriptis.

FOntes venuſtos, & ſapores muſteos,
Aquas perennes, limpidas, pellucidas,
Ævo ſalubres, ſeculiſque commodas,
Scaturiebat Virgo *priſcis Patribus,*
Sophiam *vetuſto quam vocarunt nomine.*
Hæc illa Virgo, *proma-conda temporum,*
Pudica, pulcra, caſta, dives artium,
Magiſtra veritatis, ordinis Parens,
Humanitatis una formatrix rudis
Et architecta literati Seminis,
Analphabeto inviſa ſemper agmini.
Regina, *regni compos eſſet dum ſui,*
Audivit; inquinata nullis ſordibus,
Libidinoſis nota needum Adulteris.
Vt inter ignes ætheris Sol ſplenduit,
Suiſque lucem contulit cultoribus.
Polita Virtus hinc, Fides, & Veritas,
Doctrina ſimplex, ac ſupellex ſobria.
Hac claruere magna quondam Numina.
Divinus orbis ille Doctor totius,
Inſigne gentis Atticæ miraculum.
Et qui Magiſtrum pene præceſſit ſuum,
Ortus Stagira maximus Princeps Sophum,
Cui comparari Nemo tum mortalium
Potis eruditione. Vel ſi quos adhuc
Ætas beati temporis vetus tulit.
Succeſſit ævum degener prioribus,

Quæ

Qua Virgo *tandem proſtituta adulteris*
Diſtorta, deformata, vulſis artubus
Deruncinata, limpidis pro fontibus
Vlvis lutoſis ceſpitiſque uligine,
Cœno, lacunis, putidis paludibus,
Et ſalſitatis ac amurcæ fecibus
Scatet. Scatebris hauriunt iſtis meras
Apinas; inertes inficetiæ ſtrophas,
Inſanientis inſipientiæ logos,
Tricaſque fuci, falſitatis fabricas.
Hinc tota mendax, Lena turpis, & Lupa
Infamis audit, audit Offa ſordium.
Ejus miſertus, Jonſtone *ô ævi jubar,*
Ocelle dexter eruditi ſeculi,
Nunc expolis, induſtrius ceu artifex,
Incude ab ipſa, litterariæ rei
Facemque præfers Virgini *ſuum decus;*
Sophiæ *reponis, ejeratis ſordibus.*
Patrocinaris veritatis ſic viâ,
Et ſic ſalubrem ſedulos ſapientiam
Stillas in uſus, ne quid hic Puertiam
Moretur ultra vi ſagace præcaves.
Nunc haurientur veritatis Schemata,
Exempla rerum, plana virtutum ſacra,
Lepidi lepores, gratiæ gratæ, chorus
Lubentiarum. Amorum amœna factio,
Faventiæque & Elegantiæ typus
Ductore te. Quin eloquar, quid ſentiam;
Me Iudice uno, & Eruditis omnibus,
Mala fatente idem vel invidentia,
Fers omne punctum laudis, & palmam meres.
Sic tute Philoſophantium longe gregem
Poſt terga linquis, Bos quibus linguam obſidet,
Quos

Quos ſcripturire ſcabra detinet ſitis.
O macte tantis, macte, ô ingens, bonis!
Et dum licet prodeſſe perge ſeculo,
Faciles ad arcem prepara Sophiæ *vias,*
Satura juventa vota, quo maturitas
Sequatur uber mox adulto corpore;
Sic, ſic perennem promerebis gratiam,
Sic te ſequetur gloria, & nomen tenax.

Amoris & Benevolentiæ teſt. ergo ſcribebat Lugduni Batavorum

VENCESLAUS CLEMENS
à Lybeo-monte. S.

BIBLIOTECA VITT. EM. ROMA

Digitized by Google

S.N.I.3